SC.13.P.1.4.

37
45 C
3

A 60 3001

Digitized by Google

Digitized by Google

CHRONOLOGIA, ET CRITICA HISTORIAE PROFANAE, ET SACRAE

IN TOMOS VI. TRIBUTA.

UBI

DE VETERUM POPULORUM, ET URBIUM
MENSIBUS, ANNIS, PERIODIS,
CYCLIS, ET EPOCHIS.

MISCELLANEA ITEM MULTA

DE VARIARUM GENTIUM UBIQUE

ORIGINIBUS, ANTIQUITATIBUS, SCRIPTURIS, TRANSMIGRATIONIBUS, SACERDOTIBUS, TEMPLIS, AEDITUIS, ASYLIS, DIIS, RITIBUS, FESTIS, LUDIS, MAGISTRATIBUS, REGIBUS, LEGIBUS, REBUSPUBLICIS &c.

AUCTORE

F. HIEREMIA A BENNETTIS
CAPPUCCINO

PARS I. TOMUS II.

PRO ADPARATU
AD LECTIONEM SACRORUM LIBRORUM.

ROMAE MDCCLXVII.
APUD HAEREDES FRANCISCI BIZZARRINI KOMAREK.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

CONSPECTUS

TOMI II.

PROLEGOMENON III.

DE *Variis Gentium variarum ab Aſia Majore, & Africa in Aſiam Minorem, ac Europam Tranſmigrationibus, Variiſque ſub aetatibus Coloniis eductis.* pag.1.ſqq.

ARTICULUS I. *De Menſibus, & Annis Aegyptiorum, ſive Coptorum, Aethiopum, ſive Abyſſinorum, Congenſium, ſive Ambondorum, Angolanorum, ſive Matambenſium.* pag.224. ſqq.

ARTICULUS II. *De Menſibus, & Annis Indorum, Malabarorum, Coromandeliorum, Indoſtanorum, Boutanorum, Thibetanorum, Nepalenſium, Tangutanorum, Siamenſium, Cambajenſium, Malacenſium, Ceylanorum, Lavuſenſium, Peguanorum, Arachenſium &c.* pag.356. ſqq.

ARTICULUS III. *De Menſibus, & Annis Sinenſium, Tunchinorum, Concinſinenſium &c.* pag.410. ſqq.

ARTICULUS IV. *De Menſibus, & Annis Japoniorum, Coraeenſium, Hai-Nanienſium, Tai-Ovanienſium &c.* pag.492. ſqq.

ARTICULUS V. *De Menſibus, & Annis Americanorum, Mexicanorum, Peruvianorum &c.* pag.511. ſqq.

Digitized by Google

NOS FR. JOSEPH MARIA

A SAVORNIANO.

VICARIUS GENERALIS

Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capuccinorum (l. J.)

CUM Opus, cui Titulus eſt: *Chronologia, & Critica Hiſtoriae Profanae, & Sacrae, Pars prima in* VI. *Tomos &c*, a R. P. Hieremia a Bennettis Ordinis Noſtri Ex-Lectore, & Ex-Cuſtode Generali elucubratum, a duobus ex Ordine Noſtro Theologis de mandato Noſtro, ſedulò, luculenterque reviſum, approbatum, praeloque omninò dignum exiſtimatum fuerit: Hinc praefato ejuſdem Operis Auctori permittimus, ut illud, ſervatis ſervandis, Typis mandare valeat. In quorum fidem praeſentes noſtras ſolito Officii Noſtri Sigillo munitas dedimus. Romae hac die 6. Menſis Februarii Anno 1767.

Fr. Joſeph Maria, qui ſupra.

Loco ✱ Sigilli.

ADPRO-

Digitized by Google

ADPROBATIO.

De Mandato Reverendiſſimi Patris Joſephi Mariae a Savorniano Vicarii Generalis Totius Ordinis Noſtri Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capuccinorum, attentè perlegi Opus inſcriptum: *Chronologia, & Critica Hiſtoriae Profanae, & Sacrae Pars prima in Tomos ſex diſtributa &c.* ab Admodum Reverendo Patre Hieremia a Bennettis Ex-Lectore, & Ex-Cuſtode Capuccino compoſitum. Cum autem nihil, & Orthodoxae Fidei, & bonis Moribus contrarium invenerim; imò potius eruditione ſumma, & doctrina non vulgari refertum, digniſſimum cenſeo, ut Typis mandetur, ſi iis ad quos pertinet, dignum videbitur.

Datum ex noſtro Conventu Immaculatae Conceptionis de Urbe die 8. Januarii 1767.

Fr. Geminianus a Mutina jam Lector, & Ex-Provincialis Capuccinus.

ADPROBATIO.

Juſſu Reverendiſſimi Patris Joſephi Mariae a Savorniano Totius Ordinis noſtri Vicarii Generalis attentè perlegi, ac ſedulò perpendi Opus, cui Titulus: *Chronologia, & Critica Hiſtoriae Profanae & Sacrae in Tomos VI. &c.* ab Admodum Reverendo Patre Hieremia a Bennettis Philoſophiae, ac S. Theologiae Praelectore, & Ex-Cuſtode Generali Capuccino accurata diligentia, magnoque ſtudio elaboratum. In eo verò ne leviſſimum quidem mihi occurrit, quod vel Orthodoxae Fidei, vel bonis Moribus adverſetur; quinimò tanta Opus eruditione, multarumque notitia rerum adeò refertum eſt, atque Gentium antiquitates, origineſque ea in luce collocat, ut Profanae, ac Sacrae Hiſtoriae incumbentibus utiliſſimum fore cenſeam, dignum propterea, quod Typis demandetur, ſi iis ad quos ſpectat, ita videatur.

Ab Aede Immaculatae Conceptionis. Romae 1767. die 10. Januarii.

Fr. Cajetanus a Caltaniſſetta Philoſophiae, ac Sacrae Theologiae Praelector, Ex-Definitor, & Cuſtos Gener. Capuccinus.

IMPRI-

Digitized by Google

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sac. Palatii Apoſtolici Magiſtro.

Dom. Jord. Patr. Antioch. Viceſgerens.

ADPROBATIO.

Reverendiſſimo Patri Thomae Auguſtino Ricchinio Sacri Pal. Apoſt. Magiſtro morem gerens, libenter pervolutavi laborioſum aeque, ac omnigena Eruditione refertum Opus, cui Titulus: *Chronologia, & Critica Hiſtoriae Profanae, & Sacrae &c.* ab Admodum Reverendo Patre Hieremia a Bennettis Ex-Lectore, & Ex-Cuſtode Generali Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capuccinorum, Viro praeclaro, & a litteris, ſtudiorumque ſuorum vigiliis commendatiſſimo, elucubratum; & in eo, quod Catholicae Fidei, ac bonis Moribus adverſetur, deprehendi nihil. Quare dignum publica luce illud cenſeo, utpote Sacrae Profanaeque Antiquitatis, ſanioriſque Critices Studioſis utile ac jucundum.

Dabam e Vaticana Bibliotheca 4. Id. Februarii 1767.

Stephanus Evodius Aſſemanus
Archiepiſcop. Apameae.

ADPRO-

ADPROBATIO.

Secundum eximii Operis Tomum a Cl. Patre Hieremia a Bennettis Ordinis Capuccinorum, ſatis jam noto ob non pauca egregia Volumina in lucem edita, elaboratum, cui Titulus eſt: *Chronologia, & Critica Hiſtoriae Profanae, & Sacrae in Tomos ſex tributa &c.* ex Mandato Reverendiſſimi Patris Thomae Auguſtini Ricchinii Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtri attentè legi: nihilque in ipſo deprehendi, quod aut Fidei Orthodoxae, vel bonis Moribus contrarium ſit; immo potius demiratus ſum non vulgarem Eruditionem, ſanioris Criticae uſum, totius Antiquitatis peritiam maximam, quibus praeſtantiſſimus Auctor res difficillimas, & obſcuriſſimas detegit, exponit, & mirificè illuſtrat. Quapropter illum praelo dignum, & Reipublicae Litterariae jucundum, & perutile cenſeo.

Datum in Collegio S. Bartholomaei in Inſula Tyberis 15. Kalendas Martii MDCCLXVII.

Fr. Petrus a Valleoctava Controverſiarum Lector.

ADPRO-

ADPROBATIO.

De Mandato Reverendiſſimi Patris Thomae Ricchinii Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtri attentè legi egregium Opus, cui Titulus: *Chronologia, & Critica Hiſtoriae Profanae & Sacrae &c.* Auctore Fr. Hieremia a Bennettis; nihilque in eo reperi, quod Catholicae Fidei, rectaeque morum Inſtitutioni minus conſonum videretur. Opus vero iſtud, in quo maxime relucent Cl. Auctoris ingenium, & ſingularis eruditio, publici juris dignum omnino eſſe cenſeo, cum ſit perutile, imò neceſſarium iis omnibus, qui Chronologiae, & Hiſtoriae tum Sacrae, tum Profanae, praecipue vero Sacrae Scripturae ſedulam dant operam. Summam profecto laudem meretur Cl. Auctor apud viros doctos, cultioreſque eruditos, ut unuſquiſque ſepoſito partium ſtudio ex diligenti hujus Operis lectione judicare poterit.

Datum Romae ex Monaſterio S. Romualdi die 16. Februarii 1767.

D. Aurelius Leoni Monachus Camaldulenſis in S. Florentina Univerſitate S. Theolog. Magiſter, & in Collegio Urbano de Propaganda Fide Philoſophiae Lector.

IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Auguſtinus Ricchinius Ordinis Praedicatorum Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

DE

Digitized by Google

DE
VARIIS GENTIUM VARIARUM

AB ASIA MAJORE, ET AFRICA IN ASIAM MINOREM, AC EUROPAM TRANSMIGRATIONIBUS,

Variiſque ſub Aetatibus Coloniis eductis.

PROLEGOMENON III.

I. ASIAE, cui nomen ab *Aſio*, filio *Cotys* Lydiae Regis, inditum fuiſſe, nobis auctor eſt Herodotus lib.4. cap.45, ſi hacce tamen in re fidem meretur, atque poſt ipſum refert Dionyſius Halic. lib.1. p.21, diviſio ab eodem Herodoto lib.1.capp.72, 95, & 177. facta legitur in *Superiorem*, ac *Inferiorem*, ita quod hanc ab illa ſeparet *Halys* fluvius ex Armeno monte profluens, atque Medici, Lydique imperii confinium ad Euxinum uſque Pontum; ac in *Inferiori* Cilicia, Phrygia, Cappadocia, Paphlagonia, Caria, Lycia, Jonia &c. comprehenſae ſint. *Aſia* Romanis viciſſim in Aſiam citra *Taurum*, ſive Citeriorem, & Aſiam ultra *Taurum*, ſeu Ulteriorem dividi olim ſolebat, teſtibus Livio lib. 37. cap. 45, & lib. 38. cap. 39, Plinio lib. 5. cap.27, ac Strabone lib.13. p.408; ita quod poſterior ultra *Taurum* ſita in Ortum Solis ad Syriam uſque, ac Euphratem vergeret; prior vero citra *Taurum* intra Halym comprehenſa eſſet, atque comprehenderet ipſa Phrygiam, Myſiam, Lycaoniam, Pam-

Pamphyliam, Lydiam, Paphlagoniam, Bithyniam, Pontum, Ciliciam, Joniam, Cariam, Lyciam, Aeoliam &c. *Citerior* haec vero Aſia ab *Ulteriore* rurſus ita diſtincta Straboni lib. 12. ſub initio, Plinio lib.6. cap.2, & Curtio lib.3. cap.1, veluti Peninſula habita eſt, duobus conſtricta Maribus, uno Mediterraneo, ſive Pamphylio Mari uſque ad Sinum Iſſicum, Alexandri victoria de Dario relata celebrem, ſive uſque ad Pylas Syriae, vulgo *Amanicas*, queis de Strabo lib. 14. p.465, Diodorus lib. 17. cap.32, Arrianus de Exped. Alex. lib.2. p.94. ſqq., & Calliſthenes in Polybii Fragm. lib.12. cap.8, altero Euxino Ponto uſque ad Sinopem, oramque Tibarenam, Cappadocia hinc, illinc Cilicia comprehenſis. Receptior eſt vero, ac media ab Aetate vulgaris Aſiae diviſio in *Majorem*, ac *Minorem*, qua de Auctor libelli de Locis Hebr. in Act. Apoſt. S.Hieronymo de Loc.Hebr. ſubjuncti, Oroſius lib. 1.cap.2, & Conſtantinus Porphyrog. de Thematibus lib.1. Par.I. Themate 1. p.3. ſqq. edit. Pariſ., Ven. Byzant. T.XXII. p.2. ſqq., juxta quos Aſia *Major* finit, quò *Minor* incipit, haec vero ab Orientali parte Mari undique circumdata ſit, a Septemtrione Ponto Euxino, ab Occaſu Propontide, atque Helleſponto, a Meridie Mediterraneo, complectatur vero Cappadociam, Phrygiam, Pamphyliam, Ciliciam, Lycaoniam, Galatiam &c. Atque Aſiae huicce *Minori*, quaſi Peninſulae magis, propiuſque Phoenicium חצי *Aſi* congruere putaverim nomen, quo dimidium, ſive *Medium* ſignificatur, utpote quae duo inter Maria ſit *Media*, quam Aſiae *Majori*, ut putat Bochartus in Geogr.Sacr. Par.I. lib.4. cap.33. p.298, ideo quod inter Europam, & Africam medium occupet locum, uti Plinio in Praefat. lib.3, & Pomponio Melae de Aſia lib.1. cap. 2. obſervatum eſt. Sed hiſce de Aſiae, minoriſque alioqui momenti aliis diviſionibus adeundi ex Geographis nuperis Baudrantius in Lex. Geogr. T.I. p.60, ſqq., Cellarius in Geogr. Antiq. T.II. lib. 3. cap. 1. p. 2. ſqq., ac Cluverius in Geogr. Vet., & Nov. lib. 5. cap. 1. p. 285.

II. Emenſis itaque multarum jam Aſiae Superioris, ſive Ulterioris, ſive *Majoris*, Gentium Menſibus, & Annis, ordo poſtulat, ut tam ad aliorum longe plurium, qui adhuc ſuperſunt, quam ad Inferioris, ſive Citerioris, ſive *Minoris* Aſiae Populo-

pulorum indagandos Menſes, & Annos noſtra procedat oratio. Quod ante tamen quam ſe accingat ad opus, operae pretium eſt de Aſiae *Minoris*, poſtquam generalem iſtius, brevem etſi Geographicam indiximus notitiam, Populis, eorum Antiquitatibus, & Originibus, atque diverſis ab Aſia Majori, & Africa in Aſiam Minorem, & Europam diverſis ſub aetatibus Coloniis diverſis eductis generalia veluti quaedam praecepta tradere, unde poſtea lux haud parva rei Chronologicae adfulgeat. Praeteritis heic itaque primis, tam quae ab *Adami* poſteris in Orbem inductae fuere Coloniae, quam quae ſub *Phalego* Gentium diſperſio facta eſt, qua de Euſebius, Syncellus, Auctor Chron. Alex. in ſuorum Chronicorum initio, ante quam alteram a *Noacho* factam in Filios, ac Nepotes diviſionem perperam finxere Marshamus in Can.Chron. Seculo I. p.23, ac Frid. Spanhemius in Chron. Sacr. p.156, & Hiſt. Eccleſ. p.291. ſq., quibus in opinione praeiviſſe videntur S.Epiphanius in Ancor. cap.114. Haer.66.p.83, S.Philaſtrius Brixien. Haer.118, & Abidenus apud Syncellum p. 45. edit.Pariſ., Ven. p.35; contra quos primam omnino ſub *Phalego* factam Gentium in Orbem diſperſionem recte docent, pugnantque Uſſerius, Petavius, Coccejus, Natalis Alexander, Salianus, Abrahamus in Pharo Vet.Teſt. p.108, Buxtorfius in diſſert.2. de Ling. confuſ. Theſi 3. §.60.ſqq. p.89.ſqq., Heideggerus in Hiſt. Patriarch. Exercit. 22. §. 3, Auctores Obſervat. Halenſ. T. IV. Obſerv. 13, Perizonius Origin. Babylon. cap.14. p. 277. ſqq., ac prae omnibus Arias Montanus in Phaleg, ſive Gentium Regionibus Crit. Sacr. T. VI. edit. Francof. p. 527. ſqq., ac Bochartus in Phaleg, ſive Geograph. Sacr. Par. I. lib. 1. cap. 16. pag. 61. ſqq., cumulatis abunde Judaeorum teſtimoniis in *Seder Olam* cap. 1., in Chronico *Tzemach David* fol. 6. col. 1, in *Juchazin* fol. 8. col. 1, in *Avoda Zarah*, ſive de Idololatria cap.1. fol.18. col.2, & fol.19. col.1, in *Cozri* Par.I. fol.49, & in *Pirke Aboth* cap. 24; queis de Coloniis Operis Par.II, uti Superis placebit, agere operae pretium erit noſtrae; quin etiam, ut de Aſſyriorum, Chaldaeorum, Aegyptiorum &c. Originibus, queis de me ſuis dicere abunde locis memini, denuo non dicam, communis fert opinio gemino ex capite profluxiſſe ab initio quotquot poſtinde ductae Coloniae leguntur, a *Chami* filiis unam,

quae fuit ***Ammonitarum***, ſub qua ***Inachidae***, ***Pelaſgidae*** primi, ***Arcades***, ***Argivi***, ***Danaitae***, ***Leleges***, ***Abantes &c.*** comprehenduntur, a quibus ex Aſia, & Africa Colonias frequens eductas fuiſſe ex dicendis infra conſtabit; ex ***Japheti*** poſteris alteram, ***Japhetidarum*** ideo denominatam, ſub qua ***Ogyges***, ***Pelaſgidae*** ſecundi, ***Cecropidae***, ***Deucalionaei***, ***Pelopidae***, ***Heraclidae &c.*** continentur, a quibus ex Aſia Majori, & Africa in Minorem Aſiam, & Europam diffuſae ſaepe Coloniae leguntur. Itaque *Urani*, (Noachum intellige), filii Apollodoro Argon. lib. 1. p. 1, Diodoro lib. 5. cap. 66, Hygino in Fabul., Pauſaniae &c. fuere 1. *Saturnus*, a quo *Jupiter*, ab iſtoque *Tantalus*, a quo *Pelopes*, unde orti *Pelopides*, apud Hyginum Fabul. 155, ac Diodorum lib. 4. cap. 75. ſq.; 2. *Oceanus*, a quo *Inachus I.* procreatus fertur, cujuſce de genealogia infra; 3. *Japetus*, qui poſteros habuit *Ogygem*, *Prometheum*, & *Deucalionem*, cujuſce poſtremi de filiis infra, atque ab hiſce Gentes propagatae ubique terrarum omnes apud illos feruntur: quae quatenus ad veritatem conformia accipienda demum ſint, intelligendaque docere grande pretium erit operae.

III. Primam itaque, eamdemque omnium, poſt Orbis diviſionem ſub *Phalego* factam, antiquiſſimam, quae ſub *Abrahami* aetate, Chriſtianam ante Aeram ideſt anno 2000. circiter, ab Aſia in Europam Colonia educta circumfertur, *Titanum* fuiſſe, quo ſane nomine *Uranus*, *Saturnus*, *Jupiter*, *Apollo*, *Belus*, *Aeſculapius*, *Neptunus*, *Pluto &c.* intelliguntur, veterum Mythologorum fert opinio. Cujus opinionis ſane primus auctor fuiſſe Sanchoniathon in Hiſtor. Phoenic. legitur apud Euſebium Praep. Evang. lib. 1. cap. 7, quo loci ex Philone Byblio illius fragmentum exhibet. In eo novem ab Orbe condito Generationibus enumeratis, in Generatione X. locum facit *Miſoori*, qui E῎υλιύτος, & *Sydiko*, qui Διχαῖος dictus eſt; atque a *Miſore* prodiiſſe *Thoth*, primum Litterarum inventorem adfirmat, a *Sydiko* vero *Dioſcuros*, qui & *Cabiri*, & *Corybantes*, & *Samothraces* adpellati ſunt. Ex hacce ſtirpe prognatus ſubjungitur Επίγειος, ſive Α᾽υτόχθων *Indigena*, deinde *Uranus*, ſive *Caelum*, dictus, qui ex Γῆ *Gue*, ſive *Titaea*, ideſt *Terra* Uxore, ac Sorore genuit 1. *Ilum*, qui & Κρόνος, ſive *Saturnus*, 2. *Betylum*, 3. *Dagonem*,

gonem, 4. *Atlantem*, & ex Concubina *Demarum*, ex quo *Melicartus*, ſive *Hercules* genitus eſt. Ex *Aſtarte* vero Sorore, Uxoreque ſeptem *Artemidas*, ſive *Titanidas* procreaſſe fertur *Cronus*, ſive *Saturnus*, ac ex *Rhea* Uxore altera, eademque Sorore alios genuiſſe filios ſeptem ſimiliter, in quibus *Zeus*, ſive *Jupiter*, *Belus*, *Apollo*, *Dis*, ſive *Pluto*, *Aſclepius*, ſive *Aeſculapius*, *Neptunus*, *Pothus*, ſive *Cupido*, *Eros*, ſive *Amor* &c.; ex *Jove* rurſus *Oſiris*, *Typhon* &c., aliique ex aliis progeniti referuntur. Ut vero de Simonio Bibl. Crit. T. I. cap. 10. p. 131. ſqq., Dodvvello, Stillingfleeto Origin. Sacr. cap. 2. p. 26. ſqq., Montfauconio in Antiq. Explicat. lib. 4. p. 383, Vandalaeo in diſſert. de Sanchon., Calmetio in diſſert. de Circumc., Tourneminio in Ephemer. Trevolt. 1714. Jan., & Febr. p. 68., & 323. ſqq., aliiſque, qui fabulis Sanchoniathonis Fragmentum deputare non dubitarunt, nihil diſputem, inter eos, quibus ſuo illud loco habitum eſt, Voſſio de Idolol. lib. 1. cap. 18. *Saturnus* idem viſus eſt, ac *Abrahamus*, ab iſtiuſque indiſtincti filiis filii illius reputati ſunt, ideoque e ſtirpe *Abrahami* primos in Europam tranſmigraſſe Colonos putat. Pezronius in Antiq. Celt. cap. 3. ſqq. p. 25. ſqq., 37. ſqq., & 124. ſqq., cui prae aliis ſuccenturiari haud ambegere Scriptores Angli Hiſt. Univ. T. XII. Par. II. cap. 12. edit. Venet. p. 30. ſqq., *Uranum*, & *Chronum*, ejuſque filios *Titanes*, Abrahamo aetate ſuppares, genere fuiſſe *Scythas* opinatus eſt, e *Gomero* progenitos, qui armis primum Armeniam, ac perinde Phrygiam occupaverint, ubi *Gomerorum* vetus nomen in *Titanum* commutarint, indeque Colonias in Cappadociam, ac Pontum, quin inde longe, lateque in Hiſpanias, Germaniam, Britanniam, Gallias &c. effuderint. Auctore nempe Callimacho Hymn. in Delos v. 170. ſq., Celtae Ὠγυγόνοι Τιτᾶνες *Titanum* filii erant, in quibus *Acmonius*, a quo ſuo de nomine in Phrygia condita Urbs *Acmonia* Stephano de Urb. p. 20. traditur, *Urani* pater fertur, quem ideo ab Ἡλίῳ Sanchoniathonis indiſtinctum habet; ab *Urano* progenitus *Chronus*, ſive *Saturnus* filios habuit *Jovem*, qui Minori in Aſia regnare perrexit, ac *Teutatem*, de Celtica *Teut*, ſive *Tat*, qua *Pater Populi* ſignificatur, voce adpellatum, qui regnum in Europa obtinuit. Aſt enim Bocharto in Geogr. Sacr. Par. I. lib. 1. cap. 1. p. 1. ſqq. *Noachus* eſſe *Sa-*

tur-

turnus, hujuſque filius *Jupiter* idem ac *Chamus* filius illius creditus eſt: at Par.II. lib.2. cap.2. p.705. ſqq. in *Saturno*, ac *Betylo* filio deſignati *Abrahamus*, filiuſque *Iſaac* viſi ſunt; e Chananaea vero, ſive Phoenice primam in Europam fuiſſe Coloniam eductam cenſuit. Cumberlando in Hiſt. Sanchon. *Uranus* aeſtimatus eſt *Noachus*, *Chronus*, ſive *Saturnus* idem, ac *Chamus*, *Chus* eſt *Belus* &c. Auctores Angli Hiſt. Univ. T.II. P.I. cap.2. edit.Ven. p.90. ſqq., Obſerv. p.123. ſqq., cum Sanchoniathone, & Cumberlando facientes *Uranum* interpretati ſunt *Noachum* & ipſi, *Chronum* vero *Chamum*, Atlantem Mauritaniae Regem, *Dagonem* Philiſtinorum Deum, *Betylum* a בתל *Betel* derivatum: qua poſt ab opinione diſcedentes, ad Pezronium accedere maluere, veluti paullo ſuperius indicatum eſt. Fourmontio in Reflex. Critic. ad Hiſt. Veter. Popul. lib.2.cap.2. ſqq. p.61. ſqq., & p.88. ſqq. *Uranus* eſt *Thare*, Chronus, ſive *Saturnus Abraham*, *Betylus* idem, ac *Batuel*, *Dagon* incognitus, *Atlas*, ſeu *Atolas Loth*, *Sadid*, ſive *Zeus*, aut *Jupiter Iſaacus*, *Typhon Jacob*, *Oſiris Eſau*. Cap.16. ſqq. p.136. ſqq., & cap.19. ſqq. p.157. ſqq. ab *Eſau* poſteris ex Idumaea, ſeu Arabia Petraea Colonias in Africam per Mare Rubrum, ac in Indiam uſque Sinas per Oceanum, in Aegyptum, & Aethiopiam, in Phoenicem, in Scythiam, & Colchidem, in Thraciam, ac Mediterranei Maris Inſulas &c. fuiſſe tranſplantatas opinatur. Goguetius viciſſim de Origine Leg., Art., & Scient. T.I. Par.I. lib.1.cap.5. p.60. ſqq. a *Titanaea* ſtirpe, quam ex libris Moyſis a Sanchoniathone fuiſſe deſcriptam, ſub hiſque veteres latuiſſe Hebraeorum Patriarchas, quod Huetio, Cumberlando, Fourmontio, Lavaurio &c. perſuaſum fuerat, ipſe inficiatur in diſſert. 1. ad Sanchoniathonem in calce T.I. p.359. ſqq., quamque idcirco ſtirpem in obſcuro relinquere, quam temere de eadem quidquam definire, mavult, a *Titanaea*, inquam, ſtirpe ab Aegypto, ſeu ab Arabia, ſive ab Aethiopia primas in Aſiam Minorem, Africam, Europam, & Graeciam eductas fuiſſe Colonias haud dubitandum exiſtimavit: teſtimoniis ideſt confiſus Herodoti lib.1. cap.50., ac Diodori lib. 1. p. 109, qui ab Aegypto primum Deorum cultum *Saturni*, *Jovis* &c. in Graeciam fuiſſe translatum referunt; Diodori rurſus lib. 5. p.374. ſqq., & p.381. ſq., ac Pauſaniae in Corinth.

rinth., ſive lib.2. cap. 11. p.136, qui a *Titanibus* omnium primis Scientiarum, & Artium elementa Graecos didiciſſe perhibent: quod argumento eſt primos ex Aegypto Colonos in Graeciam fuiſſe deductos. *Titanes* viciſſim pridem *Totanim* dictos, mutata D in T initiali, haud alios fuiſſe, quam Moſaicos *Dodanim*, indeque Dardanos, poſtea Phryges dictos, ex hiſque Cretenſes originem duxiſſe, ac inter hos celebres extitiſſe *Curetes*, *Dactylos*, *Corybantes* &c., quos perperam Celtarum Sacris praefectos fuiſſe cenſuit Pezronius, opinatus eſt Vir Cl. Mazochius in Sylvarum Phaleg. Par.II. ad Spicilegii Bibl. calcem ſect. 6. p. 281. ſqq., ubi eam multis, e Strabone quammaxime Geog. lib. 10. in Digreſſione Curetica p. 472. ſqq. ductis, confirmare conjecturis ſatagit.

IV. Ut ut hiſce tamen lucem adfundere Viri alioqui Doctiſſ. adnixi ſint, tot adhuc obſita tenebris jacent, ut Mythologis integra relinquere ſatius, conſultiuſque longe ſit, quam certo cum erroris diſcrimine in ea diutius inveſtigare. Geminae itaque, (ut de fabulis refertiſſima, omniumque prima *Bacchi*, quem a *Nimbrodo* indiſtinctum habet, eamque ideo ad huncce referendam exiſtimat Vir Doctiſſ. Mazochius in Spicilegio Biblido diſſert. 5. Παρασκιάσμη ad Gen. x. p. 203. conjectura inde capta, quod *Bacchus* idem ac בר כוש *Bar-Chus*, ideſt *Chuſi* filius videatur, *Indica* Expeditione nihil temere ingeram), geminae, inquam, alteri faciendus heic locus Gentium tranſmigrationi, quarum unius dux *Atlas* fertur, *Hercules* alterius; de utriuſque etſi veritate, aetateque haud magis undequaque conſtet. Atque principio de *Atlante* multi multa fabulati paſſim leguntur; hunc namque unum, eumdemque cum *Enocho* fecere Alexander Polyhiſtor, ac Eupolemus apud Euſebium Praep. Evang. lib. 9. cap. 4. *Belum* I. haud a *Saturno* diſtinctum, a quo *Belus* II, & *Chanaam* exorti fuerint, adfirmantes; *Neptuno* genitum *Atlantem* e contra dixit Plato in Critia, & Timaeo, fratremque *Gadirum* habuiſſe; *Urani*, ſive *Caeli* filius, *Saturni* frater *Atlas* ſcribitur aliis, ut Sanchoniathoni in Annal. Phoenic., ac Philoni Byblio apud Euſebium Praep. Evang. lib.2. cap.4, ubi ab *Atlante* filiae ſeptem *Atlantides* enatae, ac Senior ipſarum *Maja Jovi* conjuncta *Mercurium* procreaſſe, feruntur; aliis vero

ro *Deucalionis* filius habitus eſt, ut Apollodoro lib. 1. p.6., & 24, ac Heſiodo in Theogonia, apud quos *Atlas* Coloniam in Mauritaniam eduxiſſe fertur, quo perinde de nomine Mons, Regio, Mare, Populus adpellationem hauſerint, hic *Atlas*, iſthaec *Atlantis*, illud *Atlanticum*, iſte *Atlantes*, queis de Hornius de Orig. Gent. Americ. lib.2. cap.6. p. 84. ſq. Aliis viciſſim ab *Atlante* Colonia in Italiam educta creditur, in Aetoliam aliis. Nempe a *Titane*, ſive *Caelo* ex Terra genitus fertur *Japetus*, a quo in Theſſalia ex *Aſia* Nympha procreatus fuerit *Atlas*, qui ex *Plejade* & ipſe Majam, Taygetam, Electram, Celaenonem, Meropem, & Alcyonem procreaſſe traditur apud Wolfangum Lazium in Graecia Antiq. lib.1.cap.9.Antiq.Graec. T.VI. p.3513. Tres *Atlantes* diſtinguendos fore docuit Servius Aen.8. *Maurum*, qui antiquior, ac maximus, *Italicum*, qui pater *Electrae* fuit, unde natus *Dardanus* fertur, & *Arcadicum* patrem *Majae*, e qua genitus *Mercurius* eſt, quem cum *Mauro* confudit Virgilius. Atque de *Mauro* quidem antiquiore *Atlante* loquutus Heſiodus in Theog., eum a *Japeto* ex Conjuge *Oceanide* genitum *Clymenem* genuiſſe refert: quod ipſum tradit Ovidius Metam. lib.4. Eumdem *Titanum* in bello adverſus *Jovem* fuiſſe ducem ſcripſit Hyginus Fab.150. Primum viciſſim Arcadiae Regem fuiſſe, *Saturni* filium, atque *Cecropi* aetate ſupparem perhibet Dionyſius Halic. lib.1. p.36. edit. Baſil. 1549; cum quo faciunt Clemens Alex., Tatianus, & Euſebius apud Voſſium de Mathem. cap.30. §. 19. p.135; ſecundum fuiſſe *Janum* colligit ex Macrobio Saturn. lib.1. cap.23. Blanchinius in Hiſt.Univ. deca 3. cap.24. p.307; eumque patrem fuiſſe *Electrae*, quae *Dardani* Mater fuit, Trojanorum Regis primi; tertium fuiſſe Patrem *Majae*, e qua genitus eſt *Mercurius*, Tullio quartus, docet loc.cit. Servius: quos ideo tres aetate ferme ſuppares fuiſſe conjicit eodem loci Blanchinius: cui in ſententia praeivit de aetate quidem Petavius, qui tamen unum *Promethei* fratrem, ac *Japeti* filium *Atlantem* agnoſcit Ration. Temp. Par.I. lib.1. cap.4. p. 15. ſq. Quartus *Atlas*, idemque Libycus, ſeu Aegyptius, qui fuerit *Saturni*, ac *Promethei* frater, *Caeli*, ſeu *Urani* filius, *Heſperidum* pater, additur Sanchoniathoni, ac Philoni Byblio apud Euſebium Praep. Evang. lib.1. cap.7, Diodoro lib.4. cap.5., & lib.5.

cap.2,

by Google

cap.2, ac Tzetzi Chil. 5. Hiſt. 1. Ab eo Aſtrologiae peritiſſimo, omnium primo, Sphaeram fuiſſe repertam perhibent Diodorus loc.cit., Plinius lib. 2. cap. 8, & lib. 8. cap. 56, Cicero Tuſcul. lib.5, & Clemens Alex. Strom. lib.1.p.132. edit. Sylburgi, Potteri Ven. T.I. p.360: unde profectam de Caelo *Atlantis* humeris impoſito fabulam diu pridem obſervarunt Ariſtoteles de Commun.Animal. cap.3, Diodorus loc.indic., Pauſanias lib.9, Vitruvius lib.6.cap.10, Servius Aen.1.v.741, Clemens Alex. loc.cit., S.Auguſtinus de Civit. lib.18. cap.8, ibique Vives; atque videndus, qui de *Atlante* multa congeſſit, Bernardus Aldrete Canon. Eccl.Cordub. in Antiq. Hiſp., & Afric. lib.4.cap.10. ſqq. p.534. ſqq. Unum viciſſim fuiſſe, eumque *Heſperi*, *Promethei*, *Epimethei*, & *Buphagi* fratrem, aetate *Cecropi* juxta alios aequalem, juxta alios *Cecrope* annis 60, aut 90. anteriorem, ſcribit Euſebius in Chron. ad an. Abrahami 431. p. 174. Cum Euſebio convenit Rychius in Diſſert. de Primis Italiae Colonis ad Stephani calcem de Urb. cap. 2. p.409, ab *Atlantis* filio *Auſone* Coloniam annis 384. ante Trojae excidium ductam in Italiam autumans. Unum, eumdemque viciſſim *Atlantem* cum Abrahami Nepote *Loth*, longeque ideo antiquiorem fuiſſe multis contendit Fourmontius in Reflex. Crit. ad Hiſt. Vet.Popul. T.I. lib. 2. cap.2. p.65. ſq., cap.10. p.92, & cap.29. p.207. ſqq., quae facilem ab omnibus haud aſſenſum extorqueant. Multoque minus, quae Bochartus in Geogr.Sacr. Par.I. lib.2. cap.13. Oper. T.II. p.88. ſqq., quem ideo recte eo loci refellit Fourmontius, congerit, ut perſuadeat unum, eumdemque eſſe Virum Aſtronomiae inventorem *Enochum* Hebraeis, *Annachum* Ethnycographo Stephano V. Ἰκόνιον p.145, *Chanacum* Herodi Jambographo apud Eraſmum in Adag.Chil.2. Cent.8. Adag 19, *Nannachum* Suidae in Lex. T.II. p.595, *Atlantem* Eupolemo apud Euſebium Praep. Evang. lib.9. cap. 4, *Idrim* Arabibus iu Tarik Schikardi p. 24, *Durim*, ſive *Dyrim* Poenis apud Strabonem lib.17, ac Plinium lib.5. cap.1. Sed enim haec adeo incerta, fluxaque omnia, ut non ſit plane, ubi tuto pedem figere liceat, certumque Hiſtoriae, ac Chronologiae filum ducere.

V. Neque de altera ab *Hercule* ducta Colonia certiora conſtant, cujuſce de ſiquidem origine, antiquitateque nihil co1-

ſtet certo : quo de tamen opportuniori dicemus in loco, quum de Aegyptiorum, Aethiopum &c. Aeris ſermo erit, ubi de Colonis in Africam ab *Hercule* ductis nonnulla attingemus. Vulgata quidem opinio fert ab Aegypto primos in Orbem Colonias fuiſſe transductas, atque primam utique, quae memoriae prodita fuerit apud Euſebium in Chron. ad annum Abrahami 500. Oper. S. Hieronymi T. VIII. p. 194, ab *Hercule* cognomento *Deſinao*, quem ab Aegyptio *Hercule* indiſtinctum putat, aetate *Atlanti* ſuppare, in Phoenicem emiſſam Coloniam opinatur Bochartus in Geog. Sac. Praefat. Oper. T. II. p. 326. Aſt enim principio crucem Viris doctis fixit locus iſte; Phoenicibus enim, Philone Byblio teſte apud Euſebium Praep. Evang. lib. 1. cap. 7. Μελκάρθος *Melcarthus* dicebatur, ex מלך קרתא *Melec Kartha*, ideſt *Rex Urbis*, hoc eſt *Tyri*, conflatus, qui Graecis *Melicertes*, ſive *Palaemon*, ideſt *Maris Deus*, Cadmi Nepos fictus eſt; Amathuſiis in Cypro מליך *Malic* dictus apud Heſychium in Lex., quo nonnihil immutato nomine *Amalech* indicatur, adeo ut *Amalechita* genere, ex Nepote ideſt *Eſau*, fuerit *Hercules*, viſus eſt Tournеminio in Adpend. II. ad diſſert. XI. de Aſſuero Eſtheris Marito Oper. Menochii T. II. edit. Ven. p. 431. ſq. Ad haec pro *Deſinaus*, Heſychius legit Δορσάνης *Dorſanus*, quem Indum fuiſſe Herculem indicat. Syncello in Chronog. p. 153. edit. Pariſ., Ven. p. 122. Διβδάς legitur dictus, eoque nomine *Dibdan* ad hunc uſque diem a Cappadocibus, & Elienſibus celebrari. Scaligero in Graec. Euſeb. p. 526. Διώδας, Mariano *Doſenaus*, Bocharto lib. 1. cap. 24. p. 472. *Diodan* legendus videtur, quod cognomen a Phoenicibus inditum putat, quia invocabatur a Procis, & ex illius Numine pendere felix putabatur ſucceſſus in amoribus. Vallarſius denique in Not. ad Euſeb. loc. cit. Herculem *Deſenaum* adpellatum conjicit ex nomine *Heſionae* Laomedonis filiae, quam a Ceto eodem, quo Argonautae Colchos ibant, anno liberaverat, qua de Strabo lib. 13. p. 891, Hyginus Fab. 31, & 89, ac Palaephatus c. 38.

VI. Ut ut haec de *Hercule* ſe habeant, prima iſthaec Coloniarum haberi deportatio nequit. Praeterquam enim plura *Herculi* fuiſſe oppido cognomina obſervat Gyraldus cum in Hiſtor. Deor. Syntag. 10. Oper. T. I. p. 324. ſqq., tum in Herculis vita p. 571. ſqq., qualia fuere *Ogmion*, *Belus*, *Charops*, *Conopion*, *Ipo-*

Ipoctonos, *Rhinocoluſtes*, *Polyphagus*, *Addephagus*, *Buthinas*, *Philopotis*, *Gylius*, *Olympius*, *Cynoſarges*, *Alexicacus*, *Chomiſdaetes*, *Phyllites*, *Callinicus*, *Promachus*, *Heryllus* &c., ut alia pleraque a locis, ubi coli ſolebat, petita ſileam, quorum interpretationem eodem loci Gyraldus late perſequitur, quaeque ſane uni eidemque congruere haud facile queunt, hoc plane *Herculis* nomine plus quadraginta diſtinxit Varro, ſex omnino diſtinguendos monuit Cicero de Nat.Deor. lib.3. p.245, & poſt ipſum Marshamus in Can.Chron. Seculo XI.p.302. ſqq.. primum ex *Jove*, & *Liſyto* natum, cui cum *Apolline* de Tripode certamen fuit; ſecundum de *Nilo* genitum Aegyptium, qui Phrygias conſcripſiſſe litteras fertur; tertium ex *Idaeis Dactylis*, ideſt e primis Cretae Incolis ad Montem Idam ortum, cui Inferias afferunt; quartum *Jovis*, & *Aſteriae*, Latonae Sororis, filium, qui Tyriis maxime colitur; quintum in India, qui *Belus* dicitur; ſextum ex *Alcumena* a *Jove* genitum, qui *Jupiter* tertius fuit. Quatuor ſtatuit *Hercules* Arrianus de Exped. Alex. lib.2, & 4. Aegyptium, Tyrium, Graecum, & Indum in Indicis. Tres Diodorus lib.3. Aegyptium, Creticum, & Thebanum. Duos Herodotus lib.2. Aegyptium, & Graecum. Jungendus Pauſanias, qui in Eliacis prior., ſive lib.5. cap.7.p.392. *Herculi* Idaeo Olympicorum inſtitutionem tribuit, & in Phocicis, ſive lib.10.cap.13. p.830. Aegyptio *Herculi* cum Apolline fuiſſe de Tripode certamen adfirmat. Itaque ſi *Hercules* ille *Deſinaus* ſive quintus fuerit *Indus*, ut Ciceroni, & Heſychio videtur, ſive quartus *Tyrius*, aut *Phoenix*, ut Megaſtheni, Arriano, & Euſebio traditur, is ſub Cecropis exitu, ac Moyſis anno 80. vitam traduxiſſe ab Euſebio ſcribitur, ante quem longe pridem, Moyſis ideſt anno 10, ut habet Euſebius in Chron. ad an.460. Abrahami, & a quo longe diverſus floruit *Hercules* Aegyptius, a quo in Libya primum *Antaeus* luctae victus certamine fertur, & Agon *Olympius* fuiſſe conſtitutus, a quo uſque ad primum Olympiadem anni 430. ſupputantur. Quae tamen hoc loci habet Euſebius de Olympiadum inſtitutione annis 360. fore differenda, velut ipſe poſtea ad annum Abrahami 810. p.278. facit, recte obſervat Vallarſius: *Jairo* ſiquidem Judice Olympici fuerint Agones inſtituti. Quam denique perperam cum Phoenicio a Bochiarto *Hercules* Aegyptius

 confu-

confuſus fuerit, inde pateſcit, quod, ipſo ſatente, *Herculis* Aegyptii pugna cum *Antaeo* in extrema Libya Rege Argonautarum expeditione annis plus trecentis prior fuerit, cui aequalis fuit alioquin, Euſebio perhibente, *Hercules* ille *Deſinaus*, Phoenix ipſi Bocharto reputatus. Aegyptium poſtremo *Herculem* patria lingua *Chon* dictum, una cum *Oſiride*, ingentique Coloniae manu in Italiam veniſſe, eamque a tyrannide liberaſſe, ſuoque de *Chonis* Italiae nomen indidiſſe, & *Chones* Populos, & *Chonem* Urbem, cujus & Strabo lib. 6. p. 254. ſq. meminit, & Stephanus de Urb. in Χώνη p. 359, & Lycophron v. 983, in Bruttiis ſitam nomen accepiſſe memoriae prodidere Antiochus Xenophanis, & Phavorinus in Lex. V. Χῶνις. Quamquam ex Etymologo Magno, Euſebio in Graecis Scaligeri p. 14, ac Syncello in Chronog. p. 54. edit. Pariſ., Ven. 43. ex *Chone* Hercule Aegyptio Regionem *Cochonem*, ſeu Urbem eam in Aegypto eſſe, quae in Hiſtoria Moyſis *Goſen* adpellata legitur, eſſeque *Heracleopolim* in Aegypto, Herculi dedicatam, eumque *Dſom*, *Som*, aut *Dsiom*, qui aliis *Desinaus* vocatus legitur, qua veteri Aegyptiaca lingua *Potentia*, ſive *Robur* deſignatur, autumat Jablonſkius in Diſſert. 7. de Terra Goſen §. 3, & in Pantheo Aegypt. lib. 2. cap. 3. §. 3. p. 186. ſqq. Quam vocem *Chon* Aegyptiam cum voce Phoenicia *Chna*, a Stephano p. 358. recte diſtincta, perperam confudit Huetius Demonſ. Evang. Prop. IV. de Libro Joſue §. 14. edit. Ven. T. I. p. 211, ipſumque pone ſequutus Tourneminius in Tract. de Origine fabularum, ut inde ex *Chna* faceret uterque Chananaeum, ex Aegyptioque *Herculem* unum, eumdemque cum Phoenicio refingeret, hunc ab illo diſtinguendum, ut hactenus oſtendimus. Ei nempe, ſicut & Voſſio de Idol. lib. I. cap. 16, ac Jaquelotio de Exiſt. Dei diſſert. I. cap. 9. T. I. p. 216. in uno *Hercule* unus, idemque *Joſue* viſus eſt, cui ideo cuncta, quae de *Hercule* referuntur, geſta aptare nititur; cujuſmodi ſane geſta veri longe ſimilius a S. Auguſtino de Civit. lib. 18. cap. 19, ejuſque veſtigia preſſe ſequuto Lavaurio in Hiſt. Fabul. T. II. edit. Ven. p. 3. ſqq., *Sampſoni* accommodata videre licet, adeo ut quae de *Sampſone* ſacris in litteris referuntur, ad *Herculem* referre tum primum Aegyptii, tum poſtinde Phoenices, tum poſtremo Graeci ſtuduiſſe S. Auguſtino viſi ſint. De Graeco *Hercule*, ejuſque genealogia, deque

deque *Heraclidarum* expeditionibus, unde Chronologiae haud modica adfulget lux, dicam affatim infra.

VII. Ut ut attamen iſta longe ab hominum cognitione ſepoſita ſe habeant, primas omnium ex Aegypto in Aſſyriam, & Africam emiſſas fuiſſe Colonias vulgatiſſima fert opinio. Aegypto namque a Paſtoribus, ii ſive Iſraelitae fuerint, ſive Phoenices, ſive Aethiopes, occupata, veterum Indigenarum pars ingens ſolum vertere, novaſque ſibi quaerere ad inhabitandum ſedes coacta eſt. Et de Coloniis utique tum ab Aegypto deductis librum, qui periit, ſcripſiſſe Iſtrus traditur a Conſtantino Porphyrog. de Themat. Par.I. lib.1. Them. 15. Byzant. T.XXII. p.17. ſq. edit. Pariſ., Ven. p.13. ſq., ac Diodorus lib. 1. p.17, qui aliquas illorum Ἀποικίας habet, ab Aegyptiis Colonias plurimas in terrarum Orbem fuiſſe diſſeminatas perhibet, atque in Aſſyriam Colonos ductos a *Belo* Aegyptio, *Neptuni*, & *Libyae* filio, qui perperam a Cicerone quintum detruſus in locum fuit, diſtinctuſque a ſecundo, qui Phrygias conſcripſit litteras, a quove poſita ad Euphratem ſede ad morem Aegyptiorum Sacerdotes fuerint inſtituti, deque Aſtronomia edocti. Diodoro paria habet Heſtiaeus apud Joſephum Antiq. lib.1. cap.5, utrique vero conformis Pauſanias in Meſſen., ſive lib.4. cap.23. p.337. a *Belo* Aegyptio originem nactum fuiſſe *Belum* Babylonium ſcripſit. Verum, ut de *Beli* frequentata apud Ethnicos adpellatione, generali nempe Deorum, qua de alibi dicere me abunde memini, nihil dicam, a *Belo* II. Aſſyrio, *Nini* Patre, non modo diſtinguendus eſt *Belus* Aegyptius, ſive Phoenix, ſed *Belo* I. Babylonio longe recentior eſt. Babylonius ille *Belus* enim ideo Aeliano lib.13. cap.3. Ἀρχαῖος *Antiquus* dictus, idem cum *Nimbrodo* Babylonis conditore diſerte habitus eſt Alexandro Polyhiſtori apud Euſebium Praep. Evang. lib.9. cap.4; *Belus* vero Aegyptius *Neptuni* filius, *Agenoris* frater, *Aegypti*, ac *Danai* pater longe poſt floruit, ab eoque longa poſt temporis intercapedine ducta ab Aegypto in Phoenicem Colonia fuit, unde Phoenicis, ſive Tyrii & ipſi nomen adhaeſit: qua de Colonia ſuo infra loco, videnduſque interea Perizonius in Origin. Babylon. cap.5. p.55. ſqq., & cap.7. p.89. ſqq., ac praeterea Huetius Demonſt. Evang. Prop.IV. cap.10. §.6. T.I. p.160., ubi obſervat *Nimbrodum* ideo

Belum

Belum dictum fuiſſe, quod *Bel* ſignificet *Tempus*, unde Aeliano Var. Hiſt. loc.cit. Ἀρχαῖος, *Antiquus* dictus fuit, Χρόνιος, ſive *Chronus*, ſive *Saturnus* Damaſcio apud Photium Cod. 242. p. 1050, Theophilo ad Autolyc. lib. 3, Servio in Aen. 1, & Euſebio in Chron. Quamquam Diodoro loc. cit. adſtipulati Gyraldus in Hiſt. Deor. Syntag. 2. p. 113. ſq., ac Blanchinius in Hiſtor. Univ. Deca. 2. cap. 20. §. 5. p. 236. ſqq. perſuaſum habuere *Belum* I. filium Chami, ſive Jovis *Ammonis* fuiſſe, ideoque a *Chus* indiſtinctum, ac Patrem *Oſiridis*, ſive *Nimbrodi*, unaque cum eodem filio ab Aethiopia primum in Aegyptum Colonis deductis Regnum ibi filio condidiſſe, inde vero Aegyptiorum, Arabumque collecta manu ſedem prope Euphratem defixiſſe, alterumque Babylonicum ibidem Regnum inſtituiſſe, in quo deinde illum *Nimbrodus* exceperit, ipſis dictus etiam *Ninus*. Sed enim a *Nino* longius *Nimbrodi* diſtitiſſe aetatem alibi oſtendimus, *Beli* vero Aegyptii, ſive Aethiopis tempora longe Babylonico Regno a *Belo* I. condito recentiora eſſe ſupra indicavimus, ut ideo Colonia ab Aegyptio *Belo* in Aſſyriam, Phoenicem ideſt, deducta ſeriorem longe in aetatem detrudenda omnino ſit.

VIII. Primam hanc itaque valdequam obſcuram, incertamque tranſmigratio longe certior, atque notior altera ſubſequuta eſt ſub *Inacbo* Oceani filio, ante Iſraelitarum ex Aegypto egreſſum anno 136, uti Fourmontio in Reflex. Crit. ad Hiſt. Veter. Popul. T. II. p. 195. ſq. viſum eſt. Hanc in Peloponneſum, Iſthmo clauſam Peninſulam, eductam ab *Inacbo* fuiſſe, (cui Regioni *Apiae* primo nomen inditum ab *Apide* poſt Inachum Rege III, deinde *Pelaſgiae* a Rege IV. *Pelaſgo*, poſt *Argolidis* ab *Argo* Rege V, demum *Peloponneſi* a *Pelope* Tantali filio Phryge, teſtis eſt Strabo lib. 7. p. 321,), eductam ab *Inacbo* fuiſſe, inquam, e Phoenice, qua ab Eſau poſteris veteres Regionis Incolas fuiſſe pulſos ferunt, ab eoque prima *Argivi* Regni jacta fundamenta poſt alios putat eodem loci Fourmontius. Aſt enim Freretus in Defenſ. Veter. Chron. adverſ. Newtonum Par. II. de Chronologia Hiſt. Orient. ſect. 2. p. 273. ſqq. ab *Inacbo*, quem Danao anteriorem generationibus 9, ſeu annis 300. facit, ideoque annis 600. ante Trojae excidium, Chiſtianam ante Aeram 1884. floruiſſe colligit, ex Aegypto Coloniam

Digitized by Google

Ioniam in Graeciam fuiſſe deportatam oſtendit ex Caſtore Rhodio, qui Danao imo priorem annis 380. *Inachum* adſtruit, nec non ex Ptolomaeo Mendeſio apud Clementem Alex., qui annos 300. *Inacho* tribuit ante Cadmum. Ex *Inachi* voce derivatum obſervans demum *Anacis* nomen, quo Dii, Reges, & Heroes denominati jamdiu Graecis leguntur, atque Cypriis praeſertim apud Iſocratem in Orat. funebri Evagorae Salaminae Regis. Quo de *Anacis* quoque nomine plura docte Bochartus in Geogr. Sacr. Par. II. lib. 1. cap. 1. p. 345. ſqq. obſervans ex בני ענק *Bene-Anak* Graecis, Hebraeo *Beth* emollito in *Phe*, factum *Phene-Anak*, indeque *Phoenicis* nomen effictum: quo *Anakaei* nomine Phoenicum nobiliſſimos, ac potentiſſimos adpellatos opinatur. Gemini porro hoc *Inachi* nomine Argivorum Reges I, & II. probe diſtinguendi ſunt, qua ex diſtinctione Hiſtoriae, & Chronologiae regnorum, ac rerum Argi, Arcadiae, Laconiae, Meſſeniae, Theſſaliae &c., verbo Graeciae totius quammaxime cognitio dependet, quave diſtinctione neglecta, aut incaute non obſervata, Veteres inter ortae ingentes ſunt diſputationes, atque de annorum 300. circiter ſpatio diſſidia. Ita namque *Inachum* Moyſi ſynchronum fecere Ptolomaeus Mendeſius, Joſephus Hebraeus, Julius Africanus, Clemens Alex., S. Juſtinus, Tertullianus, Tatianus &c. Contra Moyſe antiquiorem *Inachum* annis 300. circiter docuere Caſtor Rhodius, & Euſebius in Chron. p. 118. Euſebium erroris arguere haud veritus eſt ideo Syncellus in Chron. p. 63. ſqq. edit. Pariſ., Ven. p. 50. ſqq.; contra Syncellum vero Euſebium vindicare ſategit Petavius in Animad. ad S. Epiphan. T. II. p. 15. ſq. Inde itaque graviſſima hac in re Chronologica difficultas viſa eſt Ludovico Vives in Schol. ad S. Auguſt. de Civit. lib. 18. cap. 3, Scaligero in Not. ad Euſeb. p. 11, Pichenae in Not. ad Tertull. Apolog. cap. 19. n. 6, aliiſque. Inde neque minus levis inter Chronologos lis, ac diſcordia ſuborta eſt, ex Euſebii calculo ante Moyſem annos *Inacho* tribuentibus 285. Uſſerio in Annal. Vet. Teſt. p. 7. ſq., 295. Scaligero, 325. Petavio loc. cit.; aliis contra, Euſebii ſpretis computis, *Inachum* Moyſi aetate ſupparem agentibus Scaligero in Not., Vallarſio p. 116, Pezronio Antiq. Temp. reſtit. capp. 2, & 8. p. 13. ſqq., & Perizo-

rizonio Aegypt. Origin. p.30. ſq., 186, 279. ſqq., & 313. ſq.

IX. Duos itaque diſtinguendos *Inachos* docuere Hyginus Fab.143, & 145, & Apollodorus lib. 1, & 2. ſub init., indicarunt Dionyſius Halic.lib.1, ac Pauſanias in Corinth., ſive lib.2.cap.15. p.144. ſq., ubi de *Inacho* filio Oceani, & Phoronei patre, ac *Io*, quam *Jaſi* filiam facit, in Atticis vero, ſive lib. 1. cap.25. p.59. filiam *Inachi* facit: quo patet *Jaſum* fuiſſe *Inachum* II. Juxta haec itaque origine Aegyptius fuit *Inachus* I, a quo Coloniam in Peloponneſum fuiſſe deductam ſupra dicebamus, quique Oceani filius, *Nili* ideſt hoc olim nomine, Diodoro lib. 1. cap.12. teſte, adpellati, quo *Chamum* intelligendum nomine ſupra vidimus. Hujus *Inachi* I. filius porro natu minor fuit *Aetius*, iſtiuſque *Lycaon* I, filius natu major *Inachi* I. fuit *Phoronaeus*, a quo *Apis* I. genitus eſt: quo a *Telchine* ob tyrannidem interfecto, Argis regnum obtinuit ipſius nepos ex *Niobe* filia, ac *Jove* procreatus *Pelaſgus* I, a quo ex Argo perinde Colonia in Arcadiam deducta fertur apud Pauſaniam in Arcad., ſive lib.8. cap. 1. p.598. ſq.; quem ideo recte Moyſe antiquiorem facit Stephanus Morinus in diſſert. 1. de Cognatione Lacedaem., & Hebr. p.10, haud rite tamen eumdem *Abrahamum* aetate longe ſuperaſſe, ut ipſe pertendit, cui fuiſſe ſupparem verius putat Capellus. *Pelaſgum* I. quinto *Argus* I. frater excepit loco, Regionique nomen dedit. *Argi* I. filius fuit *Piranthus*, qui & ipſe filium genuit *Triopam*, & hic *Agenorem*, a quo *Crotopus*, ab iſtoque *Sthenelus*, a quo *Gelanor*, qui loco a *Danao*, & a *Lelege* deinde pulſus eſt. *Argi* I. filius alter fuit *Phorbas*, ex quo genitus *Triopas* in regno ſucceſsit, iſtoque geniti *Agenor*, & *Inachus* II, *Piraſus* aliis dictus, *Jaſus* Pauſaniae in Corinth. lib.2. cap.16. p.145, *Criaſus* Euſebio in Chron.p.162, & Syncello p.119, qui patri *Triopae* in regno ſucceſſit juxta Pauſaniam, *Argo* vero juxta Apollodorum lib.2. ſub init., Euſebium, atque Syncellum; juxta Hyginum vero *Argo* ſucceſsit *Piranthus*, iſti *Phorbas*, iſtique *Triopas*, poſt quem filius *Xanthus* ex Argolide Coloniam in Lyciam, ac deinde in Leſbum Inſulam duxiſſe fertur Diodoro lib.5.p.346, filiuſque alter *Inachus* II. Argis Rex VIII imperavit: quo maſcula abſque prole defuncto, in Argivo regno, Pauſania referente, ipſum exce-

excepit ex *Agenore* fratre nepos *Crotopus*, iſtumque deinde filius *Sthenelus*, cujuſce in filio *Gelanore* demum *Inachidarum* ſtirps finem accepit, regno in *Danaum* translato, quo de fuſius ubi de Argivis Regibus ſermo inſtituetur. *Inachus* II. porro filiam genuit *Io*, Aegyptiis *Iſidem*, a qua ex *Jove* procreatus, *Epaphus*, Aegyptiis *Apis* II. dictus, & ipſe ex *Memphi* uxore *Libyam* filiam habuit, quae *Neptuno* geminos peperit filios *Agenorem*, ac *Belum*, quorum prior in Phoenicem ex Aegypto profectus, illic regnum fundavit; poſterior Aegypti Rex ex *Anchinoe* uxore, *Nili* filia, filios genuit *Aegyptum*, ac *Danaum*. Filius *Aegypti* fuit *Lyncaeus* pater *Abantis*, qui filios & ipſe habuit *Pretum*, & *Acriſium*. E poſteris *Preti*, Trojano profligato bello, *Anaxagorae* Regnum in *Oreſtem* Pelopidam, *Agamemnonis* filium, translatum eſt. Ab *Acriſio* vero progenita *Danae* ex Marito *Perſeo* II, a quo Argivi Regni pars ſua *Mycaenem* translata fuit, genuit & ipſa inter alios *Alceum*, a quo progenitus *Amphitrion* uxorem duxit *Alcmenam*, ex eaque *Herculem* procreavit, e quo deinde *Heraclidae*, quo de Apollodorus lib.2, Diodorus lib.4. p.181. ſq., Pauſanias in Corinth. lib.2. cap.16. p.145, & in Arcad. lib.8. cap.14. p.627, ac Euſebius Praep. Evang. lib.2. cap.2. Jam vero *Danao* quinquaginta fuiſſe filii feruntur, e quibus in Argivo Regno, quo *Gelanorem* pepulit, eidem ſucceſſit *Lyncaeus* nepos, *Aegypti* filius. *Agenor* filios habuit *Phoenicem*, *Cilicem*, & *Cadmum*, queis de infra. Rurſus a *Pelaſgo* I. genitus eſt *Lycaon* II, cujuſce filii fuere *Nictymus* patris in Regno ſucceſſor, *Enotrus* natu minimus, a quo Colonia, e Graecis prima, teſte Pauſania in Arcad., ſive lib.8. cap.3. p.603, in Auſoniam Italiae partem inducta eſt; *Peucetius*, a quo Colonia altera in Japigiam partem Italiae alteram deducta fertur; *Calliſto* filia, e qua genitus eſt *Arcas*, qui Arcadibus ortum fecit, aliique filii oppido plurimi, a quibus Regiones, Urbeſque qua conditae, qua occupatae, propriiſque de nominibus adpellatae Pauſaniae loc. cit. p.601. ſqq. memorantur, quorum de aliquibus infra. Ad haec *Inachi* II. filius alter natu minor fuit *Priaſus*, qui filios & ipſe procreavit *Pelaſgum* II, *Phtium*, a quo Phtiotidis, & *Achaeum*, a quo Achaja nomen accepit. A *Pelaſgo* II.

geniti ſunt *Cloro-Emon*, e quo Pelaſgia deinde *Emonia* denominata eſt; *Theſſalus*, e quo eadem Regio deinceps *Theſſalia* dici cepit; & *Graecus*, e quo poſtea mutato nomine *Graecia* adpellata eſt: qui *Graecus* poſtinde ab *Hellenibus* loco pulſus novas Graecorum Colonias in Aegei, Jonii, & Adriatici Maris Inſulas intulit: queis de Genealogiis poſt Pauſaniam plurima Blanchinius prae aliis perſequitur in Hiſt. Univ. Seculo, & cap. 22. p.268. ſqq., noſque fuſius infra ſq. Cap., quum de Graecorum Epochis ſermo fiet, de Colonia vero ab *Epapho* e Graecia in Aegyptum educta paullo poſt hoc ipſo Cap. agemus.

X. Ad Colonias nunc alias reflectendo gradum, altera huicce ab *Inacho* I. deductae jungenda Colonia, quae ab *Ephyra* Oceani filia, & *Inachi* I. ſorore in Corinthi Regionem inlata fertur. Auctor videlicet eſt apud Pauſaniam in Corinth., hoc eſt lib.2. capp.1, & 3. p.110, & 119, Eumelus in Corinth. hiſtoria *Ephyram* primam in iis finibus conſediſſe, Urbique *Ephyrae*, Regioni vero *Ephyraeae* nomen feciſſe: quod ipſum traditur Euſtathio in Iliad.β, Stephano de Urb. p.124, ubi plures *Ephyrae* nomine diſtinguendas Urbes, Regioneſque docet, ipſoque diligentior Strabo lib.8.p.338. ſeptem diſtinguit *Ephyras*, queis ex Stephano, ac Pindari Scholiaſte duas adhuc addendas obſervat Holſtenius ibid., ac Plinio lib.4. cap.4, unde celebres apud Claudianum *Ephyrae* dicatae puellae *Ephyrejades*. Verum a *Siſypho* Aeoli filio condita *Ephyra* fertur Apollodoro lib.1. p.22, poſtea *Corinthus* adpellata de *Corinthi* Maratonis filii cognomine refertur Pauſaniae loc. cit. Longe celebrior hancce ſubſequuta eſt altera, quae ab *Ogyge* in Boeotiam, & Atticam educta Colonia fertur Straboni lib.9. p.397, Varroni de Rom. Republ. lib.3. cap.1, Demoſtheni in Neaeram p.737, & Servio ad Eclog.6, ab Aſia nempe in Europam, non e converſo, ut nuperi Graeci Scriptores jactant ab Europaeis Graecos Aſiaticos originem duxiſſe, qua de re fuſe Loeſcherus in *Jon*, ſive Originum Graec. reſtaurat. lib.1. cap.2. ſq. p.15. ſqq., & lib.2. cap.1. p.73. ſqq., ubi Graecos veteres ante Herodoti aetatem, hoc eſt ante Chriſtianam Aeram anno 484, Jones, Pelaſgos, Leleges, Caucones, Dryopes, Bebryces, Aones, Hyantes, Dolopes, Danaos, Myrmidones &c. vocari conſue-

ſueviſſe adnotat, ab Aſia, inquam, in Boeotiam primo, ac perinde in Atticam *Ogygi* ſecunda poſt *Inachum* I. translata Colonia traditur ab Hellanico, Philocoro, Caſtore, Alexandro Polyhiſtore, Thallo, Diodoro &c. apud Julium Africanum, ex quo Euſebius Praep. Evang. lib.10. cap.3, ex iſtoque Oroſius lib.1. cap.7, Ludovicus Vives ad S. Auguſt. de Civit. lib.18. cap.8, aliique, queis adjungendi Iſaacius Tzetzes ad Lychrophon., ubi *Ogygem* Neptuni, & Aliſtrae filium adfirmat, Scholiaſtes Apollonii ad lib.3, quo loci Boeoti filium *Ogygem* facit: eum vero in Boeotiam primum Coloniam tranſplantaſſe docent Varro loc. cit., Lutatius ad Statii Theb.1, Strabo loc. cit., Apollonius Argon.lib.3, ibique Scholiaſtes, Etymologus, Pauſanias, Stephanus &c.; in Atticam etiam ab *Ogyge* Coloniam eductam, quae *Acte* prius, deinde *Ogygia* dicta fuerit, diſcimus ab Etymologici Auctore, Charace apud Stephanum de Urb. p.361, Tzetze ad Lycophron. in Caſſandra v.111, ubi ab *Actaeo* Rege deinde *Atticam* denominatam obſervat, Plinio lib.4.cap.7, ac Theophilo ad Autolyc.lib.3, quem tamen emendat Meurſius de Regibus Athen. lib.1.cap.3. Antiq.Graec.T.IV.p.1024. ſq. Juxta Scriptores jam vero ſupra laudatos ab *Ogyge* translata utique Colonia iſthaec fuit anno 1025. circiter ante Olympiadem I; *Ogygis* vero anno 26. a condita Eleuſine celebre in Attica, & Boeotia contigiſſe Diluvium fertur, quo Boeotia, & Attica Incolis orba, annis 189. juxta Africanum, 199. juxta Euſebium, 200. juxta Cedrenum, Regibus orbata uſque ad *Cecropem* manſerit. Ab his diſcrepant Julius Africanus Chron. lib.3. apud Euſebium Praep. Evang. lib.10. cap.3, S. Juſtinus Orat. ad Gent., Tatianus Orat. contra Graec., Clemens Alex. Strom. lib.1, Euſebius ipſe loc. cit., S. Auguſt. de Civit.lib.18. cap.8, Syncellus in Chron. p.149. ſq. edit. Pariſ., Ven. p.118. ſq., Cedrenus &c., *Ogygem* quidem *Phoroneo* Inachi I. filio, Argivorum Regi II. aetate ſupparem facientes, qua in ſententia ipſis praeceſſerant Juſtus, ac Joſephus rerum Judaicarum Scriptores, Appion in libro adverſ. Judaeos, ac Polemon lib.1. Hiſt. Graec. apud Syncellum loc. cit., praeter eos, quos paullo ſuperius longe antiquiores Scriptores allegavimus, ſed utrumque *Inachum* I. hoc eſt, & *Ogygem* Moyſi pariter ſynchronos

 fuiſſe

fuiſſe putantes. Qua in re Patres hoſce profecto ſecummet pugnaſſe, ingentique peccaſſe annorum 200. amplius metachroniſmo, quot nempe ab *Ogyge* uſque ad Moyſem annos decurtarunt, ex ignorata duplicis *Inachi* diſtinctione, ex ſuperius adnotatis liquido adparet. Porro inter *Japheti* filios *Magog*, & *Javan* memorati leguntur Gen.x. 2, a *Javano* Aſiae Minoris Populos ortum duxiſſe, unde *Jaones* Homero Iliad. N. v. 685, *Jannes* Heſychio, *Jades* Harpocrationi, *Jones* Graecis derivati ſunt, vocabulo facto communi Atticis, Boeotis, Achaeis, Macedonibus, Deliis &c., ex Ezechielis XXVII. 13, Danielis VIII. 21, Paraphraſta Chaldaeo ad Gen.x. 2, Joſepho, Heliodoro lib.7. ſq., Aeliano de Animal. lib.11. cap.27, Herodoto, Plutarcho in Theſeo, Strabone lib.9. ſq., aliiſque oſtendit Bochartus in Geogr. Sacr. Par.I. lib.3. cap.3. p.153. ſqq.; ac poſt ipſum Mazochius in Sylv.Phaleg.Par.I.ſect.4.p.244.ſqq. A *Mago* vero, & *Gog* parum diſcrepare *Ogygis* nomen nemo non videt: quo fit, ut ab Aſia Majori ducta in Minorem ab *Ogyge* Colonia videri facile queat. Id explicite tradit ex Charace Stephanus de Urb. p.361; quin ab Aegypto Coloniam ab *Ogyge* deductam ex Damaſcio in vita Iſidori Philoſ., ubi ab Aſclepiade Philoſopho Aegyptio Hiſtoria conſcripta rerum Agyptiacarum, & Ogygiarum memoratur, docere videtur Suidas V. Ἡραΐσχος Lex. T.II. p.67. ſqq., qui & Aegyptium genere *Cecropem* deinde dicit V. Κέκροψ p.291. ſq., ruſuſque V. Προμηθεύς T.III. p.189, ac totidem verbis Scholiaſtes Ariſtophanis ad Plutum. Pauſanias vero in Boeoticis, ſive lib.9.cap.5.p.719, quamvis *Ogygem* Αὐτόχθονα *Indigenam* dicat, ea dicit attamen, quae ſibimet eumdem contradicere, ac *Ogygem* Aſiaticum evincant. Dicit enim in Boeotia ſub *Ogyge* Incolas *Ectenas* vocatos fuiſſe, eoſque peſtilentia deletos excepiſſe *Hyantes*, & *Aeones* per annos 190. uſque ad *Cadmum*; cujuſce de nomine nova deinde Popularibus denominatio indita ſit. Sicut itaque *Jantes*, & *Aones*, ideſt *Jones*, ut mox ex Homero, Heſychio, Harpocratione &c. audivimus, Alienigenas, contraquam credidit, Pauſaniae incaute confiſus, Vindingius in Hellene Antiq. Graec. T.XI. p.250., fuiſſe adfirmavit Euſtathius in Dionyſii Alex. Periegeſim v.4, & 76, a *Javane* nempe *Japheti* fi-

ti filio altero in Boeotiam eductos, ita *Ectenas* etiam ab *Ogyge*, ſive *Goge* Japheti filio ex Aſia in Atticam deductos colligere fas eſt. Conferendi Bochartus in Geogr.Sacr.lib.3.cap.3.p.153. ſqq., Joh. Meurſius de Reg.Athen.lib.1.cap.1.ſqq. Antiq.Graec. T.IV. p.1021. ſqq., ac Blanchinius in Hiſt. Univ. Deca III. cap.23. p.284. ſqq. Et *Gog* quidem, ac *Magog*, quae Geographica magis eſſe nomina putat, Incolas *Gogarenos* haud alios fuiſſe, quam *Caucones*, Scythici generis, ad Caucaſum ſitos, ab eiſque in Paphlagoniam prius, in Peloponneſum poſtea, quin in Germaniam perinde ad Albim fluvium, atque in Hiſpanias, ubi eorum veteri de nomine *Cauca* Urbs, hodie *Coca* etiam dicitur, Colonias fuiſſe tranſcriptas, conjectura ex Strabone praeſertim lib.8. p.342, & lib.12. p.542. capta, opinatus eſt Vir doctiſs. Mazochius Sylvar. Phaleg. Par.I. ſect.2. p.239.ſqq. Quo ipſius opinione fit, ut haud ab Aegypto, uti Suidae viſum, ſed e Scythia Colonia iſthaec deducta fuerit. A *Javane* porro, ac *Ogyge* omnium primis originem repetere ſuam *Liberi Muratores* haud verentur: ſed inepta ſunt adeo, quae tam impius, quam ineptiſſimus ipſe Auctor Hiſtoriae, Obligat., ac Statutor. Confraternitatis iſtius edit.Francoſ.ad Moenum 1742.p.31.ſqq. conglomerat, ut id ſuadeat, eidemque Societati identidem vindicet Cecropem, Cadmum, Danaum, ceteroſque veterum Coloniarum Duces, ut ineptiis his explodendis immorari, operamque impendere nefas ſit.

XI. Alteram huicce proximam a *Phoronei* filio altero *Care* factam Coloniae deportationem commemorat Pauſanias in Atticis, hoc eſt lib.1. cap.39. ſq. p.95. ſqq. Nempe a *Care* Megaride occupata, Urbem Regionis futuram Metropolim *Megaram*, unde illi nomen inditum, conditam fuiſſe, ibique *Cereri* Templa aedificata, arcemque *Cariam*, ſuo de nomine dictam, exſtructam. Quamvis a *Megaro* Neptuni filio Megaridem adpellatam ferant Boeotii apud Pauſaniam ibidem, qui ſubdit duodecim poſt *Carem* aetatibus *Lelegem* ex Aegypto Megaram adveniſſe, ſuoque deinde de nomine Indigenas *Leleges* fuiſſe adpellatos: qua de Colonia poſtea. Jungenda, quae eodem fere tempore a *Phoronei* fratre, *Inachi* I. filio altero *Aegilaeo* in Achajam deducta Colonia eſt, ubi *Sicyone* Urbe aedificata, ibi-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ibique Regni ſede defixa, celebri *Sicyoniorum* Regno fecit exordium. Porro *Aegilaeum* primum Sicyonis Regem Indigenam, longeque ante *Inachum* I, Abrahamo ipſo annis pluſquam 70. priorem faciunt, ejuſque de nomine Peloponneſum *Aegialeam* primitus adpellatam fuiſſe referunt Pauſanias in Corinth., ſive lib.2.cap.5. p.123, & Euſebius in Exord. ad Chron. Oper. S. Hieronymi T.VIII. p.47. Verior tamen ſententia eſt *Sicyonis* Regnum ab *Aegilaeo* Inachi I. filio, Phoronei fratre incepiſſe, qua de re infra, quum de Graecorum Epochis. Regioni *Aegilaeae* poſtea vero a *Sicyone* viro a rebus geſtis, ac bellica virtute celebri, cui *Laomedonta* Rex filiam Zeuxippem uxorem dedit, ac Regionem *Aegialaeam* adminiſtrandam conceſſit, *Sicyonem* ſuo de nomine deinde dictam perhibet indic. loco Pauſanias in Corinth., ideſt lib.2. cap.6. p.125, videndusque Gerbelius in Graecia antiqua Antiq.Graec. T.IV. p.61.ſq. Antequam vero ad celebriores alias Gentium Colonias noſtra properet oratio, locus heic ex Pauſania in Arcad., hoc eſt lib.8. cap.3. ſq. p.601. ſqq. Coloniis nonnullis haud memoratu indignis obiter faciendus eſt. In quibus a *Lycaonis* II. filiis, paterno in Regno Argivorum ſuccedente *Nictymo*, reliquis inferioribus natu Pallante, Oreſtheo, Phigalo, Trapezeo, Eleata, Macarco, Heliſone, Acaco, Thocno, Orchomeno, Hypſo, Thyreo, Menalo, Tegeate, Mantineo, Cromo, Chariſio, Tricolono, Peraetheo, Aſacate, Lycaeo, Sumataco, Aliphiro, Heraeeo totidem Regiones, aut Urbes una cum Colonis accepere nomen. A Nictymi vero filia *Calliſto* genitus *Arcas*, unde Regioni *Arcadiae* inditum nomen adnotavimus, indeque *Arcades* denominati ſunt, qui *Pelaſgi* olim audiebant, & ipſe *Arcas*, inquam, ex *Erato* Nympha filios genuit *Azanam*, *Aphidantam*, *Elatum*, a quibus Coloniis deductis inhabitata eſt e primi filiis *Phrygia*, a ſecundi poſteris *Tegea* Regio, a tertii progenie Regio, *Phocis* deinde dicta, ab horumque filiis deinde aliis ductae aliò Coloniae deinde ſunt, aliaeque ad incolendum Regiones delectae, novaque iis nomina indita; quae apud Pauſaniam videnda p.605. ſq. perſequi nec juvat, nec intereſt.

XII. At hiſce longe celebriorem alteram, ab *Aegilaeo* factae proximam, ex Aegypto deportationem in Graeciam factam

Digitized by Google

ctam ex Diodoro lib. 1. p. 17. colligere ſibi viſus eſt Marshamus in Can. Chron. Seculo VIII. p. 110. ſqq., quae tamen poſterius facta ſub *Joſue* habita eſt Bocharto in Praefat. ad lib. 1. de Colon. Phoeniciis p. 326. Chananaeos itaque, ſive Phoenices ab Iſraelitis ex Aegypto advenientibus vi, armiſque e Regionibus ejectos, magna varias in Regiones irruptione, agmineque conferto ſe ſe effudiſſe, Coloniiſque ubique diſſeminatis, quamplurima Africae, Aſiae, & Europae loca occupaſſe docent inter alios Euſebius in Chron. Graec. p. 11, ubi Chananaeos ab Iſraelitis fugatos in Africam ſe recepiſſe, ac Tripolim inhabitaſſe ſcribit, ac Procopius de Bello Vandal. lib. 2. cap. 10, ubi Columnarum meminit in Africa Tingitana erectarum Phoenicia cum Inſcriptione Graecam in hancce formam Ἡμεῖς ἐσμὲν οἱ Φυγόντες ἀπὸ Προσώπου Ἰησοῦ τοῦ Λῃστοῦ υἱοῦ Ναυῆ, *Nos ii ſumus, qui fugimus a facie Joſue Latronis filii Nave*: queis de Proleg. I. abunde dictum. Verum magis, quam Bocharto, favent Marshamo Diodorus loc. cit., Caſtor Rhodius, eoſque ſequutus Euſebius in Chron. Oper. S. Hieronymi T. VIII. p. 175. ſqq., Scholiaſtes Ariſtophanis ad Plutum, Johannes Tzetzes Var. Hiſt. Chil. 5. hiſt. 18. v. 28, Suidas V. Κέκροψ, & V. Προμηθεύς Lex. T. II. p. 291, & T. III. p. 189, Cedrenus in Comp. Hiſt. p. 82. edit. Par., Ven. p. 67, Iſaacius Tzetzes ad Lycophron., aliique apud Meurſium de Regib. Athen. lib. 1. cap. 6. Antiqu. Graec. T. IV. edit. Ven. p. 1032. ſq., *Cecropem* ex Aegypti Urbe *Sai* Coloniam Aegyptiam in Atticam traduxiſſe ſcribentes, ibique Athenis ſede defixa regnaſſe: ubi Caſtor id contigiſſe anno 780. ante 1. Olympiadem tradit, Euſebius circa annum 35. Moyſis ait: quo cum loco tamen conferendus idem Praep. Evang. lib. 10. cap. 3, ubi *Ogygi* ſupparem Moyſem facit, ab *Ogyge* vero ad *Cecropem* annos 199. recenſet: quibus ſane poſtponendus Apollodorus lib. 3, *Cecropem* indigenam adfirmans. Ante *Moyſem* attamen, ſive jam ſub *Joſue* Aegyptiorum Colonos fuiſſe Athenienſes multis ex Theopompo confirmat Diodorus lib. 1. p. 17, confirmantque, quae de Veſtibus lineis, Aegyptiorum more, Athenienſibus uſurpatis tradit Thucydides lib. 1; quae de Cultu religioſo Minervae Saitis, & Athenienſibus communi, deque utriſque genere, amicitiaque conjunctis

junctis ſcribit Plato in Timaeo p.1045. Ad Tingitanam quod attinet Inſcriptionem, de eadem nullum etſi dubium inceſſerit Huetium Demonſt. Evang. Prop. iv. de Libro Joſue §.14. edit. Ven. T.I. p.211, ac Bochartum in Geogr. Sacr. Par.I. lib.1. cap.24. p.476, praeconcepta ſua pro opinione de Coloniis, non ex Aegypto, ſed e Palaeſtina, ſive e Phoenice tranſductis, valde dubitatum eſt tamen Viris aliis doctiſs. Marshamo in Can. Chron. Seculo X.§.2. p.234, Voſſio de Idol., Thomaſſino de Lect. Poet. &c., ut proinde fidem ei adhibere integram haud tutum ſit. Aegyptii itaque, qui Colonias in Atticam deduxerint, Diodoro referuntur *Peteus* Ornei filius, *Cecrops*, & *Erectheus*: quae vero a *Cecrope* deducta fuit, longe prae utraque alia fuit celebrior. *Cecrops* autem, a quo duodecim Urbibus aedificatis, Athenienſe Regnum conditum fertur, cognominatus ideo *Διφυής Diphyes* traditur, non quod corpus habuerit bifidum hominis ſimul, ac Serpentis, ut Apollodorus lib.3. p.191, Ariſtophanes in Veſpis v.444, ejuſque Scholiaſtes ibid., ac Nonnus Dionyſ. lib.41. v.59. ſcripſere, ſed quod ex Aegypto Politiam in Graeciam intuliſſet, veluti Diodoro, & Euſtathio in Dionyſium Perieg. p.56. viſum; ſive quod primus Athenis Conjugii hactenus ignorati Jura invexerit, ut habent Athenaeus lib.13, Juſtinus lib.2. cap.6, Syrianus in Hermogenem, & Euſtathius ad Iliad. σ', & ω; ſive quod cum prudentia hominis Serpentis haberet fortitudinem, velut explicat Demoſthenes in Orat. Funeb.; ſive quod humanitate, benignitateque Gentium ferocitatem domuiſſet, ut perſuaſum habuere nobile par fratrum Johannes Tzetzes Chil.5, cap.18, & Iſaacius Tzetzes ad Lycrophon.; ſive quod Aegyptiam, atque Graecam calleret linguam, ut Euſebius in Chron. p.182. eſt interpretatus, & poſt ipſum Cedrenus, & Iſacius Tzetzes in Lycophron.; ſive quod geminum Aegyptiacarum litterarum genus, Vulgarium, & Sacrarum perſpectum haberet, velut ex Philocoro refert Syncellus in Chron. p.153. edit. Pariſ., Ven. p.122., qua de varia interpretatione Marshamus in Can. Chron. p.111. ſq., Vallarſius in Not. ad Euſeb. Chron. p.179. ſq., ac Meurſius de Regibus Athen. lib.1. cap.8. Antiq Graec. T.IV. p.1036. ſq.

XIII. Eodem ferme, quo a *Cecrope*, tempore, aut annos

Digitized by Google

nos poſt 20. non amplius, altera ex Aegypto etiam a *Deucalione* educta in Theſſaliam Colonia fertur. Et quidem *Promethei* filium *Deucalionem*, filiumque *Japheti* facit *Prometheum*, ideoque a *Noacho* quartum fuiſſe *Deucalionem* adſtruit Stephanus Morinus in Diſſert. 1. de Cognatione Lacedaem., & Hebr. p. 11, unius Apollodori lib. 1. teſtimonio ſuffultus. Verum *Cecropi* aetate ſupparem *Deucalionem* faciunt Marmora Oxonenſia in Epocha 11, ubi *Cecrope* in Attica regnante, ante annos 1310, ideſt Chriſti ante natalem 1574, *Deucalion* in Lycoria prope Parnaſſum regnaſſe dicitur; & Epocha IV, ubi ante 1265. annos, Chriſtianam hoc eſt ante Aeram 1529, regnante Athenis *Cranao*, Diluvium in Lycoria contigiſſe, ab eoque fugiens *Deucalion* Athenas ſe recepiſſe, ibique Jovi *Phyſio*, & *Olympio* fanum aedificaſſe refertur. Cum Marmore convenit Varro apud S. Auguſtinum de Civit. lib. 8. cap. 10, & cum utroque Euſebius in Chron. p. 186, atque Syncellus in Chron. p. 157. edit. Pariſ., Ven. p. 125, Cecropi, & Cranao ſynchronum *Deucalionem* adfirmantes, etſi *Cecropem* Moyſi coaevum Euſebius, *Cranaum* Aodo ſupparem agat Syncellus. Ex Aegypto itaque *Deucalionem* effugiſſe, Coloniamque in Graeciam eduxiſſe tradunt Herodotus lib. 2. cap. 52., ac Plutarchus in Pyrrho ſub init., a *Deucalione* Oraculum *Dodonaeum* ex Aegypto advectum fuiſſe, atque fanum *Dodonae* in Moloſſis ab eo aedificatum referentes. Jungendi Lucianus de Dea Syria, Apollonius Argon. lib. 3. v. 1085, & Hellanicus apud Scholiaſtem Apollonii ibid., quibus a *Deucalione* Arae duodecim exſtructae Diis in Aegypto cultis traduntur, Deoſque colendi, Hierapolitano, ſive Aegyptio more Graeci edocti memorantur. Ad haec, quod Graecis *Deucalionis* adpellatum Diluvium eſt, quod ejus ſub aetate contigerit, non aliud fuiſſe, quam Aegyptiorum cum Pharaone Moyſem, Iſraelemque perſequentium in Mari Rubro demerſionem acute vidit, notavitque Euſebius in Chron. p. 186, Diluvium hocce ſub *Deucalione* cum Aegyptiorum ſubmerſione conjungens, cumque peſtilentiis multis, quas in Aethiopia tum temporis contigiſſe ex Platone in Timaeo memorat: ex ceteris autem plagis Aegypti unam fuiſſe peſtilentiam ignorat nemo. Inde vero factum, ut *Deucalionis* Diluvium in Theſſalia

contigiſſe vulgo creditum facile ſit, quod olim Theſſalia dicta fuerit Ἠερίη *Aeria*, ut adnotavit Seldenus de Diis Syris ſyntag. 1. cap. 4. p. 148; quo etiam nomine Aegyptus olim *Aeria* denominata eſt, utriuſque hocce de nomine teſtimonium ferentibus Apollonii Scholiaſte lib. 1. Argon., & Euſebio in Chron., utramque nempe Theſſaliam, ac Aegyptum a Telluris nigredine *Aeriam* adpellatam adfirmantibus. *Deucalionaeo* hocce porro de Diluvio loquens Plutarchus libro de ſolertia Animal. p. 968. ex Veterum fabulis refert *Περιϛερὰν ἐκ τῆς λάρνακος Columbam ex Arca* emiſſam certum *Deucalioni* ceſſati Diluvii indicium detuliſſe: quo ſane ex loco indubie diſcimus antiquis Graecis *Moyſis* libros haud prorſus ignotos fuiſſe, ex ipſiſque pleraſque confingendi fabulas anſam ipſos arripuiſſe: quod cum Palmerio in Exercit. ad Plutarchum p. 230. ſq. heic obſervaſſe obiter haud abs re erit. De altera, quae ab Aegypto quoque, eodemque fere, quo a *Deucalione* tempore, Chriſtianam ideſt ante Aeram anno 1529, ut habent Marmora Arund. Epocha IV, a *Phoetonte*, ejuſque filio *Liguro* deducta in Liguriam, & ad Oſtia Padi fertur, unde tam *Liguriae* Alpeſtris, quam Agri *Taurinenſis* Incolae primam traxerint originem, dicam opportunius in Proleg., ubi de veterum Regum in Aſia, & Graecia Dynaſtiis &c. Art. II. de Aeris, ſeu Epochis Acarnanium, Aetolorum &c. §. VI. ſqq., ubi de *Phocenſium* Coloniis agendum ſuſcipiam. A *Deucalionis* filiis, ac poſteris deinde *Amphictyone*, & *Hellene*, iſtiuſque filiis *Aeolo*, *Doro*, & *Xutho*, Aeoli filiis item *Magnete*, *Siſypho*, & *Macedone*, atque *Xuthi* filiis inſuper *Achaeo*, & *Jone* Regionibus in Graecia Elladi, ſive, Aeolidi, Doridi, Magneſiae, & Macedoniae inditum nomen, mutatumque Theſſaliae in Achajae, & Atticae in nomen Joniae fuiſſe referunt Conon apud Photium Narrat. 27. Bibliot. Cod. 186. p. 438, Apollodorus lib. 2, Strabo lib. 8. p. 383, Diodorus lib. 4, Pauſanias in Achaic., ſive lib. 7. cap. 1. p. 521. ſq., Scholiaſtes Apollonii lib. 1. v. 143, & lib. 3. v. 1093, videndique Seldenus, Lydiatus, ac Pridaeus ad Marmora Arundel. p. 93, 106, 122, & 146, Marshamus in Can. Chron. Seculo IX. p. 118. ſq., Vindingius in Hellene Antiq. Graec. Gronovii T. XI. edit. Ven. p. 150. ſq., ac Blanchinius in Hiſt. Univ. Decade 3. cap. 25. ſq. p. 310. ſqq.

XIV. Ut

Digitized by Google

XIV. Ut hoc vero loci nonnulla de Coloniis a *Deucalionis* filiis deductis obiter, ac diſtinctius attingamus, a *Deucalionis* filio *Amphictyone* celeberrimus omnibus cognitus *Amphictyonum* Conventus Delphis inſtitutus dicitur Androtioni in Hiſt. Attic., & Pauſaniae in Phocicis, ideſt lib. 10. cap. 8. p. 815. ſq. Is autem *Cranao*, qui Cecropi ſucceſſerat, ab Attica pulſo, Athenienſe primo Regnum occupaſſe fertur Pauſaniae in Attic., ſive lib. 1. cap. 1. p. 7. ſq., & Apollodoro lib. 1. p. 24, ubi primus Ἀθηνᾶ *Minervae* Urbem conſecraſſe, & nomen inde Civitati *Athenas* dediſse Juſtino lib. 2. edit. Mediol. p. 36. dicitur, quo & ipſe pulſus ab *Erectheo*, Locros profectus ibi primus regnaſse perhibetur Apollodoro lib. 3. p. 130, Pauſaniae loc. cit., & Marciano in Periplo p. 24. De Colonia ab *Erectheo* in Atticam ab Aegypto deducta infra dicemus; de *Amphictyonis* filiis videndus Vindingius in Hellene p. 304. ſq. Ab *Hellene*, unde Graeci Ἕλληνες nuncupati, *Deucalionis* filio altero, in Theſsalia *Hellada* Urbs condita eſt, Dicaearcho βίῳ Ἑλλ. p. 178. teſte, junctis Marmore Oxon. Epocha VI. ad Mundi an. 1257, ante Chriſtianam Aeram 1521, Strabone lib. 8. p. 383, Thucydide lib. 1. p. 3, Stephano de Urb. edit. Holſt. p. 112, & Apollonii Scholiaſte lib. 3. v. 992, quo de plura Vindingius p. 321. ſqq. *Hellenis* filius *Aeolus* 1. cognomento *Jupiter*, (fuit enim alter *Aeolus* cognomento *Neptunus*, quo de Pauſanias in Meſsen., ideſt lib. 4. cap. 2. p. 283.), in Theſsalia regnum iniit, quoſque ſuo continere imperio cepit, *Aeoles* adpellaſse, Regionique *Aeolidis* indidiſse nomen legitur apud Diodorum lib. 4. p. 269, & Apollodorum lib. 1. p. 14. Ei in regno ſucceſſit *Cretheus* filius, iſtique alii, queis de Vindingius prolixe p. 339. ſqq. *Aeoli* vero filius alter *Aethelius* primus fertur, qui Regionem occupaverit, quae *Elea* poſtea dicta eſt, Pauſania referente in Eliac. prior., hoc eſt lib. 5. cap. 8. p. 393. *Aethelii* vero filius *Endymion* primus traditur inveniſse Lunae curſum, ac Numeros apud Graecos, teſte Apollonii Scholiaſte in Argon. lib. 4. v. 58, filioſque genuiſse *Paeonem*, *Aetolum*, & *Epeum*, primuſque de Imperio filiis ſuis propoſuiſse Curſus in Olympia certamen. Ex eo victor *Epeus* Olimpiae regno potitus eſt, ab eoque Indigenae *Epei* deinceps adpellati ſunt. *Paeon* a patre di-

digreſsus ad Araxum fluvium Regionem occupavit, ſuo de nomine *Paeoniam* deinde nuncupatam, Pauſania teſte in Eliac. prior., ſive lib. 5. cap. 1. p. 376. *Aetolus* longe profectus, atque a Peloponneſo profugus Regionem ad Acheloum fluvium, *Aetoliam* deinde vocatam, occupavit; queis de plura requiras apud Eraſmum Vindingium in Hellene Antiq. Graec. T. XI. p. 138. ſqq., & p. 309. ſqq. *Aeoli* I. filius alter *Mimas* Regionem obtinuiſse, *Boeotiam* poſtea dictam, perhibetur Diodoro lib. 4. p. 269; filiumque habuit *Hippotem*, hic vero *Aeolum* II. genuit, a quo geniti perinde *Aeolus* III, & *Boeotus*, ille quidem Colonia ducta Tyrrheni Maris Inſulas ſeptem *Aeolias*, Graecis *Hephestiades*, Noſtris *Vulcanias*, Plinio lib. 3. cap. 8. teſte, adpellatas, poſt quem Vindingius p. 541. ſq. adeundus, occupaſse, in hiſque *Liparam* Incolis auctiorem reddidiſse legitur: iſte vero Aeolides ſuo deinceps de nomine *Boeotos* adpellaſse, ſi fides Diodoro lib. 4. p. 269. ſq., ac Pauſaniae in Boeot., ideſt lib. 9. cap. 1. p. 711. adhibenda eſt, dicitur; aliis etſi aliunde *Boeotiae* adpellatio derivetur, qua de re Vindingius copioſe p. 246. ſqq., ubi de *Boeotorum* aliis tranſmigrationibus multa docte perſequitur. *Aeoli* I. filius alter *Dejon* Phocidem obtinuit, filioſque habuit *Aenetum*, qui Patri ſucceſſit, *Actorem*, qui Phtiotidem, *Phylacum*, qui Phylacenem, *Cephalum*, qui Cephaloniam impetrarunt; queis de Vindingius ſaepe mihi laudatus p. 288. ſqq. *Aeoli* I. filii alii fuere item *Magnes*, *Siſyphus*, & *Macedo*; quorum a primo *Magneſiae* ad Mare, & ad Peneum, ac Peleum Montem factum nomen liquet ex Scylace in Periplo p. 133, Dicaearcho p. 164, Strabone lib. 9. p. 432, ac Euſtathio ad Iliad. β. v. 765: quibus jungendus, qui de *Magnetis* filiis in Magneſia regnantibus ex ipſis deſcripſit Vindingius in Hellene p. 352. ſq. A *Siſypho* perinde ingenti Populariium adducta manu in Peloponneſum, Urbeque *Ephyra* condita, poſt *Corintho* denominata, Regni ſedes ibi defixa traditur Apollodoro lib. 1. p. 22, & Euſebio in Chron. p. 222; ab eoque primum *Iſthmicos* in Melicertis, filii Athamantis, & Ino, honorem fuiſse inſtitutos auctor eſt Pauſanias in Attic. lib. 1. cap. 44. p. 108, & in Corinth. lib. 2. cap. 1. p. 111. Ex Merope Atlantis filia *Siſypho* procreati fuere *Glaucus*, *Ornytion*, *Therſan-*

ſander, & *Almus*, queis de Pauſanias in Corinth. lib. 2. cap. 4. p. 120; e quibus *Ornytion* in regno Corinthio patri ſucceſſit, *Ornytionis* vero filius natu major *Phocus* deducta in *Thyraeam* Colonia *Phocidi* nomen fecit; *Thoas* vero natu minor patri in regno Corinthi ſucceſſit, iſtumque quatuor excepere alii, *Demophon*, *Propodas*, *Doridas*, & *Jantidas*, donec tandem in *Alethem* ex Heraclidarum ſtirpe translatum eſt: queis de Corinthi Regibus ſuo affatim, ubi de Graecorum Aeris, loco agendum erit, videndique interea, qui inter alios de Corinthi Regibus prolixius agunt, Marshamus in Can. Chron. Seculo XVII. p. 563. ſq., ac Vindingius in Hellene Antiq. Graec. T. XI. p. 159. ſqq. *Aeoli* I. denique filius *Macedo* Regioni, ante *Macetiae* dictae, de ſuo nomen dediſse legitur apud Hellanicum, etſi apud Diodorum lib. 1. p. 12. denominata ſcribitur a *Macedone* Oſiridis, ſeu *Herculis* filio. Et certe Macedoniae Regnum ab *Herculis* pronepote *Carano* obtinere cepiſse ſuo palam fiet loco, quo modo ſuperſedemus. *Aeoli* I. poſtremo tribus filiis aliis, *Salmoneo* Theſsalia primum locus fuit, poſt Elis; *Athamanti*, niſi is ſit, qui *Mimas* Diodoro lib. 4. p. 187. dictus eſt, Boeotiae pars occupata eſt; *Perieri* Meſseniae poſtea Regnum obtigit, de quo infra. A *Doro* filio Hellenis altero ad haec Regioni ad Oſsam, & Olympum poſitae, quae poſtea *Heſtiaeotis* dicta fuit, *Doridis* nomen eſt factum, Herodoto lib. 1. p. 23, & Strabone lib. 9. p. 437. teſtibus. Atque *Doridem* ſane duplicem faciunt, *Tetrapolim*, in qua Urbes Erineus, Boeus, & Cytinius, queis alii Pindum addunt, Diodorus lib. 2. p. 60, Thucydides lib. 1. p. 69., & Pindari Scholiaſtes in Pyth. Ode I. v. 195; & *Hexapolim*, in qua Lindus, Jalyſus, Caminus, in Rhodo Inſula, Cos in Inſula Meropide, Cnidus in Cherſoneſo Carica, & Halicarnaſsus in Caria. *Dori* filius *Tectamus* in Cretam abiiſse traditur, ubi olim Curetes, ſive Corybantes, ſive Cabiri, ſive Idaei Dactyli, poſt Pelaſgi, deinde Dorienſes; *Tectamo* vero filius *Aſterius* ſucceſſit, ſub quo *Europae* raptus contigiſse fertur Diodoro lib. 4. p. 262. ſq., Moſcho Idyl. 2. v. 74. ſqq., Apollodoro lib 3. ſub init., videnduſque Vindingius p. 530. ſqq. *Doro* filius alter *Aegimius* in Doride ſucceſſit, illique *Hyllus*, ſub quo Heraclidae in Peloponneſum regreſſi ferun-

runtur Diodoro lib. 4. p. 260, Apollodoro lib. 2. p. 82, ac Pauſaniae in Arcad., ideſt lib. 8. cap. 5. p. 607, qua de re Vindingius p. 227. ſqq. Dorienſium demum eadem, quae Aeolum, & Jonum, ſors fuit, nempe prius a *Croeſo* Lydiae Rege ſubacti, teſte Herodoto lib. 1. p. 3. ſqq., Perſis obnoxii poſtea fuere, eodem Herodoto tradente lib. 7. p. 470. *Hellenis* filius alter *Xuthus* e Theſsalia profugus, a fratribus expulſus, Athenas profectus *Erecthei* II. filia *Creuſa* uxore ducta filios procreavit *Achaeum*, & *Jonem*. Mortuo *Erecthеo* II, quod ejus filiis de Regno diſceptantibus Regnum abjudicaſset *Xuthus*, adjudicaſſetque *Cecropi*, inde pulſus in Aegialaeam, indeque in Theſſaliam migravit, quo Pelaſgis exactis, ſedem ſibi, ſuiſque defixit, qua de Herodotus lib. 7. p. 470, Strabo lib. 8. p. 383, & Pauſanias in Achaicis, ideſt lib. 7. cap. 1. p. 521, videnduſque Vindingius p. 356. ſq. A *Jone* vero in Peloponneſum ducta Colonia, Selini Regis filia *Helice* uxore ducta, cujuſce de nomine Urbem conditam *Helicem* vocari voluit, Regio occupata eſt, indeque pulſis Pelaſgis, *Joniae* nomen eidem factum eſt, in duodecim Urbes diſtributae, ut habent Herodotus, & Strabo loc. cit., Apollodorus lib. 1. p. 14, & Pauſanias in Achaic. loc. cit. p. 522. *Jonis* poſteri denique ab Achaeis, qui & ipſi a Dorienſibus, & ab Heraclidis expulſi fuerant, pulſi, regnoque ſpoliati, Athenas profecti a *Melantho* Rege in Civitatem recepti fuere: de celebri *Jonum* Colonia in Aſiam deinde tranſducta infra dicam. Ab *Achaeo* jam vero *Xuthi* filio altero Athenas profugo Colonia in Laconicam, ac Peloponneſum educta, Argis, & Lacedaemone Regni ſedes defixa, atque detenta eſt, donec a Dorienſibus, & ab Heraclidis Argis, & Lacedaemone exacti Achaei, Jonibus etiam ipſi loco pulſis, Joniam occuparunt, queis de viciſſitudinibus Herodotus lib. 1. p. 68, Strabo lib. 8. p. 384. ſqq., multiſque agit Vindingius p. 150. ſqq. *Deucalionis* filius demum alter fertur *Atlas*, iſque in Mauritania regnaſſe, Apollodoro lib. 1. p. 6, & p. 24, ac Heſiodo in Theogon., de quo ſupra dictum; *Heſperus* etiam, a quo *Heſperia*, ideſt Occidens relate ad Graeciam, ut habent Servius Aen. 1. v. 530, & S. Iſidorus Orig. lib. 14. cap. 3; ac filia *Protogenia*, quae ex Jove, ſive *Locro* genuit *Aetlium*, & *Endymionem*, qui in

in Elea genuit *Paeonem*, a quo Paeonia dicta, *Aetolum*, a quo Aetolia, & *Epeum*, a quo Epeja nomen accepit; quae indicaſſe ſufficit.

XV. Locus ut heic Coloniae ab Aegypto deductae, alteri fiat, temporis ratio, dicendique modo poſtulat ordo. *Deucalionis* nempe filium *Amphictyonem* ab *Erectheo* Athenis expulſum paullo ſuperius indicavimus, quare unde deducta ab *Erectheo* Colonia, Athenas invecta, fuerit, obiter inquirendum manet. *Erectheus* ergo Homero, Euſtathio &c. ita dictus, *Erictbonius* Pauſaniae, Luciano, Cenſorino &c., Vulcani, & Terrae, ideſt Minervae *Cranai* filiae, uti duum fratres Johannes, & Iſaacius Tzetzes ad Lycoph., ac Chil. 5. cap. 19. explicant, filius, ab Aegypto Colonia deducta, Athenas, eò magna frumenti copia, in magna annonae caritate, advecta, occupaſſe, Regno potitus, a *Cecrope* Rege quartus, fertur Diodoro lib. 1. p. 25, Euſthatio in Iliad. β, ac Euſebio in Chron. p. 226. Eum devictis Eleuſiniis, qui *Eumolpo* Duce ſibi bellum intulerant, & *Eumolpo* interfecto, Regnum ſibi confirmaſſe, ac per annos 50. retinuiſſe referunt Thucydides lib. 2. p. 110, Apollodorus lib. 3. p. 130. ſqq., ac Euſebius loc. cit. Ab eo *Minervae* ſigno Athenis in Arce dedicato, *Panathenaea* feſta inſtituta perhibentur Apollodoro loc. cit., Pauſaniae in Attic., hoc eſt lib. 1. cap. 27. p. 65, (quamquam eadem feſta prius *Athenaea*, nonniſi poſt ſub Theſeo *Panathenaea* dici cepiſſe ſcribit in Arcad., ſive lib. 8. cap. 2. p. 600.), Hygino in Poetico Aſtronomico, Servio ad Georg. 3. v. 113. ſq., Harpocrationi, Germanici Interpreti &c. Quatuor etiam Urbis Tribubus ab eo mutata fuiſſe nomina, eaſque vocatas *Joviam*, *Minerviam*, *Neptuniam*, & *Vulcaniam* tradit Pollux in Onom. lib. 8. cap. 9. Segm. 109. Oper. T. II. p. 931, quo de plura Meurſius de Regib. Athen. lib. 2. cap. 1. Antiq. Graec. T. IV. edit. Ven. p. 1057. ſqq. *Erectheo* filius fuit *Pandion* I, ſub quo in Atticam adveniſſe tum *Bacchum*, vinique faciendi rationem docuiſſe, tum *Cererem*, ibique *Triptolemum* ſerendarum frugum modum edocuiſſe, ac tum a *Triptolemo* in honorem frugum *Eleuſinia* inſtituta fuiſſe, optimaſque Eleuſiae leges inſtitutas referunt Phornutus, Juſtinus lib. 2, Diodorus lib. 1, Nonnus Dionyſ. lib. 19. v. 78. ſqq., Maximus Tyrius Diſſertat. 13, Ariſtides

des Orat. in Minerv. , Porphyrius de Abſtin. lib. 4 , Euſebius in Chron. p.226 , & S.Hieronymus adv.Jovin. lib.2. *Pandioni* duo fuere filii *Butes*, qui Minervae , & Neptuni Sacerdotio initiatus eſt , teſtibus Apollodoro loc.cit., & Joh. Tzetze Chil.5. cap.19 , & *Erectheus* II , qui patri in Regno ſucceſſit , uti tradunt Apollodorus, Juſtinus lib.2. cap.6 , ac Diodorus lib.1, ubi eum genere Aegyptium adſtruit. Ejus filio *Cecropi* II, prae *Orneo* , *Mentione* , & *Pandoro* fratribus , Regnum a *Xutho* adjudicatum ſupra vidimus . A *Cecrope* II. deinde Colonia in Euboeam delata traditur Apollodoro loc.cit.,& Pauſaniae in Achaic. lib.7.cap.1. p.521. ſq. A *Cecrope* vero Athenienſes olim vicatim habitantes, in Civitatem fuiſſe coactos , duodecim aedificatis Urbibus , tradunt Strabo lib.9 , Etymologici Auctor, ac Suidas in Lex . T.II. p.291. ſq. De *Cecropis* II. porro filiis , ac poſteris in Athenienſi Regno ſucceſſoribus alibi nobis agendum erit, adeundique interea , qui abunde de iis agunt Meurſius de Regib. Athen. lib. 3. cap.1. ſqq. Antiq. Graec. T.IV. p. 1097. ſqq. , ac Vindingius in Hellene Graec.Antiq. T.XI. p.187. ſq. *Cecropis* II. interea , ut id obiter innuam , filius *Pandion* II. vix Regnum poſt obitum patris auſpicatus a *Mentionis* Avi filiis expulſus Megaram ad *Pylam* Regem profectus , ejuſque filia *Pelia* uxore ducta, Megarae Rex factus eſt. Ex quatuor vero, quos ab ea ſuſcepit, filiis *Aegeus* natu maximus Athenas profectus , expulſoque *Peteo* Ornei filio , Metionis nepote, qui in Phocidem abiit , Regno potitus eſt, ſucceſſoremque habuit *Theſeum* ex Aethra *Pelopis* filia ſuſceptum, queis de Apollodorus lib. 3 , Pauſanias in Attic. lib. 1. cap. 5 p.13 , Strabo lib.9 , Euſtathius ad Iliad. β , Hyginus fabul.198 , Plutarchus in Theſeo, aliique . *Pandioni* II. patri in Regno Megarenſi ſucceſſit filius alter *Niſus* , a quo condita Urbs , ſuoque de nomine *Niſaea* dicta . Succeſſere deinde *Megareus* gener , huic *Alcathous* Pelopis filius , quem excepit ex filia nepos *Ajax* Telamonis filius , *Agamemnonis* in Trojana expeditione ſocius ; eique in Regno ſucceſſit deinde , Trojano bello confecto , Agamemnonis filius *Hyperion* : quo ob tyrannidem interfecto , Megarenſe Regnum in Reipublicae Popularis formam denique redactum eſt : videnduſque , qui ex Pauſania multa de Megarenſi Regno perſequitur , Vindingius p. 174. ſqq. *Pandionis* II. deni-

que

que filius alter *Pallas* a Theſeo interfectus eſt, Pauſania referente in Att. lib. 1. cap. 22. p. 51; natuque poſtremus *Lycus* Sacerdotio functus, Athenas profugus, ab *Aegeo* fratre ſibi metuens, Magnarum Dearum *Orgya* Andaniam in Meſſene tranſtulit, ſive pridem a *Caucone* Eleuſinem deportata, quam auguſtiſſima ut eſſent deinceps, effecit, veluti Pauſanias loquitur in Meſſen. lib. 4. cap. 1. p. 281. ſqq.

XVI. Celebri alteri in *Cretam* ex Aegypto deductae Coloniae locus heic faciendus, eadem de etſi diverſa a diverſis memoriae prodita ſint, quae hocce demum poſſe componi modo puto. Namque Diodorus Sicul. libb. 3, & 5, Timetes apud ipſum, ac Martianus Capella lib. 6. ſcribunt *Ammonem* Libyae Regem, frumenti inopia laborantem, in Cretam tranſmiſſa Colonia, Regnum ibi fundaſſe, atque filium genuiſſe *Jovem*. A Jove raptam *Io* Inachi II, aliis *Jaſi* dicti, filiam, ac in Aegyptum deportatam *Epaphum* peperiſſe, eamque ab Aegyptiis *Iſidem* adpellatam, poſt obitum divinos obtinuiſſe honores liquido tradunt Herodotus lib. 1. ſub init., Diodorus lib. 5. cap. 60, Hyginus Fabul. 145, & 149, ac Euſebius in Chron. ad an. Abrah. 503. p. 190. Ex *Epaphi* porro filia *Libya* a Neptuno deinde geniti, 1. *Belus* in Aegypto regnaſſe fertur, filioſque procreaſſe *Aegyptum*, & *Danaum*; 11. *Agenor* in Phoenicem abiiſſe legitur, filioſque genuiſſe ex *Europa* tres Coloniarum & ipſos celebres duces *Phoenicem*, *Cadmum*, ac *Cilicem*, de quibus Apollodorus lib. 2, & Pauſanias in Corinth., hoc eſt lib. 2. cap. 16. p. 145, noſque fuſius infra. Ab ipſo quoque *Jove* Matri Magnae, *Iſidi* ideſt, filiam *Meliſſam*, quo poſtinde *Meliſſae* nomine ejuſdem *Iſidis* Sacerdotiſſae adpellatae ſunt, primam Sacerdotiſſam fuiſſe conſtitutam, ſed ſibi ipſi quinimo Aras fuiſſe erectas, aedificata fana, & Sacrificia inſtituta, adeoque ut ab Indigenis denominari exinde ceperit Jupiter *Atabirius*, aut *Labradeus*, aut *Molion*, aut *Laprius*, aut *Caſius*, aut *Lycaeus*, frequentius vero *Cretagenes*, perhibent Didymus apud Lactantium Divin. Inſt. lib. 1. cap. 22, Pauſanias in Arcad. lib. 8. cap. 2. p. 600, referens a *Cecrope* omnium primo in Attica *Jovem* pro Deo Supremo habitum, eique oblata fuiſſe Sacrificia, Graecis *Pelanos* dicta, rerum ideſt haud vita praeditarum, qualia ab Aegyptiis *Iſidi* offerri

ri conſueviſse refert Porphyrius apud Euſebium Praep. Evang. lib. 3. cap. 2, a *Lycaone* vero eidem *Jovi* ad aram Infante mactato humanum impie libari ſanguinem cepiſse, conferenduſque Gyraldus in Hiſt. Deor. Syntag. 2. p. 100. ſqq. Hiſce itaque Sacrificiis addicti, praefectique celebres fuere apud veteres *Eteocretes*, *Curetes*, *Corybantes*, *Cabiri*, *Dactyli*, *Idaei*, *Talchinii*, qui omnium primi in Creta habitaſse feruntur Herodoto lib. 1. p. 79, Diomedi lib. 3. in Explicat. pedis dactyli, Sceptio apud Strabonem lib. 10. p. 446, Diodoro lib. 5. p. 333. ſqq., Marciano in Periplo p. 22. ſq., Suidae, aliiſque apud Gyraldum in Hiſt. Deor. Syntag. 1. Oper. T. I. p. 22. ſqq. Ipſemet quin inſuper *Cres* fuiſse Jupiter videtur, qui *Cretis* primi Regis Cretae pater dicitur Stephano de Urb. p. 173, filius Euſtathio in Dionyſ. Perieg. p. 71, ac Scymno ex Ephoro in Perieg. v. 550. Inde ergo haud obſcure colligitur primos in Cretam Incolas e Libya ab *Chami* poſteris eo ipſo fere, quo a *Cecrope* in Atticam Coloni ex Aegypto alii fuere deducti, tempore fuiſse tranſplantatos, quinque fratribus ducibus, Rituumque Magiſtris *Hercule*, *Paeoneo*, *Epimede*, *Jaſio*, & *Ida* memoratis Pauſaniae in Eliac. prior. lib. 5. cap. 7. p. 391. ſq., una que primum Idololatricum erga Heroes, qui haud pridem in Aegypto ipſa obtinuerat, cultum fuiſſe in Cretam inductum. Atque haec longe prae opinione Pezronii, quam amplexati ſunt Angli Scriptores Hiſt. Univ. T. XII. Par. II. cap. 12. edit. Ven. p. 30. ſqq., qua nempe *Curetes* Sacris apud Celtas praefuiſse cenſuit, probabilior haberi ſententia debet; quam explicitis Strabonis inſuper lib. 10. p. 466. ſqq. locis confirmat Mazochius Sylvar. Phaleg. Par. II. ſect. 6. p. 281. ſqq., & Adpend. Cureticae p. 292. ſqq., ubi *Curetes* &c. in Phrygia, & Creta olim Sacra *Deûm Matris* curaſse multis oſtendit; e Creta vero pridem Colonos in Palaeſtinam eductos fuiſse ex Deut. 11. 23, & Amos IX. 7, ex iiſque geminas *Cerethi*, & *Phelethi* Cohortes fuiſse conflatas, adeo ut *Curetes* in Cerethi, & in Phelethi *Philiſtaeos* latere putet, utroſque genere olim Cretenſes, arguit. Pelaſgos ſecundo, tertioque Dorienſes in Cretam adveniſſe, duce *Tectamo* Dori filio, eorumque quoſdam ab Olympo, ab Achaja, & Laconia alios, quoſdam ab Aeolia, ac Pelaſgia aliquos, alioſque a Theſſalia, quae tum *Heſtiaeotis* dicebatur,

teſtes

teſtes accedunt Diodorus lib.5.p.346, Strabo lib.10.p.475, & Marcianus in Periplo p. 22. *Tectamum* in regno Cretae filius excepit *Aſterius*, Poetis *Jupiter* & ipſe dictus, a quo raptae *Io* a Phoenicibus, ac in Aegyptum abductae injuriam ulturo, miſſis Cretenſibus vel cum *Gnoſio* duce, cognomine *Tauro*, ut habent Palaephatus, Herodotus lib.1.p.2, & Lycophron v.1296. ſqq., vel cum Nave, cujus inſigne *Taurus* erat, uti ſcribit Euſebius in Chron. ad an.694, *Europa* Agenoris filia aliis, aliis Tyri Regis dicta, rapta fertur; ex eaque geniti traduntur *Minos*, *Rhadamanthus*, & *Sarpedon* Diodoro lib.4.p.262. ſq., Herodoto lib. 1. p.79, Moſcho Idyl.2. v.74, Apollodoro lib.3. ſub init., & p.87, Nonno Dionyſ. lib.1. v.46. ſqq., & lib.3. v. 305. ſqq. *Sarpedon* porro in Lyciam conceſſit; *Rhadamanthus* legibus Cretenſibus latis in Boeotiam abiit; in Creta Regno exordium fecit *Minos*, ac poſt ipſum regnare perrexere *Lycaſtus* filius, iſtiuſque filius *Minos* II, a quo tam leges emendatae, quam novae in Aſiae oras, ac Cyclades Inſulas ductae Coloniae feruntur Platoni in Minoe, Heraclidi de Politiis Graecor. Antiq.Graec. T.VI. edit.Venet. p.2824. ſq., aliiſque modo laudatis. *Minoi* II. filius *Deucalion* ſucceſſit, iſtique filius *Idomeneus*, qui cum Navibus 80. Expeditionis Trojanae ſocium ſe Agamemnoni dedit, Homero Iliad. β. v. 645. ſqq., ac Diodoro lib.5. p.344. ſq. teſtibus. Cretenſium vero qua plurimis in Siciliam, & Japygiam profectis, ubi *Hyria* Urbs ab ipſis condita, qua Trojano ab excidio regreſſis peſte, ac fame conſumptis, in Cretam Incolis vacuam a Mycenis, *Thaltybio* duce, Colonia ducta eſt, ut habent Herodotus lib.7. p.502, & Scholiaſtes Minor in Odyſ. T.v.175. E Laconica etiam a *Poli*, teſte Plutarcho Quaeſt. Graec. 21, eque Doride ab *Althemene*, Strabone lib.10. p.477. ſqq. referente, Colonis eductis Creta inhabitata eſt: cujuſce de rebus plura Vindingius in Hellene Antiq. Graec. T.XI. p.530. ſqq., Ubbo Emmius de Republ.Cret. T.IV. p.513. ſqq., & Blanchinius in Hiſt.Univ.Deca.3.cap.22.p.278.ſqq.

XVII. Paullo retro nunc flectendo veſtigia, ab ea haud procul aetate, qua a *Deucalione* Coloniam emiſſam diximus, haud disjungenda eſt Colonorum traductio altera, a *Lelege* ex Arabia, ſeu ex Aegypto, quo ſub nomine Arabia ſaepe olim comprehenſa legitur, in Laconicam facta, ubi Lacedaemonici ab eo Regni

 ante

ante Chriſtianam Aeram anno 1516, ut habent Marmora Oxon. Epocha VIII, fundamenta jacta feruntur. Atque primum omnium quidem in Laconica principatum obtinuiſse *Lelegem*, de quo perinde *Lelegia* Regio, atque Incolae *Leleges* fuerint primo denominati, fidem nobis abunde faciunt Pauſanias in Lacon., hoc eſt lib. 3. cap. 1. p. 203. ſq., & in Meſsen., ſive lib. 4. cap. 1. p. 280, Scholiaſtes Euripidis ad Oreſtem p. 177, Apollodorus lib. 3, & Stephanus V. Λακεδαίμων de Urb. 185. Qui perinde tradunt *Lelegi* duos fuiſse filios, quorum unus *Myles*, alter *Polycaon*, illum patri in Lelegia ſucceſſiſse, hunc Regnum in Meſſenia obtinuiſse: quo de utroque qui multa diſputat, adeundus Eraſmus Vindingius in Hellene Antiq. Graec. T. XI. p. 9. ſq., & 119. ſqq. *Mylem* excepit filius *Eurotas*, iſtumque *Lacedaemon* ejus gener, qui *Spartam* ipſius filiam duxerat uxorem, cujus inde de nomine Urbem ceterarum, quae in Laconica centum erant, Metropolim *Spartam*, a *Cecrope* antea conditam, ut nonnulli credunt, deque ſuo Regionem *Lacedaemonem* adpellari deinceps voluit. *Lacedaemone* vita functo, *Amyclas* ejus filius Regnum accepit, Urbemque ſuo de nomine *Amyclam* aedificavit. *Amyclanti* tres fuere filii *Argalus*, *Cynortas*, qui patri, ſibique viciſſim in Regno ſucceſsere, ac *Spartus*, de quo *Spartam* cognominatam vult Stephanus de Urb. p. 303, a *Sparto* Phoronei Argivorum Regis filio conditam, ut Euſebius in Chron. p. 146, ac V. Beda de ſex Aetat. aeſtimant. *Cynortae* ſuffectus eſt *Oebalus* filius, cujus de nomine aliquando Laconica dicta *Oebalia* legitur apud Servium Georg. IV, v. 125, ac Lutatium ad Theb. lib. 2. *Oebalio* ſucceſſit filius *Tyndareus*; qui paullo poſt attamen regno ab *Hippocoonte* fratre natu minore pulſus fertur, ſed ab *Hercule*, una cum filiis interfecto *Hippocoonte*, in Regnum reſtitutus apud Pauſaniam in Lacon. lib. 3. cap. 1. p. 204. ſq. Tyndarei porro filiis geminis *Caſtore*, ac *Polluce* praematura morte praereptis, Regni ſucceſsor a *Tyndareo* futurus deſignatus eſt *Helenae* filiae ſponſus, atque ſponſus is deſignatus, qui ab *Helena* ipſa ſponte delectus ſibi fuiſset. Fuit is itaque *Menelaus* Agamemnonis frater, qui *Helena* uxore ducta Lacedaemonis Regno potitus eſt, ac poſt ipſum *Oreſtes*, a quo *Hermion* Menelai ex Helena filia uxor ducta fuerat. Triennio jam vero poſtquam Menelao deſponſata fuerat

rat

Digitized by Google

rat *Helena*, eadem a *Paride* filio Priami Trojae Regis rapta, celeberrimi Trojani belli in cauſſa fuit. *Oreſti* denique in Lacedaemonis Regno ſucceſſit ipſius filius *Tiſamenus*, quo ab *Heraclidis* tum in Peloponneſum regreſſis anno ſcilicet 80. ab excidio Trojae, regno pulſo, Lacedaemone potiti ſunt duo *Ariſtodemi* filii *Euryſthenes*, & *Procles*, e quibus duo Regum familiae procreatae diu regnum obtinuere: queis de Regibus qui agunt ex Veteribus, adeundi Pauſanias in Lacon., ſive lib.3.cap.1.p.203.ſqq., Diodorus lib.4. p.278, Apollodorus lib.3. p.174. ſqq., Hyginus Fabul. 78, & 122, ex Nuperis vero Sigonius de Regibus Lacedaem. Oper. edit. Mediol. T. V. p. 68. ſqq., Antiq. Graec. T. V. edit. Ven. p. 1670. ſqq., Marshamus in Can. Chron. Seculo IX. p. 128. ſq., Ubbo Emmius de Republ. Lacon., ac de Regno Lacon. cap. I. ſqq. Antiq. Graec. T.V. p. 2218, ſqq., Cragius de Republ. Laced. lib.1. cap.1. eodem T.V. p. 2517. ſqq., Goguetius Orig. Scient., Leg.,& Art. Par.II. lib.1.art.5. p.42.ſqq., noſque fuſius ſuo infra loco.

XVIII. Quod nunc vero ad rem proxime confert meam, *Lelegem* equidem Indigenam faciunt Pauſanias loc. cit. in Lacon. p.203, & Apollodorus lib. 3. p. 170; Arabem e contra ex *Abrahami* fortaſſe, ac *Ketburae* proſapia Grotius; ex *Edonibus* & *Odomantibus* in Thracia Leleges deſcendiſſe, ex *Idumaeis* hoc eſt, e veteri Scholiaſte Ariſtophanis in Acharn. Act.1.Sc.4, Stephanus Morinus arguit in Diſſert. 1. de Cognat. Laced., & Hebr. ex octo Genevae 1683. editis p.14. ſq.; *Amalecitas* genere fuiſſe ex adverſo Leleges aeſtimat Tourneminius in Adpend.2. ad Poſſini diſſert. in Eſther Oper. Menochii T. II. edit. Venet. p.431. ſq. Sed enim Cragius lib.1. cap.2. ſq. p. 2521. multis *Lelegem* genere Aegyptium fuiſſe, ex Aegyptoque Coloniam ab eo in Laconicam fuiſſe deductam oſtendere nititur. Quò ſane probabiliter faciunt tam Pauſanias, qui in Attic. lib. 1. cap. 44. p. 106. quorumdam fuiſſe opinionem refert, quod *Lelex* ex Aegypto in Laconicam appulſus fuerit, fueritque *Neptuni*, ac *Libyae*, *Epaphi* filiae filius; quam ex Timagora Stephanus de Urb. p.303, ac Euſtathius ad Iliad.β, & ad Odyſ.A, quibus ea probabilis quammaxime opinio eorum habita eſt, qui *Spartam* dictam fuiſse pugnant a *Spartis*, qui cum *Cadmo* advenerant, ejectique

que in Laconicam, Urbem ab ſe *Spartam* adpellarunt. Confert in id, quod *Lacedaemon* poſtea Indigena utique, *Lelegis* abolere nomen, ſuoque de *Lacedaemonem* Regionem deinceps adpellandam duxiſse videtur, quod *Lelex* alienigena fuiſſet. Ad haec auctor eſt Strabo lib.8. ab *Achaeo* Xuthi filio, *Deucalionis* pronepote, ut ſupra diximus, Colonos in Laconicam ductos, eoſque *Achaeos* fuiſse denominatos. Quin ipſe Pauſanias in Lacon., ideſt lib.3. cap.15. p.245. Comitium, quod *Varium* nuncupabatur, Spartae celebre memorans, proxima illi fuiſse Heroica *Cadmi* Agenoris filii, *Oiolyci* filii Aegei, ac *Therae* poſterorum adfirmat: quod argumento eſt ſane veteris de Aegyptiaca Spartanorum origine memoriae. Verumtamen haud leve heic faceſſit negotium, quod ſe cognatos Judaeis, ab ipſoque quin imo Abrahamo prognatos Lacedaemonii ſe praetuliſse leguntur. Tam enim *Areus* Lacedaemonis Rex in Epiſtola ad Oniam Judaeorum Pontificem apud Joſephum Antiq. lib.12. cap.5, cujus etiam mentio fit a Freculpho in Chron. lib.5. cap.6. Bibliot. PP. Lugd. T.XIV. p.1109, quam *Jonathas* apud eumdem Joſephum Antiq. lib.13.cap.9. amicitia, & cognatione Judaeos Lacedaemonis conjunctos uterque ſcribit. Et foederis quidem a *Juda*, & *Jonatha* cum Lacedaemoniis initi, & inſtaurati teſtes accedunt locupletes Auctor libri 1. Macchab. cap. 12. v. 5. ſqq., ac Zonaras in Annalibus lib.4. §.24. p.213. edit. Pariſ., Ven. p.160. Origine itaque Jadaei Meurſio in Miſcell. Lacon. lib. 1. cap.7. Lacedaemonii viſi ſunt; quod fieri nequivit, niſi ex Chananaeis ſub *Joſue* expulſis originem Lacedaemonii traxiſse dicantur. Contra Shuckfordio Hiſt. Mundi ſacri, & profani T.III. lib. 10. p.52. ſqq. unus ex Iſraelitis ab Aegypto, poſtquam eo Paſtores Reges potiti ſunt, expulſis fuiſse *Lelex* viſus eſt. Aſt enim Bochartus in Chanaam, hoc eſt Geogr. Sacr. Par.II. lib.1. cap.22. Oper. T.II. p.457, cui ſane in ſententia praeceſſiſſe videtur Scaliger Can. Iſagog. lib.3. p.332, certeque Leideckerus de Republ. Hebr. T.II.lib.7.cap.8. p.567, (quod attamen haud probat Buddaeus in Hiſt.Eccl.Vet.Teſt.T.II. Periodo II. ſect.6. p.747), totum id ad fabulas amandare non dubitavit, indeque fabulam hancce fortaſſe dimanaſse, quod referente apud Stephanum de Urb. p.303. Claudio Jolao, Judaeus quidam *Sparton* nomine

mine Thebas cum *Baccho* ad Militiam profectus fuerit: inde factum putat, ut *Sparton* ille Judaeus confuſus cum *Spartone* alio Phoronei filio, pro Spartae conditore nonnullis habitus fuerit. Verum conjectura iſta miſsa, ſi conjecturis veri longe ſimilibus indulgere licet, ego quidem Lacedemonios, ſive Leleges originem habuiſse puto illis ab Arabibus, qui *Cadmo* in expeditione ſocii fuere, quoſque non alios fuiſse, quam Iſmaelitas, aut ſimiles ex *Eſau* ſtirpe, aut *Kethurae* in Arabia progenitos opinor. Quae opinio fuit ipſiſſima Grotii, in quam utroque fere coincidit pede opinio Tourneminii: in quo id unum diſplicet, quod *Cadmum* Hevaeum, & Chananaeae originis fecerit. Opinione parum hinc abfuit Stephanus Morinus in diſsert. 1. de Cognatione Lacedaemonum, & Hebraeorum p. 13. ſqq. ex Idumaeis profectos Lacedaemones exiſtimans: Idumaeos enim Judaeorum fratres dictos conſtat ex Num. xx. 14, Deuter. xxiii. 7, alibique, eos vero *Cadmo* duce egreſsos e patrio ſolo aliis cum Chananaeis, a *Joſue* ad quaerenda aliò loca compulſos, in Graeciam adveniſse, ac in Boeotiam alios, alioſque in Laconicam, unde genere Judaeos ſe poſtea *Leleges* dixerint, auguratur, multiſque ſuadere nititur. Parum & abhinc diſtat Fourmontius in Reflex. Crit. ad Hiſt. Vet. Popul. T. II. lib. 3. cap. 12. p. 257. ſqq. in ea perſuaſione verſatus, ut putet a *Lelegee* Phoenice in Laconicam Philiſtaeos, Madianitas, Ammonitas &c. ſub *Gedeonis* aetate fuiſse deductos, indeque a Judaeis genus ſe Lacedaemones duxiſse rite, vereque dixiſse.

XIX. Ad celebriores Colonias alias antequam accedo, aliae longe plures minoris momenti, quae hacce ſub aetate, ſequentique in Regiones ubique paſſim alias ductae feruntur, Coloniae haud ſicco nobis praetereundae modo ſunt pede, quin obiter earumdem duces, & loca ſaltem indicentur. Ejuſmodi fuere Aeginetae ducti ab *Aeaco*, teſte Iſaacio Tzetze in Lycophron. Canobitae a *Canobo*, de quo Euſtathius in Dionyſ. Perieg., & Tacitus Annal. lib. 2. Tenedi a *Piſandro*, & ab *Oreſte*, ut habet Pindari Scholiaſtes in Neme. Ode 11. Phocenſes a *Dejone* Aeoli filio, quò poſt a *Phoco* Ornytionis filio, Siſyphi nepote, ducta Colonia, Regioni ad Trithoneam, & Parnaſſum inditum *Phocidis* nomen eſt, toti poſtea Regioni a *Phoco* altero Aeaci filio apud Pauſaniam in Corinth., ideſt lib. 2.

cap. 4.

cap. 4. p. 120, ac in Phocicis lib. 10. cap. 1. p. 798. Byzantini duce *Pauſania*, uti tradunt Juſtinus lib. 9. edit. Mediol. p. 111, ac Conſtantinus Porphyrog. de Adminiſt. Imp. lib. 2. Them. 1. Byzant. T. XXII. p. 20. ſq. edit. Pariſ., Ven. p. 16. ſq. Gortynii in Creta ducibus *Polide*, *Delpho*, & *Crataide* apud Cononem Narrat. 36. in Bibl. Photii Cod. 186. p. 443, & Plutarchum de Virtut. Mulier. Melii ducti ab *Apodaſmo*, quo de Conon ibid., Thucydides lib. 5, & Plutarchus loc. cit. Cnidii a *Xenare*, ut habet Thucydides loc. cit., videnduſque Vindingius in Hellene p. 458. ſq. Lyttii in Creta ducti a Lacedaemoniis apud Ariſtotelem Polit. lib. 2. cap. 8, Polybium lib. 4. cap. 53, & Plutarchum loc. cit. Magneſii, ac Scyllaei Lacedaemoniorum Coloni etiam, Vellejo Paterculo lib. 1. cap. 4., ac Stephano de Urb. p. 300. teſtibus. Morici in Phrygia duce *Piſiſtrato*, de quibus Plutarchus lib. de Flum. Trachinii, deinde *Heracleenſes* dicti, in Theſſaliam a Lacedaemoniis deducti apud Diodorum lib. 4. p. 249, & lib. 14. cap. 83, Apollodorum lib. 2. cap. 7. §. 6. ſq., Strabonem lib. 9. p. 295, Thucydidem lib. 3. p. 235, Marcianem Heracl. in Perieg., & Euſebium ad an. 4. Olympiad. 89. p. 516: quo loci tamen quinquennii metachroniſmum eſſe, & ad an. 3. Olymp. 88. Coloniam a Lacedaemoniis Heracleam ductam eſſe retrahendam adnotarunt Scaliger, ac Vallarſius ibid. Calliſthaei, poſt a *Thera* duce, *Theraei* denominati, teſtibus Strabone lib. 10. p. 333, Herodoto lib. 4. cap. 147. p. 140, & Pauſania in Lacon., ſive lib. 3. capp. 1, & 15. p. 205, & 245: qua de Colonia tamen fuſius infra. Selgenſes duce *Calchante* genere & ipſo Lacedaemonio, ut habent Strabo lib. 12. p. 570, Dionyſius Alex. in Perieg., ſive Deſcript. Orb., ibique Euſtathius p. 113, Polybius lib. 5. p. 420, Stephanus de Urb. p. 286, & Conſtantinus Porphyrog. de Them. Par. I. lib. 1. Them. 14. p. 16. edit. Pariſ., Ven. p. 13. Lesbii a *Piſandro*, & *Oreſte* deducti, a *Lesbo* Aeoli nepote pridem dicti apud Scylacem in Periplo, ac Pindarum Nem. Ode 11, ibique Scholiaſtem. Heniochii, & Zygii in Boſphoro Cimerio a *Rheca*, & *Amphiſtrato* ducti, queis de Strabo lib. 11. p. 341, Dionyſius in Perieg., ibique Euſtathius, Plinius lib. 6. cap. 5, Solinus cap. 15, & Ammianus lib. 22, cap. 15, quorum tribus poſterioribus duces illi *Telechius*, & *Am-*

Digitized by Google

& *Amphitus* ex progenie *Caſtoris*, & *Pollucis* vocantur. Crotoniatae, & Locrenſes, duce *Polydoro*, apud Pauſaniam in Lacon. cap.3. p.209. Condita tamen *Croton* a *Miſcolo* Alemonis filio ab Hercule admonito traditur Ovidio Metamorph. lib.15. v.19. ſqq. Cytherii in Inſula Bojae objecta, queis de Thucydides lib.4. p.287. Campani, Brutii, Tarentini, Samnites, Sabini &c., ducibus *Sabo*, *Phalanto*, *Taranta*, *Glauco*, aliiſque *Caſtoris*, & *Pollucis* olim comitibus apud Juſtinum lib.20. p.222, Dionyſium Halic. lib.2, Servium Aen.3, 8, & 10, Pauſaniam in Phocic., ſive lib. 10. cap.10. p.822, Marcianum in Perieg., Dionyſium in Deſcript. Orbis, ibique Euſtathium, Silium Ital. lib.11, ac Florum lib.1. cap.18. Arpi in Apulia, *Diomede*, exciſo Ilio, duce, teſtibus Juſtino loc. cit., Plinio lib.3. cap.11, Strabone lib.6. p.196. Lucerios adjungente, Virgilio Aen. lib. 11, v. 242. Veneti *Antenore* duce, expugnata Troja, queis de Livius lib.1. cap.1, Juſtinus loc. cit., Silius lib.8. v.603, Martialis lib.4. Epigr.24, Caeſar de Bello lib.5. ſub init., Sidonius Apollin. in Panegyr. Anthemii v.189, etſi Strabo lib.4. p.134. Venetos ex Gallia, & ab Oceano deduxerit. Thurini, duce *Philoctete*, a quo condita Urbs fertur Juſtino loc. cit. Metapontini ab *Epeo* Trojani equi fabricatore deducti apud Juſtinum ibid. Cantabri in Hiſpania, Offigi, & Lacimurgi in Luſitania, ut habent Strabo lib.3. p.88. ſqq., ac Plinius lib.3. cap.1, queis de aliiſque longe pluribus Coloniis fuſe Meurſius in Miſcell. Lacon. lib.1. cap.7, & lib.2. cap.7. Antiq. Graec. T.V. p.2235. ſqq., & p.2312. ſqq., Cragius lib.1. cap.3. p.2523. ſqq., noſque prolixius ſuis infra opportune locis.

XX. Ad Joſue tempora ſtylo nunc deflectendo, ab eo cum Iſraelitis ex Aegypto regrediente pulſos undique a Palaeſtina Chananaeos, ſive Phoenices, alias ſibi aliò quaerere ſedes fuiſſe compulſos, qui inficias adhuc ire non dubitarent, nae ii liquidis Exodi XXIII. 28. ſq., Deuter. VII. 20, IX. 3. ſq., & XXXIII. 27, Joſue 11. 9, XI. 6. ſqq., XIII. 6, & XXIV. 12, ac Jud.1. 4. ſqq. teſtimoniis falſi revinci ſe pati debent. Itaque migraſſe *Jebuzaeos*, & *Gergezaeos* primum in Aegyptum, ac poſtea in Africam, Tingis ibi condita, indeque Colonias in Graeciam eduxiſſe auctor eſt Procopius de Bello Vand. lib. 2.

cap.16,ut paullo ſupra dictum §.XII. eſt.Ita commigraſſe *Ammonitas*, *Madianitas*, *Anachaeos*, *Ammorraeos*, unde *Mauri*, & *Gomeres*, de quibus Antonius Nebriſſenſis Rer. Hiſpanicar. Dec. II, genere Phoenices omnes, in Cyrenaicam, ac Libyam, qua terra per Catabathmum, quo declivi loco aut Aegyptus ab Africa dividitur, juxta Salluſtium in Jugurtha cap. 19, aut verius Cyrenaica finitur, juxta Strabonem lib. 17. p. 576, Ptolomaeum lib. 4. cap. 5, ac Plinium lib. 5. cap.5, qua ſibi patenti Mari, uti de Sidoniis tradunt Creſpus, ac Salluſtius in Jugur., Leptim ab iis conditam referens, *Hercule* praecipue duce, ac Principe, quem Tyrium Graeci, Aegyptium Diodorus, Libyum Salluſtius faciunt, *Macerim* vero, Phoenicia voce מחקר *Sapientem*, ſive *Philoſophum*, unde Graeca ſane vox Μαχάριος, *Mercurio* etiam facta communis, effluxit, adpellat Pauſanias in Phocic., ideſt lib. 10. cap.17. p. 836, (ubi *Macetidis* filium *Sardum* fuiſſe ſubjungit, ab eoque ducta ex Africa Colonia, Sardiniam occupatam, ſuoque de nomine adpellatam fuiſſe, cui ſimilia habent Silius, Solinus, Martianus Capella &c.), commigraſse, inquam, referunt Euſebius in Fragm. Graec. Scaligeri, & Salluſtius in Jugurtha. Alii vero ex Chananaeae Incolis longe plures, ut *Hevaei*, *Amalecbitae*, *Pherezaei*, *Cinaei* &c. in Graeciam qua ab *Ogyge*, ſive *Agag*, *Cadmo*, & *Phoenice* Agenoris filiis, aut fratribus deducti, Hellenibus viciſſim ex Phtiotide pulſis, Regionem omnem inter Oſſam, & Olympum pervaſiſſe feruntur, vel ut aliis placet, Boeotiam, ac Doridem circa Parnaſſum, quae *Heſtiotis* dicta, & *Cadmeja* eſt, ibique Aonibus, Temnicis, Ectenis, & Hyantibus permixti Thebas condidiſse; ab Illyrico deinde, Thracia, & Bithynia veteribus expulſis Incolis, novas, amplaſque ſibi conſtituiſse ſedes referuntur: qua de Colonia plura Bochartus in Geogr. Sacr. lib.1. cap. 16. ſqq. p. 426. ſqq., ac Fourmontius in Reflex. Crit. ad Hiſt. Vet. Popul. T. II. lib. 3. cap.12. p.218. ſqq. Eadem alii ſub aetate, veluti *Caphtoraei*, *Casluchi* &c., in Septentrionem ſeceſſione facta, Colchide, & Georgia, unde *Gurgeſtani*, Cappadocia, unde *Leucoſyri* Graecis denominati, Cilicia, duce *Cadmi* fratre *Cilice*, unde Regioni nomen adhaeſit, ac Lycia potiti traduntur: indeque duci-

ducibus *Thaſo* Cilicis filio, *Membliaro* Cadmi cognato, & *Archaleo* Phoenicis filio, in Inſulas ſe ſe effudiſse Maris Aegei, ac Mediterranei, Cyprum, Cytheram, Thaſum, Theram, Gades, Baleares, Siciliam, Melitam, Gaulam, Sardiniam, Corſicam &c., queis de Bochartus in Geogr. Sacr. Par.I. lib.1. cap.1. ſqq. p. 345. ſqq., & Hornius de Origin. Gent. Americ. lib.2. cap.3. ſq. p.72. ſqq. Alii demum *Lynceo*, & *Danao* Cadmi patruelibus ducibus, Rhodum primo appulliſse perhibentur, indeque in Argos transfretantes, cum *Gelanore* Rege popularibus ejectis, Regionem ipſi occupaſſe, ductiſque inde Coloniis in Epirum, Theſsaliam, Cretam, Lesbum, Lemnum, Imbrum, Lariſsam &c., amplas Regiones illas longe, lateque implevisse. Ab Attica deinde, & Aeolia novis in Aſiam Minorem aliis deductis Coloniis, Graecis Urbibus Jonia, & Aſia Minor ubique ab iis repleta eſt.

XXI. Et certe *Cadmus*, ut ab eo juxta aetatis ordinem exordium capiam, *Agenoris* filius fuiſse fertur, ſive *Ogygis*, uti Suidas refert, quem imo ab *Ogyge* indiſtinctum, *Cadmum* ideſt, aeſtimat Stillingfleetus in Origin. Sacr. lib.1.cap.1. p.20, quem ideo refellit Fourmontius in Reflex. Crit. ad Hiſt. Vet. Popul. T.II. p. 228. ſqq., quoniam *Agenor* idem, qui *Ogyges* ipſi videtur, *Ogyges* vero idem, qui *Og* Baſanis Rex, ſive *Agag* Rex Amalech, ut ibi Fourmontius interpretatur, cujuſce filius, aut cognatus, ut aliis placet, *Cadmus* fuerit. Quo fit, ût genere Chananaeus, ſive Phoenix fuerit *Cadmus*, eademque perinde fuerint gente procreati tam *Phoenix*, ac *Cilix* Cadmi fratres, quam *Lynceus*, & *Danaus* Cadmi patrueles, & *Thaſus* Cilicis filius, & *Membliarus* Cadmi cognatus, & *Archaleus* Phoenicis filius. Adhaec, ut id obiter adnotem, a *Cadmo*, Aegyptias non utique, quarum inventum ſuo alioqui *Thotho* ab Aegyptiis tribui ſolet, ſed Phoenicias, ſive Syriacas, quas non alias fuiſſe, quam Samaritanas Judaeis Babylonicam ante Captivitatem uſurpatas, e quibuſve Graecae, Latinaeque deinde efformatae fuerint, oſtendere adnixi ſunt Scaliger in Not. ad Euſeb. n.1617. Bochartus in Geogr. Sacr. Par.I. lib.1. cap.20. p.451. ſq., Huetius Demonſt.Evang. Prop.IV.cap.13.§.9. T.I. edit. Ven. p.182. ſqq., contra nitentibus hinc Spanhemio de

Praeſt. Num. edit. Rom. p.50, ubi priſcas Phoenicum litteras ad Hebraicas magis, atque Chaldaicas accedere, quam ad Samaritanas ex Nummis Punicis, ſive Phoeniciis litteris inſcriptis, Tyri praeſertim, atque Sidone percuſſis, ſuadere conatur, inde Warburthono in Excerptis ad Hieroglyphica Aegipt. Par.II. cap.31. p.171. ſq., ubi a Moyſe Aegyptiacas litteras tam adauctas, quam mutatas fuiſſe arguit, earumque Alphabetum, queis Pentateuchum conſcripſit, longe *Cadmaeo* amplius obſervat, a *Cadmo*, inquam, Phoenicias in Graeciam primo fuiſſe delatas, Euſebio Praepar. Evang. lib.10. cap. 2. referenti, & ante ipſum Herodoto lib.5. cap. 58, Ephoro apud Clementem Alex. lib.1. Strom., Diodoro lib. 5. p.227, Syriano Comment. in Hermogen., Timone apud Sextum Empiricum adverſ. Grammaticos cap. 2, Plutarcho Sympoſ. lib.9. cap. 2, Tacito Annal. lib.11. cap. 14, aliiſque Bocharto loc. cit. p.448. ſqq., Meurſio de Fortuna Athenar. cap.8. Antiq. Graec. T.V. p.1723. ſq., ac Fabricio Bibl. Graec. T.I. cap. 23. p.147. ſq. relatis, conſentiunt vulgo Eruditi, ex Plinio lib.7. cap.56, ex Tacito loc. cit., Dione Chryſoſtomo orat. 13. p. 225, Servio ad Aen. 2, Demoſthene contra Neaeram, Harpocratione, Suida, Heſychio &c. adnotantes tamen a *Cadmo* litteras dumtaxat 16. deportatas fuiſſe, quibus poſtea Trojani belli tempore, poſt *Cadmum*, ideſt annis 300. amplius, a *Palamede* quatuor ΞΘΦΧ, poſtque inde plurimum temporis a *Simonide* quatuor aliae ΗΩΖΨ additae fuerint. Addit Plinius loc. cit. ex Ariſtotele duas ΘΧ, non a *Palamede*, ſed ab *Epicarmo* repertas fuiſſe, adeo ut non niſi poſt *Euclidem* Archontem, hoc eſt Olymp.88. an.2., Chriſti ante natalem 427, Graecum integrum Alphabetum litteris 24. conſtans in uſu eſſe ceperit, Plutarcho in Ariſtide p.319. teſte: quamvis Auctor Chron. Paſchal., ſive Alex. p.167. edit. Pariſ., Ven. p.134. non ante Olymp. 96. annum 4. Elementa XXIV. uſu Athenienſibus veniſſe ſcribit. Sed & Latinis principio litteras fuiſſe paucas ſcripſit Tacitus Annal. lib.11. cap.14, ubi Lipſius in Not. n. 47. ſq. p.146. obſervat eas nonniſi XVI. fuiſſe, K a *Salluſtio* Ludimagiſtro repertam, G a *Spurio Cavilio* additam, X ſub *Auguſti* aetate inventam, a *Claudio* tres alias litteras adjectas, Tacito, & Svetonio teſtibus, quin eas tamen indi-

indicent. A Claudio vero Aeolicum digamma, ſeu litteram Ⅎ inverſam adhibitam refert Quintilianus. A Varrone litteram *Va* loco Ⅎ ſuffectam. *Claudium* item loco Graecae Ψ ſuffeciſſe P S, ſub figura X tamen, identidemque Φ loco ab eodem ſuffectas F, ſive P H arguit. Videndi hiſce de litterarum inventis Apoſtolius Proverb. Cent. XVII. prov. 25, & Cent. XX. prov. 29, Meurſius ad Heſychium p. 179. ſqq., Salmaſius ad Inſcript. Herodis Attici p. 130. ſq., Petitus Obſerv. lib. 2. cap. 1, Spanhemius de Praeſt. Num. diſſert. 2, Montfauconius in Palaeogr. Graec. lib. 23. p. 147, Renaudotius in gemina diſſert. Monum. Hiſt. Acad. Inſcript. T. II. inſerta, aliique Fabricio loc. cit. recenſiti: ſed hiſce de Litteris fuſius in Proleg. I. Caeterum mire falli Franc. Junium de Academia, & qui eum pone ſequitur, Georgium Hornium in Hiſt. Philoſ. lib. 3. cap. 4. p. 149, arbitratos Thebis in Boeotia exſtructis a *Cadmo*, Scholas, ſuo de nomine *Cadmeas* adpellatas, fuiſſe inſtitutas, recte animadvertit Bruckerus in Hiſt. Crit. Philoſ. lib. 2. cap. 6. §. 4. p. 235, precaria haec hypotheſi de Scholis cum litterarum uſu introductis inniti, ullo alio abſque fundamento, quod in Viro Coloniis effundendis intento, fruſtra collocatur. Ex his itaque fit, ut *Cadmus*, ideoque *Phoenix*, *Cilix*, & *Danaus* &c. quoque, genere Phoenices, ſive Syri fuerint. Quò ſententia pariter accedit ſua Pauſanias in Boeoticis, hoc eſt lib. 9. cap. 12. p. 734, *Cadmum* genere non Aegyptium fuiſſe, ſed Phoenicem inde probans, quod *Minerva*, Graece Ἀθηνα, (quam non utique ex Hebraeo מְנוֹר *Menor*, quod eſt *Liciatorium* I. Reg. XVII. 7, quaſi a filo ducendo *Minerva* dicta fuerit, ut putat Abbas Baſſius in Notis ad Bannier Mytholog. T. II. lib. 2. cap. 3. p. 360, ſed Τήνα *Tena*, ab Hebraica voce תְּבוּנָה *Tebunah*, quod eſt *Cognitio*, derivatam, *Minervae* propriam Tourneminius verius putat de Origine Fabul. p. 93. in Ephemer. Trevolt. 1702. Novemb., & Decemb.), cujus e Saide Aegypti Urbe ſimulacrum a *Cadmo* deportatum ferebatur, *Siga* diceretur ſermone Phoenicio, *Sais* vero Aegyptio. Sed enim Pauſaniam, cui paria de *Minerva* Aegyptiis dicta *Saide* ſcripſit Tzetzes ad Lycophr. v. 3, quocum & faciunt, ex quove ſuam praecipue confirmant opinionem Bochartus in Geog. Sacr. lib. 1. cap. 20. p. 454, ipſumque

que pone ſequuti Buddeus in Hiſt. Eccl. Vet. Teſt. T.I. Per. II. Sect. 2. §. 18. p. 788. ſqq., & Natalis Alexander Hiſt. Eccl. Vet. Teſt. Aetat. M. IV. cap. 7. edit. Luc. T. II. p. 121. ſqq., recte Marshamus in Can. Chron. Seculo IX. p. 120. ſqq. refellit, & cum Pauſania Tzetzem etiam Jablonskius in Pantheo Aegypt. lib. 1. cap. 3. p. 54. ſqq., quod *Minervae* nomen Aegyptium fuit *Neith*, (unde facta *Anith*, vel *Athine*, ac demum Graece Ἀθῆνα *Athena*), Platone in Timaeo p. 1043, quem exſcripſit etiam Arnobius lib. 4. p. 1371, teſte, eamque Sais egregie cultam cum Platone docet Cicero de Nat. Deor. lib. 3. p. 248; ex *Sida* vero Danai filia, aut Beli uxore, Danai matre, a Pauſania factam *Sigam* conjicit. Aſt enim Aegyptiis, Phoeniciiſque *Minervae* nomen fuiſſe *Oyxa*, *Onga*, ſive *Onka* tradunt Euphorion apud Stephanum de Urb. p. 229, unde Ὄγκαι vicus Boeotiae prope Thebas, Pindari Scholiaſte ad Olymp. Ode 11. p. 20, & Tzetze ad Lycophr. p. 182. teſtibus, Aeſchylus in Ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας p. 54, 72, & 95, ibique Scholiaſtes, & Heſychius: qua de nomenclatione plura Seldenus de Diis Syris ſyntag. 2. cap. 4, Bochartus in Geogr. Sacr. lib. 1. cap. 16. p. 427, & lib. 2. cap. 12. p. 745, ac Fourmontius in Reflex. Crit. ad Hiſt. Vet. Popul. T. I. lib. 2. cap. 6. p. 75. ſqq.

XXII. Receptior eſt tamen Chronologorum vulgo ſententia Euſebii, Herodotum lib. 5. cap. 58. ſq., Diodorum lib. 1. p. 14, Eratoſthenem, Tacitum Annal. lib. 11. cap. 43, Julium Africanum &c. ſequuti, in Chronico Oper. S. Hieron. T. VIII. p. 214. a *Phoenice*, & *Cadmo* Agenoris, Bacchi, ſeu Oſiridis avi filiis, & fratribus, ſub *Othoniele* Judice primo e Tribu Juda, e Thebis Aegypti in Syriam, ideſt Phoenicem, Coloniam eductam fuiſſe, eoſque apud Sidonem, ac Tyrum regnaſſe referentis; atque p. 106. a *Danao* expulſo *Aegypto*, a Moyſis obitu ſub *Joſue* initio, ab eoque viciſſim Argis expulſo *Gelanore*, Aegyptiorum Coloniam ibi fuiſſe defixam adfirmantis. Ubi, uti vides, *Cadmo* annis circiter 10. anteriorem *Danaum*, iſtumque *Joſue*, illumque *Othonieli* aetate ſuppares facit: qui alioqui Praep. Evang. lib. 10. cap. 3. ex Africani, cui pares in ſententia ante, poſtque ſtetere Eratoſthenes, Solinus, Clemens Alex., Tatianus &c., quemque pone ſequitur ipſe ſententia, *Ogy-*

Digitized by Google

Ogygi, & *Inacho* coaevum *Moyſem* facit, *Moyſe* vero annis 199. poſteriorem *Cecropem*, atque undecima generatione *Inacho*, *Ogyge*, ac *Moyſe* recentiores *Danaum*, & *Cadmum* adfirmat, *Moyſem* vero, *Ogygem*, & *Inachum* generationibus viginti, annis ideſt quadringentis adminus, Trojano priores excidio: qua de poſteriori ab Euſebio ratione temporum inſtituta recolenda, quae ſuperiori §. de duplici *Inacho* diſtinguendo tradita ſunt. Quamquam & *Cadmo* ſynchronum fuiſſe *Danaum*, hunc vero Aegyptiis *Armaim* dictum, *Seſoſtris* fratrem, anteque Trojae excidium annis 300. floruiſſe oſtendit Freretus in Defenſ. Vet. Chron. Par.II.de Chronolog.Hiſt.Orient.p.273. ſqq., a quo propius abſuit Fourmontius in Reflex. Crit. T.II. lib.3. cap.12. p.230. ſqq., ubi *Cadmum* aetate *Ammenomi* patri *Seſoſtris* ſupparem facit, & Coloniam ex Phoenice, ut falſo ipſe putat, ante Trojae excidium annis 210, aut 215. in Graeciam ab eo deductam arguit. Cum Euſebio probe facit, qui eumdem exſcribere ſolet, Georgius Syncellus in Chronog. p.152, 158, & 162. edit. Pariſ., Ven. p.121, 126, & 129, a *Cadmo* e Thebis Aegypti Coloniam primo in Phoenicem, indeque in Boeotiam alteram tranſductam adfirmans. Juxta haec itaque *Aegypto* pulſo ab *Aeglone* Moabitidis Rege, quo de Jud.111.13, ut putat Fourmontius in Reflex. Crit.T.II.p.241, Aegyptiaca Colonia a *Cadmo* in Phoenicem deducta primo fuit, quacum deinde transfretavit in Rhodum Inſulam, ubi Jalyſſus Urbs condita, ac *Neptuni* cultus, Templo aedificato, inductus fertur Diodoro lib.5. p.227. Inde *Cadmum* Delphis Phocidem, vel Thebaidem in Boeotia verſus perrexiſſe, novaſque per Boeotiam, ac poſtinde per Illyricum, ita de filii *Illyrii* nomine dictum, teſtibus Apollodoro lib.3. p.95. ſq., ac Strabone lib.7. p.326, atque Corcyram, Melitam, Inſulaſque proximas alias, quin etiam per Africam, ubi centum ab eo aedificatas Urbes refert Nonnus Dionyſ. lib.13, Scriptor tamen utramque fabulis implere paginam adſuetus, Colonias propagaſſe ſcribit Pauſanias in Boeoticis, ideſt lib.9. cap.1. p.719. ſq. edit. Kuhnii, videndusque Bochartus in Geogr. Sacr. Par.I.lib.1. cap.23. p.460. ſqq.

XXIII. Atque Colonias has utique in Boeotiam a *Cadmo* deductas Aegyptiacae originis fuiſſe fidem nobis facit indubiam

Aenea

Aenea Tabula illa, quam *Haliarti* circa annum 200. ab adventu *Cadmi*, in *Alcmenae* ſepulcro conditam, poſt annos inde plus 900. ab *Ageſilao* Lacedaemonis Rege ablatam refert Plutarchus in libello de Daemonio Socratis p.557. In ea Tabula enim deſcriptas refert litteras adeo pervetuſtas, ac mirabiles, Aegyptios quammaxime characteres referentes, ut Lacedaemoniis intelligi nullo quiverint modo. Quare ab *Ageſilao* miſſum *Agetoridam* Memphim abjiſſe ſubjungit ad *Chonuphim* Sacerdotem pro interpretatione, ab eoque tandem, poſtquam per triduum vetuſtos de variis Characterum formis libros conſuluiſſet, reſponſum ad Regem tuliſſe, Typos eſſe Scripturae Aegyptiacae ſpeciei illius, quae in uſu erat ſub Rege *Proteo*, quam didicerat *Hercules* Amphitryonis filius. Nugae porro, gerrae, atque fabulae hae, praeconcepta ſua pro opinione de *Cadmo* genere Phoenice, deque Phoeniciis ab eo in Graeciam delatis litteris, habitae ſunt Bocharto lib.1.cap.20.p.454: quae tamen apud Marshamum emunctae, ut notum eſt, naris virum in Can. Chron. Seculo IX. p.122.ſq. fidem repererunt haud fluxam. Et *Proteus* ſane in Aegypto regnaſſe bellum ante Trojanum inceptum dicitur Herodoto lib.2. cap.113, cui tamen hac in re detrahendam vult fidem Fourmontius in Reflex.Crit.T.II.p.169. ſq., abſque fundamento tamen, nam & *Proteum* in Aegypto regnaſſe confirmat Hyginus, regnaſſe in Inſula Pharo apud Aegyptum ſcribit Homerus, in Inſula Carpathos contra Aegyptum tradit Virgilius, ac poſt ipſum Statius, ac Servius; eumdemque inde migraſſe Phalagram Pallenes in Arcadia, indeque rurſus Aegyptum repetiviſſe prodit Iſaacius Tzetzes in Lycophr. apud Gyraldum in Hiſt. Deor. Syntag.5. Oper. T.I.p.168. ſq. *Chonuphis* quoque Heliopolitanus *Eudoxi* Cnidii praeceptor Diogeni Laertio in *Eudoxo* memoratur; qui ab *Ageſilao* Lacedaemonis Rege litteris ad *Nectanebum* Regem Aegypti acceptis, Aegyptum Aſtronomiae ediſcendae cauſſa profectus legitur. Geminas ad haec Inſcriptiones alias, Thebis in Boeotia in Templo *Apollinis Iſmenii* litteris *Cadmeis* inciſas, ab ſe conſpectas refert Herodotus lib.5. cap.59. ſq., qui ſuper. cap.58. *Cadmeas* etſi litteras etiam Phoenicias adpellaverit, quod proxime, ideſt e Phoenice, a *Cadmo* fuiſſent adlatae, ſiquidem tamen ab eodem *Cad-*

mo

Digitized by Google

mo in papyro Aegyptia ſcribendi modum Jones didiciſſe ſubjungit, eaſdem prius ab Aegypto litteras a *Cadmo* ipſo fuiſſe delatas ſignificat. Hunc ipſum in ſenſum Diodorus Bibl. lib. 1. p.20. *Cadmum* Aegyptiacae originis pronuntiavit, eque Thebis Aegyptiis originem protraxiſſe; quem poſtea lib.4. p.210. e Phoenice in Graeciam profectum ſcripſit. Ut intelligas Coloniam ex Aegypto prius cum litteris ab eo in Phoenicem, indeque in Graeciam eductam fuiſſe, litteraſque Graecis inlatas origine Aegyptias fuiſſe utique, ſed Phoenicias a loco dictas, e quo proxime fuerant deportatae. Mentem hacce de re ſuam adhuc clarius aperuit Tacitus Annal. lib. 11. cap. 14., Aegyptiis primae litterarum inventionis gloriam fore tribuendam haud dubitans, a quibus deinde Phoenices *Cadmi* opera cò appulſi, ut ab his Graeci poſtinde, a *Cadmo* nempe Phoenicum claſſe in Graeciam advecto delatas, eaſdem acceperint. Id neque ignoratum puto, negatumque Plinio, qui lib.7. cap.56. ideo ſcripſit litteras ſemper arbitratum ſe Aſſyrias fuiſſe, alios tamen apud Aegyptios a *Mercurio*, ut Gellius, alios apud Syros, (quo intelligi nomine Hebraeos docuit Euſebius Praep.Evang.lib.10. cap.2.), primum repertas credere, utraſque vero a *Cadmo* e Phoenice in Graeciam inlatas: qua pariter in perſuaſione fuiſſe Q. Curtium, Clementem Alex., alioſque vidit Lipſius in Comment. ad Tacitum lib.11.cap.14.num.43.p.145.edit.Plantin. Antuerp. Junge, quod cum *Cadmo* Arabes in Phoenicem primo, in Graeciam poſtea, in Euboeam perinde, ubi Chalcis Urbs condita fuit, trajeciſſe tradunt Strabo lib.10.p.447, Plutarchus in Theſeo p.2, ac Stephanus de Urb. p.352: quod argumento eſt ſane ab Aegypto deductam a *Cadmo* fuiſſe Coloniam; quae in Boeotiam, inde in Euboeam Inſulam, deindeque in Illyricum effuſa eſt, in Africam etiam, indeque in Hiſpaniam, Siciliam, Italiam, Sardiniam &c., videndique Wolfangus Lazius in Graecia Antiq. lib.1. cap.8. Antiq. Graec. T.VI. p.3947. ſqq., ac Eraſmus Vindingius in Hellene Antiq. T.XI. p.246. ſqq. In Thebaeo jam vero Regno *Cadmum* excepit *Polydorus* filius, Pauſania teſte in Boeot., ſive lib.9.cap.5.p.719. ſq. Polydori filio *Aemone* Athenas profecto, queis relictis ejus poſteros Rhodum abiiſſe, ac perinde Agrigentum uſque ad *The-*

ronem, ibi per generationes 17. inhabitaſſe refert Pindari Scholiaſtes in Olymp. ode 2, *Labdacus* filius alter in Boeotiae regno patri ſucceſſit, eique filius *Lajus*, quo deinde expulſo, Regno potiti ſunt *Zethus*, & *Amphion* Epopei Sicyoniorum Regis filii; ſed iis viciſſim a Thebanis ejectis, in Regnum *Lajus* reſtitutus eſt, qua de viciſſitudine Pauſanias loc. cit. p.720. ſq. *Lajum* excepit filius *Oedipus* fabulis clarus, hunc *Eteocles* filius, iſtumque filius item *Laodamas*; quo pulſo *Therſander*, ejus ex fratre *Polynice* nepos, Regno potitus eſt ſub Trojani belli tempus, cui deinde ſucceſſit in Regno *Tiſamenus* filius, iſtique filius *Auteſion*, quo in Dorienſes profecto, Thebis Regnum auſpicatus eſt *Damaſichton*, deinde filius *Ptolomaeus*, ac poſt ipſum *Xanthus* filius, quo interfecto, Thebanum Regnum in Popularis formam Reipublicae redactum eſt apud Pauſaniam loc. cit. cap. 5. p.722. ſq.

XXIV. De celebri modo altera ex Aegypto a *Danao* in Graeciam deducta Colonia dicendo, teſtes tam liquidos, quam locupletes hanc in rem advocamus Manethonem Joſepho relatum contra Appionem lib. 1. p.1041, Herodotum lib.2. cap.92, Diodorum lib.5. p.51, Apollodorum lib. 2. p. 63, Plinium lib.7. cap. 56, Pauſaniam in Corinth., hoc eſt lib.2. cap.16, p.145, Euſebium in Chron. p.210, ac Syncellum in Chronog. p.152, & 155. edit. Pariſ., Ven. p.121, & 123. Nempe Manethoni, Joſepho, Euſebio, ac Syncello a *Neptuno* generati fuere *Agenor*, & *Belus*, Agenoris filii *Phoenix*, & *Cadmus* fuere; Beli *Aegyptus*, & *Armaeus*, Agyptus alio nomine *Sethoſis* Manethoni, ac Joſepho dictus, *Rameſſes* Julio Africano, Euſebio, ac Syncello, *Seſoſtris* Herodoto, ac Vulgo doctorum, ut alibi oſtendimus: quo fit, ut *Seſoſtri* aetate ſuppar *Danaus* annis 300. Trojae excidio prior fuerit, totidemque annis Aegyptiaca iſthaec expeditio idem Trojae praeceſſerit excidium; nequaquam vero cum anno 72. Attico inceperit, veluti perſuaſum habuit Marſhamus in Can. Chron. Seculo IX. p.129. ſq., & poſt ipſum Newtonus in Chron. Vet. Regn. emendata cap.2. edit. Ven. p. 144. ſqq., ea uterque perſuaſione deceptus, quod *Seſoſtris* haud diſtinguendus ſit a *Seſacho*, illiuſque aetas ideo in longum poſt temporis intervallum ſit detrudenda. Jam vero ab Aegypti Urbe Chemmi in Thebaide, *Pani* dedicata, ut habet Dio-

Diodorus lib. 1. cap. 18, cum *Danao* profectionem adornaſſe *Lynceum* in Graeciam, ac utrumque navigio primo Rhodum appuliſſe ſcribit Herodotus. *Minervae* conſilio a *Danao*, adjuvante *Lynceo*, primam fabricatam Navem fuiſſe tradunt Apollodorus, ac Plinius: falſo tamen, quippe ante *Danaum* ex Aegypto in Graeciam navibus transfretaſſe *Herculem*, *Inachum*, *Cecropem*, *Cadmum* &c. palam modo factum eſt. *Ægypti* fratris, ſive *Seſoſtris* itaque, cujus in vitam peſſime *Armaeus*, ſive *Danaus* meditatus fuerat, metu, Aegypto profugus Rhodum primo appuliſſe, indeque Argos profectus, ac *Gelanore* Rege expulſo, Regnum occupaſſe, Aegyptiiſque repleviſſe Colonis, Joſepho, Diodoro, Euſebio, ac Syncello traditur. Finitimae huic Aegyptiacae haberi Expeditiones aliae debent, ex eadem utraque familia tam *Cadmi*, quam *Danai* in Graeciam factae. Veluti a *Phoenice*, a quo Bithynia condita mendoſe ſane in Euſebii p. 213, & Syncelli p. 126. editis legitur: Bithynia ſiquidem a *Phinide* Rege, ſive a *Phineo*, Argonautis aetate ſuppari, aedificata fuerit, uti recte animadverſum eſt Salmaſio, Schurzfleiſchio, Vallarſio &c.; quod haud advertens Bochartus in Geogr. Sacr. Par. I. lib. 1. capp. 4, & 10. p. 357, & 388. duplici peccavit errore, *Phoenicem* non genere Aegyptium, ſed Phoenicium faciens, atque a *Phoenice* Bithyniam revera conditam fuiſſe opinatus, a *Phenice*, inquam, ducta Colonia in Thraciam, ac Bithyniam, ut Apollodorus lib. 2. Argon. indicat, indeque a *Phineo* in Paphlagoniam, Cariam, Pontum, Boſphorum &c. propagata, qua de Bochartus loc. cit. Bithyniae porro Regioni primum *Bebryciae* nomen factum a *Bebryce* Aegypti fratris filia, eò cum marito ejuſdem *Aegypti*, fratris *Armaei*, ſive *Danai*, filio profecta docet Euſtathius in Dionyſ. Perieg. Regebatur eadem Regio Argonautico aevo ab *Amyco* Neptuni filio, qui Argonautis illuc appulſis ad luctam provocatis, ab uno ex his *Polluce* victus pyctali certamine fertur Hygino Fabul. 17, Servio ad Aen. V. v. 735, Apollodoro lib. 1. p. 30. ſq., ac Valerio Flacco lib. 8. v. 99. Qui *Amyco* in Regno ſucceſſit ejus frater, *Mygdone* ab Hercule Argivo perinde interfecto, Urbeque exciſa, tota *Lyco* Daſcyli filio Regio data eſt, a quo *Heraclea* eſt adpellata de *Herculis* nomine, qua de Apollodo-

lodorus lib.2. p.65, ac Tzetzes Chil.2.Hiſt.36. Pulſi poſt Bebryces ſunt a Thracibus,Bithynis,acThynis; unde novum *Bithyniae* Regioni nomen adhaeſit, ut habent Herodotus lib.7. cap.5, ac Strabo lib.12.p.373. Conferendus, qui de Conditoribus Urbium Bithyniae, earumque Regibus, atque Coloniis aliis eò deductis fuſius agit, Eraſmus Vindingius in Hellene Antiq. Graec. T.XI. p.423.ſqq. Ita & a *Cadmi* fratre *Cilice* ducta Colonia legitur alia in Ciliciam, ei de ſuo deinceps indito nomine, quae prius *Hypachaea* dicebatur apud Herodotum lib.7. p.470., ex quo corrigendus Euſtathius in Dionyſii Perieg., ac in Homeri Iliad. Z. v. 396, Cilices in Syriam profectos eis Ciliciam ademiſſe ſcribens. Cilicia poſtea, qua ſub Argonautis, qua Trojana ab expeditione redeuntibus, qua demum a Perſis occupata, & poſſeſſa fuit.

XXV. Eadem ſub aetate ferme, ex eodem *Cadmi*, & *Danai*, *Cilicis*,& *Phoenicis* genere aliae deductae paſſim ab aliis in Minorem Aſiam,& Graeciam Coloniae leguntur. Atque in his a *Danai* nepote,*Lyncei* filio *Abante* Colonia in Inſulam,poſt *Euboeam* dictam ab *Euboea* Aſopi filia,pridem vero *Macridem*, teſtibus Scholiaſte Homeri Iliad. β, Callimacho Hymno in Delum v.20, Scholiaſte Apollonii Argon. lib. 1. v. 1024, Marciano in Periplo p.23, ac Stephano de Urb. p.120, a forma oblonga ita dictam, Strabone teſte lib.10. ſub init., non a *Macri* Junonis nutrice, ut minus vere nonnullis viſum eſt, ſuoque de nomine primo *Abantidem* denominatam, Atticae, Boeotiae, Phocidi, & Locridi objectam, ducta fertur. *Abanti* porro filius fuit *Canethus*, iſteque pater *Canthi*, qui Argonauticae interfuit expeditioni, Apollodoro referente Argon. lib.1. p. 77. ſqq. *Ellopia* etiam dicta Inſula iſthaec fertur ab *Ellope* Jonis filio, Deucalionis nepote, a quo Colonia eò deducta fuerit, apud Strabonem lib.10. p.445, qui iſthuc etiam a Xuthi filiis *Cotho*, & *Aeolo* ſedem fuiſſe defixam refert. Arabes quoque, qui *Cadmo* expeditionis ſe dederant ſocios, Euboeam occupaſſe ſuperius ex Strabone lib.10.p.447. indicavimus. A *Cecrope* perinde *Erecthei* II. filio Coloniam in Euboeam miſſam fuiſſe memorat Pauſanias in Atticis, lib.1.cap.5. p.13, videndique, qui plura deſiderat, Wolfangus Lazius in Graecia Antiq. lib.2.cap.2. Antiq.Graec. T.VI. p.3564.

Digitized by Google

p. 3564. ſqq., ac Eraſmus Vindingius in Hellene Graec. Antiq. T.XI. p.485. ſqq. Ita & altera a *Cythero* Phoenicis filio, Cadmi nepote Colonia in Porphyruſam Inſulam tranſmiſſa fertur, eique ſuo de nomine *Cytherae* deinde factum cognomen, apud Euſtathium in Iliad. X, ac Stephanum de Urb. p. 177. A *Thaſo* alia in Inſulam Chryſe, a Metallis ita dictam, ac etiam Ο'δωνὶν apud Heſychium, ac Stephanum de Urb. p. 133, cui deinde *Thaſus* adhaeſit nomen, Herodoto lib. 2. cap. 44, Euſtathio in Dionyſ. v.528, ac Pauſania in Eliac. prior., idest lib. 5. cap. 25. p. 415. teſtibus, ubi a *Cadmo* uſque ad Thebanum *Herculem* generationes decem numeratae ſunt, indeque in Samothraciam, Imbrum, Chium, Lesbum, Tenedum &c., ut habent Diodorus lib. 5. p. 223, ac Stephanus de Urb. p. 133, queis de Bochartus lib 1. cap. 12. p. 393. ſqq. Ita a *Membliaro*, & a *Thera*, quem a *Thira* Moſaico diſtinguendum infra docebimus, Coloniae tranſplantatae leguntur in Creticas Inſulas Anaphem, quae poſt *Membliara*, & *Calliſtem*, quae poſt *Thera*, utriuſque de nomine ſunt adpellatae, ut fidem indubiam faciunt Herodotus lib. 4. cap. 147, Pauſanias in Lacon. lib. 3. cap. 1. p. 205. ſq., ac Stephanus de Urb. p. 34, & 137. Inde vero altera in Cyprum a *Membliaro*, & in Spartam altera a *Thera* emiſſa Colonia eſt. E *Therae* vero poſteris a *Batto* poſtinde, aliis *Catto* nuncupato, Cyrenes in Africa condita eſt, ut habetur apud Herodotum lib. 4. p. 311. ſq., Heraclidem de Politiis Graecor. Antiq. Graec. T. VI. p. 2825, Pindarum in Pyth. ode 4, Iſocratem in Orat. ad Philippum, Dionyſium Alex. in Perieg., ibique Euſtathium, ac Solinum cap. 30: queis de Bochartus lib. 1. cap. 22. p. 456. ſqq. *Therae* porro filius *Samus*, e Cadmi genere, duos genuit filios *Telemachum*, & *Clytium*, qui in Thera Inſula patri ſucceſſit; a *Telemacho* vero collectis copiis, inque Siciliam tranſductis, Inſula occupata eſt. Ejus filius fuit *Chalciopeus*, a quo progenitus *Aeneſidamus*, pater *Theronis*, quo de Scholiaſtes Pindari ad Olymp. ode 2. p. 22, qua de Colonia fuſius infra. Colonia ab *Antaeo* ducta in Africam altera, ibique Tingis in ipſo Gaditano freto Urbs aedificata refertur Plinio lib. 5. cap. 1, & Plutarcho in Sertorio. Ab *Archaleo* in oras Hiſpaniae alia, ubi Gades Urbs ab eo condita fertur Claudio Jolao in Hiſt. Phoen. apud Etymologum, ac fortaſſis

taſſis etiam *Utica*, quam annis 287. Carthagine antiquiorem ſcripſit Ariſtoteles libro de Mirabilibus. Ita a *Belo* in Cretam Inſulam, ubi Citium, & Lapethus Urbes ab eo conditae traduntur Alexandro Epheſio apud Stephanum de Urb. p. 186. Ita ab *Anio*, & *Andro* e Cadmi familia in Cycladas Inſulas Aegei Maris Delum, & Andrum, ut habent Virgilius Aen.3, Stephanus p.35, & Tzetzes ad Lycophr. p.98. In Naxum a *Baccho* Cadmi nepote; in Ceum ab *Ariſtaeo* Cadmi genero apud Hyginum in Aſtronomico Poet.lib.2. cap.Arctophylax, Theophraſtum lib. de Ventis p.405, & Apollonium lib. 2. A *Syro* Cadmi fratre, ſi fides Auctori Chron. Alex. eſt adhibenda, in Syrum Inſulam Aegei Maris e Cycladibus unam, ubi *Pherecydem*, qui aliis Pythagorae, aliis Thaletis fuiſſe praeceptor fertur, ex veterum Phoenicum Myſteriis, praeceptiſque repletis libris egregie profeciſſe, inque magnum evaſiſſe Philoſophum referunt Heſychius Mileſius in libro de Viris eruditionis fama claris, Stephanus, ac Euſtathius in Odyſſ. lib.15, non vero in Syriam proprie dictam, cui inde *Syriae* nomen Regioni adhaeſerit, uti perperam ſcripſit Alex. Chron. Auctor p.42. ſq. edit. Pariſ., Ven. p.35.ſq. Ita a *Gephyro*, ac *Cychreo*, qui cum *Cadmo* Boeotiam advenerant, inde in Atticam, ac Salaminem Atticae Inſulam Colonia deducta traditur Herodoto lib. 5. capp. 55, 57, & 61, ac Scholiaſti Lycophron. p.23, & 80. Inde eodem impetu a *Cadmi* poſteris Colonias undequaque propagatas in Africam, Hiſpaniam, Sardiniam, Corſicam, Siciliam &c. ex veterum Monumentis fit manifeſtum, queis de abunde, incredibilique eruditionis adparatu Bochartus in Geogr Sacr. Par.I.lib.1.cap.24.ſqq. p.465.ſqq.

XXVI. Conferenda in hanc ipſam *Cadmi*, ac *Danai* aetatem, velut indicat Euſebius in Chron. ad annum Abrahami 539. Oper. S. Hieronymi T. VIII. p. 206, quem cum anno ab Exitu Iſraelitarum ex Aegypto fere 50. componit Petavius Rat. Temp. Par.I. lib.1. cap.11. p.46, longe vero ante retrahit Soucietus in Faſtis Mundi p.5, a *Dardano* ſuo de nomine *Dardaniam* conditam, vocatamque anno Mundi 2338, ante Chriſtianam aeram 1683, Moyſis ante natalem 93, ante Iſraelitarum ex Aegypto egreſſum 174, minus vere tamen, conſignans; longiuſque retro quin imo eam duxit Mazochius in Sylvis Phalegicis

cis Par.I. cap.6. ad Spicilegii Bibl. calcem p.260.ſqq., ubi *Dardanum* non alium a *Dodanim* habet, & a *Troe*, quo de infra, *Dardani* nepote, indiſtinctum *Thiram*, quo de utroque Geneſ. x. 2, & 4, ab utroque vero Colonos in Troadem primo, inque Thraciam perinde fuiſſe transfuſos ſuadere multis, perſuaderequе conatur; in hanc, inquam, *Cadmi*, & *Danai* aetatem conſerenda Colonia a *Dardano*, quem *Cadmo*, & *Danao* ſynchronum eo loci facit Euſebius, in Troadem deducta, ubi Trojanum ab eo fundatum Regnum docent Apollodorus lib.3, ac Diodorus lib.4.p.191. Quamquam utrique prior ante *Dardanum* in Troade regnaſſe fertur *Teucer*, de quo paria indicat Stephanus de Urb.p.330: queis ideo magis auſcultandum puto, quam Servio ad Aen.3.v.95. in ea perſuaſione verſato, quod prius, quam *Teucer*, in Troade *Dardanus* regnaverit. Quamquam & Servio eodem loci fidem adhibendam haud dubitem, dum *Teucrum* e Creta Troadem adveniſſe tradit. Cujuſce vero generis fuerint primo *Trojani*, dubium eſt, in obſcuroque latet. *Phryges* fuiſſe, qui deinde in Siciliam tranſmiſerint, auctor eſt Pauſanias in Eliac. prior., ideſt lib. 5. cap. 25. p. 443. *Samothraces*, quos ſecum habitatum ſub Montem Idam in Urbe, cui ab ſe conditae, deque ſuo *Dardaniae* indiderit nomen, *Dardanus* traxerit, tradunt Strabo lib.7. p.331, & Marcianus in Περιπ. p.28. Sed enim Coloni hi *Samothraces* aetate quidem antevertiſſe *Phryges* illos videntur, utriſque tamen anteriores extitiſſe *Teucros*, iſtiſque imo *Idaeos*, ex Stephano loc.cit. colligitur, ubi ſcribit Τροία, Χώρα Ἀσίας, ἡ πρότερον Ἰδαία, εἶτα Τευκρὶς, εἶτα Τροία, *Troja Regio Aſiae, quae prius Idaea, deinde Teucris, poſtea Troja* dicta eſt. Quo fit, ut ejus ſententia primi Troadis Incolae fuerint *Idaei*, *Dactyli* ideſt, *Curetes*, iidemque, qui primi Cretam inhabitarunt, quoſque prima Aegyptios origine fuiſſe ſuperiori §. XVI. conjecturam ſecimus. Quam ipſam de Aegyptiaca Trojanorum origine conjecturam firmat Pauſanias in Eliac. prior., lib. 5. cap. 7. p. 391. ſq., ubi primos *Jovis* Sacrificulos fuiſſe *Dactylos Idaeos* fratres *Herculem*, *Paeoneum*, *Epimenidem*, *Jaſium*, & *Idam*, eoſque poſtea ab Ida Cretae, haud procul a Troade conſito, Monte in Elidem veniſſe ſcribit. Ab *Ida* vero tam Montem, quam ad ipſius radices Incolas dictos *Idaeos*

nemo

Digitized by Google

nemo non videt. Firmat & poſt Virgilium Servius ad Aen. 3; poſtque Servium Auctor Troicorum, (quod Opus tamen, una cum Iliade parva, aliiſque Poematibus Argonauticis, & Thebaicis, a Neandro fuiſſe confictum, eaque Opera Rhodomanno ſuperioris aevi Scriptori deberi oſtendit Rychius in Diſſert. de Primis Italiae Colonis cap. 10. ad calcem Stephani Byzant. de Urb. p.448.), ubi tradunt e Creta *Teucrum* Troadem adveniſſe: quod non eſt aliud, quam *Teucrum* Idaeae originis agere. Et *Teucer* quidem *Scamandri*, unde cognomen inditum fluvio Troadis, ac *Idaeae* Nymphae filius dictus legitur, a quo deinde Idacis *Teucrorum* inditum eſt nomen. *Jovis* quoque *Idaei*, & *Electrae* Atlantidis filii fuere *Dardanus*, & *Jaſius*, aliis *Jaſon*, qui Pauſaniae *Idae* frater etiam dicitur: tam vero Jovem *Idaeum* a Jove *Ammone*, ſeu Aegyptio indiſtinctum, quam *Jaſium* eumdem cum *Inacho* II. genere Aegyptium ſuper. §. VII. oſtendimus. *Dardani* frater quinimo Straboni, & Marciano loc. cit. fit *Jaſius*, a *Cadmo* vero *Dardanus*, *Harmonia* filia *Cadmo* uxore data, cum Colonis e Samothracia miſſus in Aſiam dicitur ad *Teucrum* Troadis Regem, a quo filia *Batea* in uxorem accepta, improlis poſt ejuſdem obitum Regnum etiam obtinuiſſe refertur, cujus inde de nomine *Dardania* nuncupata eſt. *Dardani* filius *Erichthonius* filium & ipſe ex Aſtyoche genuit *Troem*, e quo Regioni deinde nomen adhaeſiſſe notarunt Apollodorus, ac Diodorus loc. cit. Quae omnia eò quadrant, ut ejuſdem cum *Cadmo*, Aegyptiacae nempe, originis tam *Teucrum* fuiſse, quam *Dardanum* ſuadeant, atque perſuadeant. Ad haec *Tros* e Callirhoe *Scamandri* filia tres ſuſcepiſse filios *Ilum*, *Aſſaracum*, & *Ganymedem*, ac filiam *Cleopatram* fertur apud Apollodorum, & Diodorum; e quibus *Ganymedes* raptus refertur a *Tantalo* Paphlagoniae, ut Diodoro loc. cit., & Clementi Alex. Strom. lib. 1. anno 192. ante Trojae excidium dicitur, Rege, ſive Phrygiae, ut Euſebius habet in Chron. ad an. 660. p. 238. Quo loci rite obſervat Vallarſius *Trois* aetatem ab eo, quo ab Euſebio defixa eſt, tempore altius retrotrahendam ad annum plus minus 538. cum veteri Chronographo apud Clementem Alex. loc. cit. Ab *Ilo* itaque fratris injuriam ulciſcente *Tantalus* regno ſpoliatus ibidem traditur; atque ſuo de nomine *Ilas* in campeſtri Troadis condita:

ta. *Aſſaracus* filium genuit *Capym*, cujus *Anchiſes* filius, Aeneae pater. *Ilo* in regno ſucceſſit filius *Laomedon*, cujuſce filii *Tithonus*, qui in Aethiopiam profectus ibi filium procreavit *Memnonem*, & *Podarces*, vulgo *Priamus* in Regno ſucceſſor; a quo *Alexander*, frequentius *Paris*, genitus in Spartam delatus *Menelai* hoſpitis uxorem *Helenam* rapuit: quod ob facinus grave illud Graecorum adverſus Trojanos accenſum eſt bellum, quod toto decennio geſtum, nonniſi extremo Trojae excidio finitum eſt. Sed enim de Trojae fatis alius diſputandi opportunior ſe nobis offeret locus. Quia vero de *Curetibus* nobis heic ſermo incidit, de eorumdem Coloniis aliqua ſubtexere operae pretium eſt. Ab antiquiſſima igitur Gente iſta, e Chalcide profecta, Regio initio omnis poſtea *Aetolia* dicta, occupata fertur Ephoro, & Antimacho Euboeenſi apud Strabonem lib. 10. p. 463. ſqq. Inde pulſi ab *Aetolo* partim in Euboeam, partim in Acarnaniam transfretarunt, utrobique mixti in Acarnania Lelegibus, & Telebois, in Euboea vero Abantibus, & Aeolibus.

XXVII. Illud dumtaxat heic obiter attingendum, quod jamdiu ab Euſebio Praep. Evang. lib. 10. cap. 1. ſqq., ante ipſum a Clemente Alex., Juſtino, Tatiano &c., ac poſt ipſum a S. Auguſtino de Civit. lib. 18. cap. 12. ſq., aliiſque deinceps animadverſum intelliges, ſub hac aetate, ab Exitu ſcilicet *Iſraelis* ex Aegypto uſque ad obitum *Joſue*, ex Hebraeorum diſciplinis, quas in Aegypto didicerant, ex Aegypto deductis in Phoenicem Coloniis, ibidem eorumdem e libris magis hauſerant, in Graeciam demum translatos Aegyptio-Phoenices hoſce pleraque multa Indigenis propinaſse, indeque factum, ut Graecorum fabulae a Poetis quammaxime ex hiſce fontibus conflatae, contextaeque fuerint; varia quoque Sacra Diis, quos ſecum ex Aegypto delatos fingebant ut plurimum Coloniarum Duces, falſis inſtituta, leges quoque fuerint inductae; factis nempe quibuſdam memorabilibus apud Hebraeos viſis, ab Aegyptiis deinde aemulatis, & a Graecis demum ad ſe accommodatis occaſionem fabulis primam aperientibus, quae poſtinde a Poetis adauctae fuere, propagatae, amplificataeque, ut pridem adverterunt Herodotus lib. 1. cap. 53, & Diodorus lib. 1. p. 20. ipſimet, ac poſt ipſos Euſebius Praep. Evang. lib. 9. cap. 1. ſqq., & lib. 10. cap. 1.

ſqq., S. Auguſtinus de Civit. lib. 18. cap. 14, atque Syncellus in Chronog. p. 65. edit. Pariſ., Ven. p. 51, quo loci Graecos obſervat *Siquando propter antiquitatem quidquam fabulantur, illud a Moyſis aetate inventum, & conſictum proferre. Hujuſmodi ſunt Diluvia, Incendia, Prometheus, Io, Europa, Spartani, puellae Proſerpinae raptus, Arcana, Leges poſitae, Bacchi acta, Perſei labores, Herculei quoque, Argonautae, Centauri, Minotaurus, Bellum Iliacum, Heraclidarum expeditio, Jonum Coloniae traductae, & Olympiades.* Quo de argumento plura adhuc oppido ſuppeditabunt Voſſius de Orig., & progreſ. Idol. lib. 1. cap. 4. ſqq., Bochartus in Geogr. Sacr. Par. I. lib. 1. cap. 1. ſq. p. 2. ſqq., Juriaeus in Hiſt. Crit. Dogmat. Par. IV. Tract. I. cap. 6. p. 581. ſq., Herbertus de Cherbury de Relig. Gentil. cap. 11. p. 134. ſqq., Claſenius in Theolog. Gentil. lib. 1. cap. 7. ſq. Antiq. Graec. Gronovii T. VII. edit. Ven. p. 36. ſqq., Jablonskius in Proleg. ad Pantheon Aegypt. cap. 1. ſqq. p. 7. ſqq., Edwardus de Idolol. Mundi Ethnici, Tenniſonius de Idol. cap. 5. Stackhouſius in Theolog. T. III. cap. 80. p. 601. ſqq., Stillingfleetus Orig. Sacr. p. 365. ſqq.; E noſtris vero Natalis Alex. in Hiſtor. Eccl. Vet. Teſt. ad Aetat. Mundi IV. cap. 6. edit. Luc. T. II. p. 92. ſqq., Huetius Demonſt. Evang. Prop. IV. edit. Ven. T. I. cap. 3. ſqq., & cap. 8. ſqq. p. 72. ſqq., & p. 111. ſqq., Thomaſſinus Lect. de Poet. lib. 2. cap. 28. ſqq., Fourmontius in Reflex. Crit. ad Hiſt. Vet. Popul. T. I. lib. 2. cap. 1. ſqq. p. 19. ſqq., Lavaurius in Hiſt. Fabulae cum hiſt. ſacra comparata, Bannier de Mytholog. edit. Neap. T. I. lib. 1. cap. 5. ſqq. p. 173. ſqq., quo loci Triumviris illis Huetio, Fourmontio, & Lavaurio id vitio, quo pariter laborarunt Bochartus in Phaleg, Voſſius de Idolol., Dilherus de Κακοζηλία Diaboli, Dikinſonius in Delphis Phoenicizantibus, aliique, recte vertit, quod fabuloſos Heroes ad unum omnes cum veteribus Hebraeorum Patriarchis confundere perpetuo non dubitaverint: quod late, docteque eodem loci argumenti genus perſequitur, atque cap. 6. p. 222. ſqq. fabulas ex linguarum Hebraeae, Aegyptiae, Phoeniciae, Graecaeque commixtione quammaxime profluxiſſe oſtendit, quo ipſi in argumento Bochartus longe praeiverat, lateque ante praeluxerat, quove de nos quoque, Deo adjuvante, fuſius alibi. Atque profecto hinc utique

que profectus intelligi mos poteſt, inceptuſque primum in Aegypto, poſt in Graeciam invectus, frequentatuſque apud Latinos, mos, inquam, Animalium, plantarum, florum, herbarum, lapidum &c. hieroglyphicis, ac ſymbolis, ut primum Deorum, ſic perinde Aſtrorum, ac poſtremo Heroum imagines deſignandi.

XXVIII. Quo profecto loci principio illud obſerves velim, Hieroglyphica ttiplici in differentia poni, ut alia *Symbolica*, queis de heic loquimur, alia *Scientifica*, aliaque *Epiſtolica* fuerint, quibus de fuſe Warburthonus in Excerptis ad Hieroglyphica Aegypt. T.I. P.II. §. 15. ſqq. p.90. ſqq., atque *Symbolica* rurſus alia fuerint *Tropica*, aliaque *Aenigmatica*, queis de Warburthonus §. 23. p. 228. ſqq., unde Deorum ab Aegyptiis offerri ſolitum Animalibus cultum ad *Μιμήματα Imagines* referunt Porphyrius de Abſtin. lib. 4. p. 372., & Hyginus in Poet. Aſtronomico lib. 2. cap. 28, ad *Αἰνίγματα Aenygmata* Lucianus in Deorum Concilio Oper. T. II. p. 956. edit. Salmur., Plutarchus de Iſid. p. 380, ad *Symbola* Herodotus lib. 2. cap. 63. & Clemens Alex. in Paedag. lib. 3. p. 216. Itaque de Bello *Typhonis* cum Diis loquentes Diodorus lib. 1. p. 54. edit. Steph., Lucianus de Sacrificiis, & Ovidius Metam. lib. 5. v. 319. ſqq., ab illo hos, adeo terrore perculſos depingunt, ut fuga in Aegyptum arrepta ſub diverſis animalium figuris occulere ſe ſtuduerint, ſub *Arietis* Jupiter, *Corvi* Apollo, *Capri* Bacchus, *Felis* Diana, *Juvencae* Juno, *Piſcis* Venus, *Ibidis* Mercurius. Ita apud Aegyptios *Accipitris* ſymbolo deſignatus eſt *Sol*, unde Anticlides in Hymno Solis apud Kircherum Oedip. T. III. p. 128. Ἠέλιος δὲ Νότοιο Ἄναξ Ἴερας πολυμόρφε *Sol Auſtri dominator*, *Accipiter multiformis*, junctis Horapolline Hierogl. lib. 1. cap. 6, ac Strabone lib. 17. p. 562, ubi refert *Solem* Philis in Aegypto Urbe ad Aethiopiae confinia ſitae ſub *Accipitris* ſpecie coli conſueviſſe. Cujuſce ſub Avis ſimulacro *Oſiridem* idem, atque *Horum* itidem in honore apud Aegyptios habitum admonent Plutarchus de Iſid. p. 371, Strabo lib. 17. p. 562, Aelianus de Anim. lib. 7. cap. 9, & lib. 10. cap. 14, & Euſebius Praep. Evang. lib. 3. cap. 12. Ita *Jovis* ſymbolum *Arietem* fuiſſe, cujuſce ſub ſpecie latuiſſe illum ex Ovidio audivimus, confirmant Herodotus lib. 2. cap. 42, Strabo lib. 17. p. 559, Antonius

nius Liberalis cap. 28, Clemens. Alex. in Protrept. p.25, Diodorus Tarſenſis de Fato lib. 6. apud Photium Cod. 223. p.691, ac Tertullianus de Pallio cap.3: quo de plura Iſac. Voſſius ad Pomponium Melam lib.1. cap. 8, ac Spanhemius de Praeſt. Num. diſſert.5. p.349. ſq. Ita *Serpentis* effigie deſignari apud Aegyptios *Cnuphis*, ſive *Agathodaemon* ſolebat, quo nomine veniſſe non *Unum Deum Aeternum*, ut ſuadere conatus eſt Crozaeus in Theſauro Epiſtolico T.III. p.162, ſed *Bonum Genium*, ex Philone Byblio apud Euſebium Praep. Evang. lib.1. cap.10, ex Plutarcho in Amatorio p.755, ex Lampridio in Helagabalo cap.28, ex Gemma Abraxea Gnoſticorum apud Chifletium, & Montfauconium, de qua infra, & ex Nummo Neronis cum Inſcriptione Ἀγαθοῦ Δαίμονος, ac Serpentis effigie apud Spanhemium de Praeſt. Num.p.188, & ad Juliani Caeſares p.208, Baudelotium *Utilitè des Voyages* T.I. p.221, & Harduinum in Hiſt. Aug. p.722. oſtendunt Kocherus in Exercit. ſingul. Miſcellaneis novis Amſtel. T.II. p.129. ſqq. inſerta, & Jablonſkius in Pantheo Aegypt. P.I lib.1. cap.4. §.3. ſqq. p.84. ſqq. *Beli* nomine principio Deum O. M. denotari conſueviſſe, poſtea ad Gentium Idola nomen illud ſub diverſis formis traductum fuiſſe notavit Seldenus de Diis Syris ſyntag. 2. cap.1. p.200. ſq. Itaque apud Aegyptios *Dei*, ſive *Solis* Arſinoe ſymbolum *Crocodilus* habitus eſt, teſte Plutarcho de Iſid., Clemente Alex. juncto Strom. lib.5. p. 566; alibi *Typhonis*, ideſt *Genii Mali*, ut habent Plutarchus ibid. p.371, Aelianus de Anim. lib.10. cap. 21, & Clemen Alex. loc. cit. Cujus etiam typus erat tam *Hippopotamus*, teſtibus Plutarcho ibid., Clemente Alex., ac Damaſcio in vita Iſidori apud Photium p 1048, quam *Aſinus*, iiſdem referentibus, junctis Herodoto lib.2. cap.69, & Aeliano lib.10. cap.24. *Anubis*, ſive *Mercurii* apud Graecos ſymbolum erat *Canis*, velut adumbratus viſitur in Marmore ex Boiſſardo exhibito a Montfauconio Antiq. Explic. T.II. Par.II. fig.128. Item *Mercurii* erat *Ibis*, ut obſervatum Horapollini lib.1. capp.10, & 36, Platoni in Phoedro p. 212, & Aeliano de Anim. lib.10. cap.29. *Bos* niger *Apidem* indicabat, teſte Mela lib.1. cap.9. *Athotis*, ſive *Veneris* ſpeciem ut ingererent, *Juvencam* exprimi apud Aegyptios conſueviſſe tradunt Plutarchus de Iſid. p.366,

p.366, Aelianus lib. 11. cap.27, ac Strabo lib. 17. p.352, & 556. *Neithae*, ideſt *Minervae* ſymbolum fuiſſe *Scarabaeum* ſcribit Horapollo in Hierogl. lib. 1. cap. 12, fuiſſe & *Ovem* docent Proclus in Timaeum lib. 1. p.30, Strabo lib. 17. p.559, & Clemens Alex. in Protrep. p.25. *Phtha*, ſive *Vulcanus* deſignari conſueviſſe ſub ſpecie *Vulturis* traditur Horapollini loc. cit., ſub *Leonis* ſpecie inſuper memoratur Aeliano de Anim. lib. 12. cap. 7, & Martiano Capellae Satyrici lib. 2. p.42. *Iſidis*, & *Bubaſtis*, ideſt *Dianae* ſpeciem inditam *Feli* auctores ſunt Ovidius Metam. loc. cit. lib. 5. v.329, Antonius Liberalis in Metam. Fab. 28, ubi *Martis* ſymbolum fuiſſe *Piſcem Lepidotum* ſubjungit, Demetrius Phalereus de Elocutione §. 159. edit. Oxon., Damaſcius apud Photium Cod. 142. p.1047, Plutarchus de Iſid. p.376, & Horapollo lib. 1. cap. 10, Heliopoli egregie ſub hac ſpecie cultum *Solem* ſubjungens, quem tamen locum depravatum, ac loco *Solis* legendum *Ilithyam*, ſive *Bubaſtim*, conjicit Jablonskius in Panth. Aegypt. Par. II. lib. 3. cap. 3. §. 7. p.71. ſq. *Butoni*, ſive *Latonae* Murem *Araneum* fuiſſe dicatum referunt Herodotus lib 2. cap. 67, Antonius Liberalis Fab. 28, & Plutarchus Sympos. lib. 4. Quaeſt. 5. p.670, ubi Murem Araneum e muribus naſci quinta generatione ſubdit; ex Mure, & Muſtela gigni ſcribit Nicandri Scholiaſtes p.45. Ideo apud Graecos etiam Veneri *Columba*, Minervae *Draco*, Apollini *Corvus*, Dianae *Canis* Sacri, ac proprii erant, ſicut apud Scythas, ac Perſas *Equi* Soli erant dicati, veluti notat Plutarchus de Iſid., & Oſir. p.379. ſq. Hinc etiam praeter Animalia, Plantis, & Herbis apud Aegyptios, & Graecos indita Numinum ſymbola paſſim leguntur, atque ita *Artemiſia* Bubaſtis *Cardia*, cor ideſt *Bubaſtis* adpellata eſt Apulejo de Herbis cap. 10, qui cap. 12. ex *Dianae* nomine Graece Ἀρτεμις, ita dictam obſervat; *Bulbus* Scyllicus *Typhonis* oculus in Notha Dioſcoridis p.44; *Crocus* Sanguis *Herculis* vocatus Aeliano de Anim. lib. 10. cap. 46, & Apulejo capp. 10, & 42; *Hedera* planta *Oſiridis* habita Plutarcho de Iſid. p.365; *Verbenaca* lacryma *Junonis*, ſive *Veneris* Apulejo cap. 3, & Dioſcoridi p.466; *Lilium* ſanguis *Martis*, ſeu *Herculis* Dioſcor. p.457; *Marrubium* genitura *Hori* ibid. p.458. Ita & apud Graecos, Romanoſque Diis aliis ſacrae aliae erant Herbae, ut *Adian-*

tum

tum Veneri, unde *Capillus Veneris* vulgo audit, Marti *Gramen*, Mercurio *Portulaca*, Proſerpinae *Narciſus*, Cereri, ac Lucinae *Papaver*, Diis Pennatibus *Allium* &c., quin etiam Plantae, veluti *Eſculus* Jovi, Apollini *Laurus*, *Olea* Minervae, Veneri *Myrtus*, *Populus* Herculi, Marti *Fraxinus*, *Cypreſſus* Plutoni, Cybeli *Pinus*, ſicut & Pani, *Quercus* Rhaeae, Baccho *Vitis*, *Palma* Muſis, *Alnus* Eumenidibus, Geniis *Platanus* &c. queis de Plinius lib.12. cap.1, Curtius Symphorianus libro de Hortis, & Abbas Baſſius in Not ad Mytholog. Bannier lib. 2. cap.9. p.521. ſqq.

XXIX. Translatis poſt in Deorum cenſum Regibus, & Heroibus, ad hoſce perinde translata fuiſſe ab Aegyptiis, & Graecis ipſa Deorum ſymbola conſtat. Ita namque apud Aegyptios Regum ſymbolum erat *Apis* ſub forma Vituli, Marcellino teſte lib.17, fuiſſe *Sceptrum*, & *Oculum* item obſervat Clemens Alex., ſicut etiam Tyranni *Enſem*, fuiſſe inſuper *Aquilam* ſcribit Horapollo lib.2. cap.51; quorum fuiſſe quin etiam inſignia Ferarum exuvias, Animaliumque, quae juxta diverſas etymologias diverſas ſibi accommodare delectabantur, nomina, obſervatum eſt Bocharto Hieroz. T.III. Par.II. lib.1. cap.10. p.62. ſq. Itaque *Crocodilis* deſignatos Arabibus *Gigantes* advertit Par.I. T.I. lib.4. cap.1. p.1057. *Leviathan*, ac תנין *Thannin*, *Draconis*, ac *Ceti* nominibus, ac figuris Iſaj.XXVII. 1, & Ezech. XXIX. 3, ac XXXII. 3. *Pharaones* indicatos fuiſſe lib.1. cap. 7. p. 48. ſqq. opinatur. Ita Σοῦχος Graecis, Aegyptiis *Pi-Suchi* in Scala Coptico-Arabica Kircheri p. 171, *Sucho* Crocodili ſpecie, ac nomine *Menem* Aegypti Regem, in Arſinoite Nomo certis dicatum ritibus, deſignatum Strabo lib.17.p.558, Herodotus lib.2. cap.69, Damaſcius in vita Iſid. apud Photium in Bibl. p.1047, Diodorus, ac Stephanus apud Bochartum indicant. *Nephot* etiam *Crocodili* nomine altero apud S. Epihanium in vitis Prophet. Hierem., aut *Menephot* apud pſeudo-Dorotheum in Synopſi tam *Amenophem* Aegypti Regem, quam *Memphim* Aegypti Metropolim denotari T.III. Par.II. lib.5. cap.18. p.791.ſqq. arbitratur. Ita apud Graecos *Phortis* vocabulo tam *Jo* filia *Inachi*, Aegyptiis *Iſidis*, quam Pharaonis *Juvencae* deſignatae ſunt, velut ex Moſcho in Europa v.44. colligit Bonjourius in diſ-

diſſert. de Nomine Joſephi p.25; & *Lunam* etiam hoc indicatam ſaepe nomine, & *Juvencae* ſpecie denotatam ex Strabone lib.17. p.552, Aeliano de Anim. lib.11. cap.27, Herodoto lib.1. capp.1, 5, & 41, Diodoro lib.1. p.11, Plutarcho de Iſid. p.372, Apollodoro lib.2. ſub init., & Hygino Fab.145. recte conjicit Jablonskius in Panth. Aegypt. Par.II. lib.3. cap.1. §.2. p.3. ſqq. *Phoroneo* Inachi I. filio item nomen vel a *Pharaone* Aegypti, unde originem traxit, Rege, ut Herodotus indicat lib.2. cap.243, vel a *Foro*, quod primus in Civitatem homines congregari docuerit, uti Pauſanias tradit in Corinth., ideſt lib.2. cap.15. p.145, adhaeſiſſe non dubium eſt. *Actaeo* nomen inditum ab Ἀκτῆ, quod eſt *Ora*, ut qui primus Oram in Attica occupaverit, diſcimus ex Strabone lib.9. p.392, Euſtathio in Dionyſ. Perieg. p.60, Tzetze ad Lycophr. p.88, ac Stephano de Urb.p.21, junctis Tatiano adv.Graecos, Clemente Alex. Strom. lib.1, aliiſque relatis Meurſio de Regno Attic. lib.1. cap.6. Antiq. Graec. T.IV. p.1031. ſeq. *Aegialaeus* etiam ab Ἀἰγιαλὸς, quod eſt *Littus*, utpote a quo in littore Peninſulae ſedem primus defixerit, nomen induiſſe fertur Apollodoro lib.2. Ita *Legis*, *Pelaſgi*, *Calchidis*, & *Calcantis* vocabula *Ciconiis* fuiſſe communia, quae ideo Navibus inſcalpi ſolebant, ex Plutarcho, & Luciano adnotat Bayſius de Re Navali Antiq. Graec. T. XI. p.622. Tam vero *Canis*, & *Crocodili* figura deſignati *Anubis*, & *Typhon*, quam *Ptolomaei* Aegypti Reges adparent cum in Lapide apud Montfauconium Antiq. explic.T.II. Par.II.fig.128, ubi cum *Anubis* Canino capite, ac *Typhonis* Crocodili corpore Inſcriptio legitur Θεοὶ Ἀδελφοὶ *Dii Fratres*, quam accipi de Ptolomaeis fratribus, qui Lapidem dedicarunt, debere recte vidit Jablonskius in Pantheo Aegypt. P. III. lib. 5. cap.2. p. 66. ſq., quod confirmat ex Nummis apud Vaillantium in Hiſt. Ptolom. p.40., & 52, in quibus ſimilis occurrit Inſcriptio. *Scarabaeo* itidem cum *Minervam*, tum etiam *Milites*, quibus ideo *Scarabaei* imago deferri in annulis ſoleret, deſignari apud Aegyptios conſueviſſe docent Aelianus de Anim. lib.10. cap.15, ac Plutarchus de Iſid. p.355. Ita *Python* tam *Apollo*, quam *Baſiliſcus* vocatus legitur; *Sis* tam *Iſis*, quam *Hirundo* adpellata; *Baieth*, a voce Aegyptia *Bai*, qua *Anima*, ac *Eth*, qua *Cor* ſigni-

gnificatur apud Horapollinem lib. 1. cap. 7, tam *Accipitris*, quam *Animae* ſymbolum habitum ex Veteribus liquet laudatis Bocharto Hieroz. Par. I. lib. 1. cap. 3. p. 22, & Par. II. lib. 1. cap. 10. p. 62, ac Warburthono *Eſſai ſur les Hieroglyphes des Egyptiens* P. III. §. 47. p. 261. ſq. *Dodonae* quoque nomine & *Pelejadas* foeminas Vaticinatrices, & *Colombas* ſignificari olim conſuevisſe apud Graecos obſervat Voſſius de Idol. lib. 1. cap. 7. Ita perinde apud Romanos pridem *Laberiae Daphnes* ſymbolum fuit *Laurus*; Familiarum vero Romanarum inſignia fuiſſe paſſim Animalia, Plantas, Flores, queiſcum illarum affinitatem haberent nomenclationes, adnotant Fabretus in Not. ad Inſcript. ſepulcralem *Laberiae* Daphnes, ac Blanchinius ex ipſo in Hiſt. Univ. Dec. IV. p. 502. ſq., quem morem in Regum, ac Nobilium adhuc Stemmatibus obtinere videmus.

XXX. Ut Gentium jam vero aliarum Tranſmigrationum, Antiquitatum, Originumque proſequamur hiſtoriam, unde Chronologiae profecto lucem haud parvam adfulgere nemo, niſi qui videt nihil, non videt; atque principio de reliquis ex Aſia Majori, & Africa Coloniarum deportationibus, quae attingenda ſuperſunt, abſolvamus, Coloniis ex Aegypto deductis, quammaxime in Graeciam, queis de hactenus, jungenda imprimis occurrit Graecorum in Aegyptum ipſam viciſſim irruptio. Nempe auctor eſt in Chronico Euſebius ad annum Abrahami 270. Oper. S. Hieron. T. VIII. edit. Vallar. p. 141. ſq., *Apim*, dictum etiam *Serapim*, Argivorum Regem III, Aegialeo fratre Achajae Regno praefecto, ſuorum ingenti Popularium collecta manu in Aegyptum transfretaſſe, ibique *Memphi* condita Regni defixiſſe ſedem. Quae deſcripſiſſe videtur ex Clemente Alex. Stromat. lib. 1. p. 139. edit. Sylburgi, Ven. Potteri p. 383: quo loci *Apis*, inquit, ex Verſione Sylburgi, *Rex Argivorum aedificat Memphim, ut dicit Ariſtippus in primo Arcadicorum. Ariſteas vero Argivus dicit eum nominatum eſſe Serapim, & eum eſſe, quem colunt Aegyptii*. Paria habent S. Epiphanius in Anch. cap. 106. Oper. T. II. p. 106, S. Auguſtinus de Civit. lib. 18. cap. 5, ac Syncellus in Chronog. p. 149. edit. Pariſ., Ven. p. 118. &c. Argivorum porrò Rex III. alio huicce proximo *Epaphus* nomine, a quo ipſo condita fertur in Aegypto

gypto Memphis, apud Euſebium p.201, ac Syncellum p.152, & 158. edit. Pariſ., Ven.121, & 126. effertur, ac poſt ipſos apud Echardum Radoltum in Faſcic. Tempor., ac *Seſoſtri*, & *Armaeo*, ſive *Danao* aetate ſit ſuppar. Et quidem *Epaphum* Argivum cum *Api* Aegyptio Graecis confundi conſueviſſe jamdiu ante illos adnotavit Herodotus lib.3. cap.27, qui lib.2. cap.99. Memphim ante *Menem* imo conditam ſcripſerat, conditam ab *Uchoreo* tradit Diodorus lib.1, verius a *Mene* Aegypti Rege I. fundatam, cum Joſepho Antiq. lib.8. cap.6, vulgo tenent Viri eruditi. Ab *Epapho* nihiloſecius Memphim cum pluribus Urbibus aliis in Aegypto fuiſſe aedificatam adfirmant etiam Ariſtippus in Arcad. lib.1, Hyginus Fabul.149, & 275, ac Lactantius ad Thebaid. lib.4. v.737: quae ita componi demum poſſunt, ut ab *Epapho*, ſeu *Api* Memphis inſtaurata dumtaxat, exornata, & amplificata, de Uxoris nomine quoque ita fuiſſe dicatur. Confirmant haec vero de Colonia Argis ab *Epapho* in Aegyptum tranſducta Aegyptiorum de *Apide* opinio, atque monumenta. Scitum eſt ſane Aegypti *Superioris* Metropolim fuiſſe *Memphim*, *Inferioris* fuiſſe *Heliopolim*, non eoſdem vero coli utrobique, in *Inferiori* Aegypto ideſt, atque *Superiori*; Deos conſueviſſe, praeter *Iſidem*, & *Oſiridem*, quos ſolos Aegyptiis univerſis pro Diis habitos fuiſſe tradit Herodotus lib.2. cap.42. Hinc *Apim* in Urbe *Memphi*, ac in Urbe *Heliopoli* pro Deo *Mnevim* fuiſſe cultum docent Strabo lib.17. p.803, Plutarchus de Iſid. p.364; aut ſaltem, ut alii ſcribunt, velut Ammianus lib.22. p.227, Aelianus de Animal. lib.11. cap.11, Lutatius ad Statii Theb. lib.3. p.418, Suidas V. Ἆπις T.I. p. 266, idemque Strabo indicat loc. cit., ab aliis tam intra, quam extra Deltam non ut Dii, ſed uti Diis Sacri habiti ſunt, & *Apis* quidem velut *Iſidi*, hoc eſt Lunae, *Mnevis* ut *Oſiridi*, ideſt Soli dicati; atque ita, ut primus in honore *Apis* haberetur, ſecundus poſt *Apim* obtineret *Mnevis*, ut habet Plutarchus loc. cit., unde factum ſaepe, ut pro *Iſide* acciperetur *Apis*, pro *Oſiride* vero *Mnevis*, dictus etiam aliquando *Serapis*, ideſt pro Diis ipſis ipſorum Symbola: quam Idololatriae primam fuiſſe originem hanc ipſam nempe pro Deo ipſius Symbolorum acceptionem, ſuo, ut Superis placebit, loco palam faciemus. Jam vero *Apim*, & Se-

& *Serapim* apud Aegyptios inter Deos alienigenas reputatos fuiſſe docent Origenes contra Celſum lib. 5. edit. De la Rue T.I. p.605. ſq., fuiſſeque indiſtinctos a Phoenicum, ac Judaeorum *Teraphim*, de quibus Ezech. xxi. 21, & Zachar. x. 2, a *Laribus* ideſt, ſive *Pennatibus* cenſuere Abarbanel, Caſtellus, Kircherus in Pant. Aegypt. p.261, & Fourmontius in Reflex. Crit. T.I. lib. 2. cap. 16. p.369. ſq. Ego vero ſic exiſtimo non omnes ab Aegypto Deos in Graeciam, nec e Graecia in Aegyptum omnes fuiſse translatos, ſed hinc, & inde alios, aliòque viciſſim fuiſse inlatos, atque relatos, ideſt qua ex Aegyptiis Graecos, qua e Graecis Aegyptios conflatos fuiſse. Exemplo, ne longius extra vager, eſse volo hoſce, queis de agimus, *Serapim*, & *Apim*, quos e Graecis Aegyptios accepiſse opinor; utque ita opiner, id efficit imprimis, quod, ſi vera nobis Veteres retulerunt, eòdem demum uterque recidat. Tam *Apim* enim, quam *Mnevim* ſub Tauri ſpecie *Oſiridi*, ſive Soli conſecratum fuiſse, quin *Apim* eumdem cum *Oſiride*, eumdemque quin inſuper cum *Iſide* fuiſſe, ideſt cum *Sole*, ac *Luna*, docent Diodorus lib. 1. p. 19, & 76, Plutarchus de Iſid., & Oſir. p. 362, & 380, Strabo lib. 17. p.555, Macrobius Saturn. lib. 1. cap. 21, Porphyrius apud Euſebium Praep. Evang. lib. 3. cap. 3, Heſychius, Suidas, aliique, quibus ſuperſedeo.

XXXI. Verum in *Apidis*, ac *Serapidis* tam originem, quam aetatem inquirere obiter juvat, ut hacce de Graecanica in Aegyptum inlata Colonia decerni rite poſſit. Atque tenendum principio *Apim* pro *Iſide*, ac Luna, *Mnevim*, ſive *Serapim* pro *Oſiride*, ac Sole apud Aegyptios, Graecoſque paſſim, atque promiſcue accipi, ut modo planum eſt factum, arcteque perſuaſum habuere Voſſius de Orig. Idolol. lib. 1. cap. 29, Pignorius Hierogl. lib. 1. p. 35, Bannierius Mytholog. lib. 6. cap. 2, Abbas de Fotenu in diſſertat. de Serapide Mon. Acad. Inſcript. T. VI, & Auctor diſsert. Gallicae de Deo Serapide, Smidthus ideſt, edit. Amſtel. 1760. p.33. ſq. Jam vero Jablonskio in Pantheo Aegypt. Par. I. lib. 2. cap. 5. p. 226. ſqq., ac Par. II. lib. 4. cap. 2. p. 117. ſqq., cap. 3. p. 231. ſqq., & cap. 4. p. 259. ſqq. tam *Apis* Lunae, quam *Serapis*, ſive *Mnevis* Soli ſacrati quidem viſi ſunt, ita tamen, ut *Apis* etiam pro *Iſide*, ac Luna, *Serapis* pro

Oſi-

Oſiride, ac Sole aliquando Aegyptiis acceptus fuerit, *Tauri* effigiem uterque praetulerit, atque *Nili*, quem Dei loco ab Aegyptiis habitum referunt Heliodorus lib. 9, & Athenaeus lib. 5, quove de Calliachius in diſsert. de Oſiride Antiq. Rom. Supplem. Poleni T. IV. p. 310, ſymbolum uterque habitus fuerit. Itaque *Apidis* nomen ita vir doctiſs. interpretatur, ut lingua Aegyptiaca vel *Habi*, ideſt *Luctum* ſignificet, quod videlicet luctu *Apidis* fatum, atque funus celebrari ſoleret, vel HΠI, Graece *Epi*, ſive Coptice *Oipi*, unde Hebraeus אֵיפָה *Epha*, hoc eſt *Menſuram* deſignat, quod nempe *Apis* Nili menſura, ſive *Nilometrium* eſset, quo videlicet Nili incrementa, ac decrementa lineis eo in Inſtrumento per cubitalia intervalla diſtinctis indicari ſolerent. *Mnevis* autem, ipſi Coptice *O-ein*, unde Hebraeis *On* in Aegypto Urbs, *Heliopolis* ideſt, videtur, qua *Lux*, aut *Sol* deſignatur, quam ab *Onuphi* diſtingui vult, qui Taurus eſt *Hermunthites*. Denique *Serapidis* nomen, ejuſdem Clementis Alex. Strom. lib. 1. p. 31. ſq., & S. Cyrilli Alex. adv. Jul. p. 13. interpretatione, qua ex *Oſiride*, & *Iſide* conflatum traditur, quaſi dictus *Oſirapis* ſit, ac deinde *Serapis*, rejecta O, rejectaque Plutarchi de Iſid., & Oſir. p. 362. opinione altera, qua Aegyptiaca voce Σαϊρὶ *Sairi*, hoc eſt *Feſtum* ſignificatur, (quave *Feſtum* utique ſignificari recte ipſemet vidit, unde Ἑόρτη *Feſtum* Matth. XXVI. 5, Luc. 11. 42, & Johan. V. 1. in Verſione Coptica *Sai* dicitur, indeque compoſitum *Er-ſai*, ſive *Sai-iri*, ideſt *Facere feſtum*, ut habetur in eadem Verſione Coptica Levit. XXIII. 41, & 1. Corinth. V. 8.), quaſi nempe *Serapis* idem ſit ac *Laetitia*, ſive *Feſtivitas*, ipſe Jablonskius *Serapidis* nomine ab Aegyptiaca voce Δσήρ *Dſer*, ſive *Sar*, quod eſt *Explorare*. & HΠI *Api*, ſeu *Epi*, quod eſt *Menſura*, derivato, unde facta vox *Sar-Apis*, eo ſignificari putat *Columnam Menſionis*, qua nempe Nili aſcenſus, ac deſcenſus numerari, aut menſurari ſoleret. Aſt enim quam incongrua ſint iſta, difficileque componi inter ſe queant, *Solis*, ac *Lunae* eademmet eſſe ſymbola, ac *Nili* ſimiliter, ſub *Tauri* ſpecie, eademque ſpecie, eodemque ſymbolo aut luctum, aut laetitiam, aut alluvionem ſignificari, nemo ſane non videt. Etſi denique Aegyptiis tam Animalia quaelibet, quam Inanimata, quae utilitatem adferrent, in honore fuerint

habita, nuſpiam tamen eò inſipientiae eos deveniſſe legas, ut vel Inſenſatis, e quibus emolumenti, commodique nihil caperent, rebus cultum deferrent. Kirchero, & Fourmontio, uti ſuperius innui, Abenephii Judaei in libro de Aegyptiaca ſervitute Arabice ſcripto ſententiam pone ſequutis, a *Theraphim* haud diſtinguendus *Serapis* viſus eſt; ita quod ex mutatione ת, vel ט in ש, vel צ, quod familiare Chaldaeis fuit, atque Phoenicibus, ex תרפים *Theraphis* efformatus *Seraphis* fuerit. Cui interpretationi tamen id officit, quod *Theraphis* uti Numen, ita & nomen Chaldaeum fuerit, non Aegyptiacum, unde fieri in Chaldaeorum gratiam nequivit, ut *Thau* mutato in *Schin*, Aegyptii *Seraph* facerent. Praeterea *Serapidis* cultum in Aegypto ante Ptolomaeum, aut *Philadelphum*, ut Clemens Alèx. in Protrept. p. 31. ſcribit, aut *Lagum*, ſive *Soterem*, ut habent Plutarchus de Iſid., ac Tacitus in Annal. lib. 4. cap. 83. ſq., haud obtinuit, quum alioqui *Theraphim* ſub Abrahami aetate cultos in Chaldaea conſtet. Voſſio de Orig. Idol. lib. 1. cap. 29, Ouzelio Animad. in Minut. Felic. p. 253, Spencero de Legib. Hebr. Ritual. lib. 3. diſſert 5: cap. 8. p. 879. ſqq., Bocharto Hieroz., ſive de Animal. Par. I. lib. 2. cap. 34. p. 336. ſqq., & Par. II. lib. 1. cap. 10. p. 62. ſq., ac Witſio in Aegyptiacis lib. 2. cap. 3. p. 57. ſqq., & de Decem Tribubus Iſrael. cap. 1. p. 244. ſq. Σώρ *Sor* Ciſtam, Ἄπ *Ap* Bovem Aegyptiis notari obſervatum eſt, unde *Sorapis*, auctoribus Philarcho apud Plutarchum de Iſid., ac Nymphodoro de Aſiaticis Legibus ſyntag. 3. cap. 5. apud Euſebium Praep. Evang. lib. 10. cap. 3. verſ. Georgii Trapez., qua utor, *Ciſtam Bovis* ſignificat: & ſane Varroni, Luciano, & Suidae *Serapis* ab Arca *Bovinam* ſpeciem referente dictus videtur, in quam videlicet *Oſiris* poſt obitum conjectus, & ab *Iſide* cultus ſit. Cui conjecturae favent Clemens Alex. Strom. lib. 1. p. 139. edit. Sylb., Ven. Potteri p. 383, Euſebius Praep. Evang. loc. cit., S. Auguſtinus de Civit. lib. 18. cap. 5, Ruffinus lib. 2. cap. 23, ac Nicephorus lib. 15. cap. 8., quibus ideo *Apis*, & *Serapis* idem eſt Numen.

XXXII. Quamquam Macrobio Satur. lib. 1. cap. 21. *Serapis* eſt ſimulacrum ex triplicis animantis tricipite confectum, ut dextera parte caput *Canis* exhibeat, parte laeva Cervicis rapacis *Lupae* caput videatur, in ſummitate verticis *Leonis* caput exſurgat, re-

liquum

Digitized by Google

liquum corpus *Draconis* ſpeciem referat. A Macrobio parum abſuere Timotheus, Manetho, & Porphyrius apud Euſebium Praep. Evang. lib. 4. cap. 12. Plutarchus de Iſid., Diodorus, & Tacitus lib. 20, apud Gyraldum in Hiſt. Deor. ſyntag. 6. Oper. T. I. p. 197. ſq., Euſebius ipſe, S. Cyrillus Alex. lib. 1. adv. Jul., ipſeque Gyraldus ibid., qui *Serapidem* apud Graecos, atque Latinos eumdem cum *Plutone*, atque cum Tricipite Cane facere non dubitarunt. Cujuſmodi *Serapidis* fuiſſe Cerbero comitati figuram in Lapide ad ſe miſso a Fabreto ſcalptam, ejuſdemque fere, qua ab Euſebio Prap. Evang. loc. cit. exprimitur, figurae refert Cuperus in Harpocrate Antiq. Rom., & Graec. Suppl. Poleni T. II. p. 459; liquetque ex ipſo Fabreto Inſcript. cap. 6. p. 467; fuiſse in Nummis quoque *Antonini Pii*, *Caracallae*, *Gordiani Pii &c.* expreſsam videre fas eſt apud Spanhemium de Praeſt. Num. diſsert. 5. p. 263, Noriſium de Epochis Syro Maced. diſsert. 3. cap. 9. §. 6. Oper. T. II. edit. Venet. p. 350, Vaillantium in Num. Graec. p. 150, & Harduinum in Num. Popul. illuſt p. 66, & 138; fuiſſeque Statuam Marmoream in capite modium, in manu haſtam gerentem inter Herculani rudera repertam docent Mon. Hercul. T. II. Artic. 17. p. 144. ſqq. Ejuſmodi vero Cerberi triplici capite Leonis, Canis, & Lupi *Solem* deſignatum fuiſſe, aut qua tres Orbis partes illuſtrat, ortum, meridiem, & occaſum, aut qua Tellurem germinare facit, grana producere, perficereque in ſpicas adfirmat Porphyrius apud Euſebium Praep. Evang. lib. 3. cap. 11; aut qua tempora deſignat, adeo ut effigie *Leonis* media praeſens, *Canis* praeteritum, ac *Lupi* futurum indicetur, perhibet Macrobius Saturn. lib. 1. cap. 20. E contra *Cerberi* effigie primum apud Aegyptios deſignatos fuiſſe *Oſiridem*, Leonis capite ideſt, geminoſque ejuſdem filios, ipſique in expeditionibus indiviſos Comites *Anubim*, Canis hoc eſt, ac *Macedonem* Lupi, cujuſmodi figura refertur a Vincentio Cartario Imagin. Deor. p. 18, alteraque a Montfauconio Suppl. Antiq. Expl. T. II. p. 165; poſthac vero Aegypti Reges eorumdem Animalium ſpoliis, ac ſymbolis inſignire ſe ſe delectatos fuiſſe auctor eſt Diodorus lib. 2. capp. 2, & 4. Verum Anni ad Solis curſum ab Aegyptiis deinceps exacti ſymbolum ejuſmodi *Cerberi*, ſive *Serapidis* effigiem fuiſſe infra Artic. I. de Menſ., & Ann.

& Ann. Aegypt. &c. oſtenſum dabimus; adeunduſque, qui hacce de re multa diſputat, Auctor diſſert. Gall. de Deo Serapide edit. Amſtel. 1760. p.46. ſqq. *Apidem*, quod jam attinet, eo *Bovem* ſignificari nomine, ab Hebraeo אביר *Abir*, unde cum affixo Hierem. XLVI. 15. pro Hebraeo אַבִּירֶךָ *Abbiracha*, Vulgato Interpreti *Fortis tuus*, LXXViri Graeci Ἄπις ὁ Μόσχος *Apis ille Vitulus* legunt, Viri eruditi obſervant. Fabuloſae namque Deorum Metamorphoſes apud Gentiles meris ſaepe ſaepius vocum alluſionibus praeſertim apud Poetas nituntur, unde in Hiſtoria Gigantomachiae Dii Gigantum metu in Aegyptum arrepta fuga in varias ſe formas mutaſſe leguntur apud Ovidium Metam. lib.5. v.319. ſqq., & Antonium Liberalem fabul. 28. Sic *Jupiter* in Arietem, quia אל *El, Deus fortis*, & איל *Ajil*, *Aries* ſunt paronyma. *Bacchus*, Aegyptiis *Oſiris* in Hircum, quia *Oſiris*, Hebraice שעיר *Seir*, Coptice *Sairi*, eſt *Hircus*. *Diana* in Felem, quia Aegyptiace *Bubaſtis* eſt *Felis*, ut notatum fuit Herodoto lib.2. cap.156, ac Stephano de Urb. p.72. *Juno* in Bovem, quia עשתרית, unde *Juno* dicta eſt *Aſtarte*, Hebraeis eſt *Bos*. *Venus*, ſeu *Atergates* in Piſcem, quia דג *Dag*, ideſt *Piſcis* eſt, ex quo *Dagon*, unde *Atergates*. *Anubis* in Canem, quia Hebraice נובח *Nobeah Latrantem* ſonat. Sed enim de iis Numinum ex diverſa Verborum etymologia diverſis nominibus petitis videndus, qui plurima oppido congerit Abbas Baſſius in Not. ad Mytholog. Bannier lib.2. cap.5. p.389. ſqq.

XXXIII. Ad utriuſque aetatem *Apidis* ideſt, ac *Serapidis* quod nunc attinet, miſſiſque velut admodum incertis, quae de utriuſque natura tam ex nominis etymologia, quam ex eorumdem effigie colligi queunt, conjecturis, tam in *Apide*, quam in *Serapide* nomen, ac memoriam latuiſſe, Aegyptiiſque fuiſſe excultam *Joſephi* Patriarchae ſunt, qui putant, ideoque ad hujus aetatem Numinis utriuſque cultum in Aegypto inductum referendum fore. Atque ita quidem putarunt Clemens Alexan. Strom. lib.1. p.139. edit. Sylb., Ven. Potteri p.383, Julius Firmicus de Errore profan. Relig. cap.14, ubi *Sarapis* nomine ideo cultum Joſephum explicat, quod *Sarae* pronepos quum fuerit, inde Graeco ſermone Σαρᾶς ἀπό *Sarapis* dictus ſit; Gennadius, ſive Auctor libri de Mirab. S. Script. inter Opera S. Auguſtini lib.1.

Google

lib. 1. cap. 15, Ruffinus Hiſt. Eccl lib. 2. cap. 23, ubi obſervat *Serapim* apud Aegyptios cum modio, (quo abundantiam a Sole impertitam ſignificatam autumat Montfauconius in Antiq. Explic. Par. II. T. II. p. 297, Beneficia a Deo in menſura diſtributa indicata cenſet D. Fontenu Mon. Acad. Inſcript. T. X. p. 497.), modio, inquam, capiti ſuperimpoſito, velut etiam adparet ex *Serapidis* imaginibus, ac ſimulacris in Lapidibus, atque Nummis inſcalptis apud Michaelem Chauſſaeum Antiquit. Roman. T. V. p. 785. ſqq., Montfauconium Antiq. Expl. Par. II. T. II. Imag. 122, Begerum in Theſ. Brandeb. T. III. p. 101, 123, & 145, & Ortelium in Deorum Capitibus Antiq. Graec. T. VII. p. 279. ſq., effingi conſueviſſe, cujuſce rei cauſſa fuerit Frumenti diviſio famis tempore facta a Joſepho; & Suidas V. *Σάραπις*, T. III. p. 285. ſq. Ex Nuperis vero in eamdem ivere viam Voſſius de Idol. lib. 1. cap. 29, ubi tamen *Oſirides* duos diſtinguens, Veterem, quem Heliopolitanum vocat, eumdemque cum *Mnevi*, ſive *Miſraimo*, ſive *Mercurio* confundit, ac Juniorem, eumque Memphiticum, *Apim*, ac *Joſephum* eſſe non dubitat, Ouzelius, ac Spencerus loc. cit., qui tam in *Apide*, quam *Serapide* Joſephum Patriarcham tum ob celebre ſomnium de pinguibus Bobus, tum ob beneficia Aegypto praeſtita, nam אב *Ab*, *Patrem*, unde ΑΠ, ſeu *Apis*, שור *Sor*, *Bovem*, & שר *Sar Principem*, unde *Sorap*, aut *Sarap*, ſignificat, indeque *Pater*, ſeu *Apis*, & *Bos Pater*, aut *Pater Princeps*, ſive *Sorapis*, aut *Sarapis* Joſephus dictus ſit, vidiſſe ſe viſi ſunt; Thomas Brounius in Exam. Vulgar. error., Beyerus, Joh. Lemmannus in Hiſtor. diſſert. de Serapi, Grotius, qui hanc ideo fuiſſe cauſſam putat, cur a Jeroboamo Vituli erecti ſint, ut Iſraelitae admonerentur de Joſephi ab Aegyptiis tam prolixe ornati praeſtantia, cuique eamdem ſubtexere potuit etiam cauſſam, cur ab Aarone pridem conflatus Vitulus fuerit, ut Joſephi nempe in ea apud Aegyptios exculti ſpecie non tam cultum urgeret, quam memoriam ingereret; Nicolaus in Adnot. ad Cuneum de Republ. Hebr. lib. 1, Galeus Philoſoph. gener. Par. I. lib 1, Jacobus Bolducius lib. 11. cap. 17, qui opinatur Joſephum a Pharaone ipſo *Apim* fuiſſe denominatum, ſed inverſis litteris, hoc eſt *Iſap*; Kircherus in Oedip. ſyntag. 3. cap. 35, Tenniſonius de Idolol. p. 126, Jablonskius, qui in Panth.

Aegyp.

Aegypt. Par. I. lib. 1. cap. 3. uxorem Joſephi *Putipharis* Sacerdotis Heliopolitani filiam *Aſe-neth* eamdem facere ſimiliter cum *Neitha* Dea Sai in Aegypto Inferiori religioſe culta non dubitat; Thomas Stackhouſe in Theolog. T. III. cap. 8. p. 602, Anſaldus in Diſsert. de Patriarchae Joſephi Religione adv. Baſnagium p. 33. ſqq., qui obſervat a R. Abenezra Tribui Ephraim ideo, cujus Princeps erat Joſephus, *Bovem* pro ſtemmate fuiſse tributum. Conferri & huc porro merentur, quae Vir Doctiſs., ac linguae Aegyptiacae longe peritiſſimus Ludovicus Picqueſius doctor Sorbonicus prolixe ſcripſit in Epiſt. ad Jaquelotium, habenturque in Hiſtoria Vitae, & Operum Crozaei p. 289. ſqq., ubi Epitheto Joſepho Patriarchae ab Aegyptiis tributo ΠCOT μ ΠENEZ Aegyptiace, Graece vero ψοιθομφαιεχ *Pſot-empenech*, ſive *Fſot-mpenek*, haud utique *Revelator Arcanorum*, bene vero *Salvator Mundi* ſignificari erudite ſuo pro more multis oſtendit. Ad haec *Apidem* haud diverſum a *Serapide* fuiſse, ſed *Apidem*, poſtquam inter Deos fuiſset relatus, apud Aegyptios factum *Serapidem* fuiſſe, auctores praeterea ſunt Ariſtaeas apud Clementem Alex. loc. cit., Apollodorus lib. 2. ſub init., Nymphodorus Syntag. 3. cap. 5, S. Auguſtinus de Civit. lib. 18. cap. 5, Euſebius loc. cit., Suidas &c., quorum ſane, eo plauſibilior, quo probabilior interpretatio iſthaec eſse nequit.

XXXIV. Conjecturis nihilo ſecius hiſce illud intercedere contendunt Bochartus, Witſius, Jablonskius loc. cit., Natalis Alex. in Hiſt. Eccl. Vet. Teſt. ad Aet. M. III. cap. 3. edit. Luc. T. I. p. 357. ſqq., ante ipſos Scaliger Animad. ad Euſebii Chron. p. 131, poſt vero Pridaeus in Hiſt. Jud. Par. II. lib. 9. edit. Venet. T. III. p. 291. ſqq., Buddeus in Hiſt. Eccl. Vet. Teſt. T. I. Period. I. ſect. 3. p. 356. ſq., aliique, quod Joſephi, ejuſque beneficiorum memoria apud Aegyptios, non admodum diu poſt ipſius obitum, prorſus exoleverit, Exodi II. 8, quodque Judaeorum nomen apud Aegyptios adeo infenſum, odioque adeo inveterato venerat, quam quodmaxime Exodi VIII. 25. ſq., juncto Diodoro lib. 34. p. 91, & apud Photium Cod. 244. p. 2049. Junge & illud, quod, ut ſuperius innui, *Serapidis* apud Aegyptios cultus neque tam vetuſtus, neque patrius fuerit, ſed nuperus, &, ut Attici loquuntur, Ἐπίθετος, ſeu Inquilinus. Itaque Scaligeri,

Bo-

Bocharti, Witſii, ac Pridaei, nam Jablonskius aliam induit, opinione *Apis* vetuſtum, ac patrium Aegypti Numen fuit, *Serapis* nuperum, & inquilinum, a Ptolomaeis in Aegyptum primum inlatum, utrumque *Bovis* ſpeciem praetulisſe, atque cum *Lunae*, tum *Solis* fuiſſe ſymbolum. Auctores ſua pro ſententia, teſteſque provocant Herodotum, qui lib. 2. cap. 42. de Aegyptiorum Diis tam multa retulit, duoſque tantum *Isidem*, ac *Osiridem* univerſa in Aegypto aequali religione coli tradidit, de *Serapide* ne gry quidem habet, quod indicio eſt multo poſt Herodotum illum demum in Aegypto obtinuiſſe; de *Apide* vero tradit eum Graecis *Epaphum* eſse; atque Tacitum, qui Annal. lib.4. cap.83. ſq. ex Sacerdotum Aegyptiorum relatione narrat *Serapidis* & Numen, & nomen Aegypti Incolis prorſus exſtitiſſe peregrinum, atque a Ptolomaeo, (quem cum Tacito *Lagum* alii, quidam cum Clemente Alex. *Philadelphum*, alii *Evergetem* faciunt), e Sinope Pontica, cui frumenta liberaliter ille ſuppeditaverat, cujuſque Rex fuiſse *Serapis* S. Epiphanio in Anchor. cap. 106. T. II. p. 106. viſus eſt, ut adnotavit Scaliger ad Euſeb. n. 1725, in Aegyptum omnium primo advectum, poſtea demum cultu religioſo Alexandriae locatum, Templo aedificato, honorari cepiſſe. Tacito vero habent ſimilia Dionyſius Alex. in Perieg. v. 255, ibique Euſtathius, Plutarchus de Iſid. p. 362. ſq., & de Solertia Animal. p. 984, Macrobius Saturn. lib. 1. cap. 7, Pauſanias in Attic., hoc eſt lib. 1. cap. 18. p. 42, Clemens Alex. in Protrept. edit. Pariſ. p. 31. ſq., Theophilus Antioch. ad Autolyc. lib. 1. cap. 14, Origenes adv. Celſum lib. 5. p. 257, S. Cyrillus Alex. contra Julian. lib. 1. p. 13, Nicephorus Hiſt. Eccl. lib. 15. cap. 8, aliique, quos diutius perſequi non eſt opus.

XXXV. Longe ab hac alia Illuſtriſ. Huetio inſedit opinio, qui ſua pro cupiditate in omnium Gentium Numinibus unum reperiendi Judaeorum Legislatorem, & heic ſuo factum ingenio ſatis, atque forſitan pluſquam alibi, perſuaſum habuit. Ipſi itaque Demon. Evang. Propoſ. IV. cap. 4. §. 4. ſq. edit. Ven. T. I. p. 87. ſq., ac de libro Joſue §. 13. p. 208. in *Apide*, & *Serapide* idem *Iſidis*, & *Oſiridis*, ac *Mnevidis* Numen, & in utriſque demum unum *Moyſem* videre ſibi viſus eſt, ita ut *Moyſis* unius ſymbo-

lum fuerint *Vituli* Aurei, Aegyptiorum exemplo, cum ab *Aharone*, tum a *Jeroboamo* erecti. Interpretationis ſuae auctores, ac ſequeſtres vocat Artapanum apud Euſebium Praep. Evang. lib.9. cap.4. referentem, quod a *Nacherote* Aegyptio *Moyſes* interrogatus, ecquid hominibus valde eſſet utile, iſque reſpondiſſet *Boum* genus, qui terram arant, inde factum, ut *Chenephres* Aegypti Rex *Taurum* nominaret *Apim*, eique Templum exſtrui juſſerit; Syncellum item in Chron. p.123. edit. Pariſ., Ven.p.98, quo loci ſub *Aſetha* Aegypti Rege Ὁ Μόσχος Θεοποιηθεὶς, Ἄπις ἐκλήθη *Moſchus*, *Vitulus inter Deos relatus*, *vocatus Apis* dicitur. Pro *Moſcho* nempe tam *Mnevim* ibi notari, ideſt *Moyſem*, utqui ex Diodoro S. Juſtino in Paraeneſi Aegyptiis primus leges dediſſe perhibetur, quam *Vitulum* ſignificari, quo Graeco Μόσχος idem, ac *Moyſis* praefertur nomen. *Serapidem* quod ſpectat, praeterquamquod, Philone Byblio apud Euſebium Praep. Evang. lib.1.cap.6, (cui jungi & Porphyrius apud eumdem lib.3. cap. 2. paria tradens poterat), ac Macrobio Saturn. lib.1. cap.7. teſtibus, is ab *Oſiride* indiſtinctus eſt, ex Tacito Annal. lib.4. cap. 83. ſq., Ptolomaei *Lagi* referente ſomnium, quo ipſi viſus eſt *Serapis* in Caelum igne plurimo attolli, inde factum arguit, ideſt ex *Scaraph*, Hebraice קָרַב *Karab*, & שָׂרַף *Saraph*, quod eſt *Incendere*, *Serapim*, qua *Moyſem* vultu flammeo ad ſuos de Monte reverſum exhiberi ſpecie non ambigit. Quò facere demum putat Gemmam apud Pignorium in Expoſitione Menſae Iſiacae, ubi *Serapidis* imago ſcalpta conſpicitur cum radiato capite, & cornuto, ac virga tricuſpide angue circumplicata: quae ſane *Moyſis* eſſe ſymbola non dubitat, cujuſce virga non ſemel in Serpentem eſt mutata, facieſque de Monte regredientis cornuta, radiataque adparuit. Cum Huetio proxime facit Tenniſonius de Idololat., ab *Apide* indiſtinctum *Moyſem* inde arguens, quod *Moyſes* cum veteri *Baccho* idem ſit, a *Baccho* vero nonniſi nomine diſtinctus fuerit *Oſiris*, ſive *Apis*. Ut ingenio plena ſint iſta, verique ſpeciem haud parvam ingerant, ejuſmodi ſunt tamen, quae aſſenſum extorquere haud facile queant. Principio namque illud prohibet, quod tam *Aharon*, quam *Jeroboamus*, ſicut a *Joſephi*, ita a *Moyſis* Vitulis illis recolenda memoria tam procul abſuere,

quam

quam prope Idololatriam, Aegyptiorum inſtar, induxiſſe redarguuntur Exodi xxxii. 4, III. Reg. xii. 28, & Actor viii. 39. ſq., S. Hieronymo juncto in Oſeae iv. Praeterea apud Diodorum, ac S. Juſtinum primus apud Aegyptios Legiſlator, primuſque Rex fertur *Menez*, ideſt *Mizraimus*, quo de fuſe alibi, quocum ſane *Moyſi* nihil fuit commune, utpote qui longe Moyſi aetate praeſtitit. Figmentis vero deputandum tam quod de *Nacherote* Artapanus, quam quod de *Ptolomaeo* Tacitus referunt, nemo probe non percipit. Ex Graeco rurſus Μοσχος, quod eſt *Vitulus*, *Moyſem* conflare velle, id abuti litteris velle videtur. Poſtremo longo inter ſe temporis intervallo diſtant *Chenephres*, & *Aſethus*, ille namque Julio Afric. in Dynaſtia iii. Regum Memphitarum poſtremo recenſetur loco, iſte vero in Dioſpolitarum Regum Dynaſtia xvii. poſtremus item repoſitus legitur; Syncello item Chron. p. 91. edit. Pariſ., Ven. p. 73. *Serapis* Rex Aegypti ſeptimo poſt *Mizraimum* collocatur loco, quo longe diſtat *Aſethus* inter Aegypti Reges loco trigeſimo ſecundo ab ipſo poſitus, eique *Moyſes* aetate poſterior factus, utpote qui ſub *Amoſi*, ſive *Tethmoſi* ejus filio Aegypti Rege xxxiii, contra Africanum ab Aegypto egreſſum ſub eo ſcribentem, natus ab ipſo fertur, egreſsus vero ab Aegypto ſub *Miſphragmuthoſi* Aegypti Rege xxxvii. regni anno ultimo refertur p. 70. ſq., & 126. ſq. edit. Pariſ., Ven. p. 56. ſq., & 101. ſq.

XXXVI. Itaque, ut Eruditorum aliae hacce de re opiniones incudi ſupponantur, Jablonſkio loc. indic. alius eſt *Apis*, aliuſque *Serapis*; atque quidem diu pridem *Serapidem*, alio nomine *Mnevim*, Heliopoli ſub *Bovis* ſpecie in honore habitum ultro concedit, & DeVignolii calculos utique ſequutus in Chronolog. Sacr. T. I. p. 728. ante *Moyſem* annis 50. circiter, ſi audiendus ſit Plinius lib. 36. cap. 8. a *Rameſſe*, (is eſt *Seſoſtris*), Obeliſcum fuiſse poſitum referens, ubi *Mnevidis* olim Regia fuerat, quin imo ſub *Abrahami* aetate, ſi fides adhibenda Syncello ſit ex Africano, & Euſebio referenti in Chronog. p. 54. ſq. edit. Pariſ., Ven. p. 43. ſq. regnante *Cheaco*, ſive *Choo* Memphi *Apim*, & Heliopoli *Mnevim*, ſive *Serapim* inter Deos fuiſſe relatos. *Apidis* denique aetatem in aetatem *Aſethi* confert, Euſebio, & Syncello confiſus, qui ſub *Aſetho* inter Deos habitum

bitum *Vitulum*, eumque *Apidem* vocatum referunt: *Aſethi* vero aetatem, juxta DeVignolii computum in Chron. Sacr. T.II. p.668, in annum 320. ab Exitu Iſraelitarum ex Aegypto, ante Chriſti natalem 1325. Confirmat id vero Veteris Grammatici, Scholiaſtis ideſt Germanici Caeſaris in Arati Phoenomena p. 120. teſtimonio, qui de Regum Aegypti inauguratione in Templo *Apidis* Memphi fieri ſolita loquens, Reges jurare a Sacerdote *Iſidis*, (ſive *Apidis*), adactos inquit, *Neque Menſem, neque diem intercalandum, quem in feſtum diem immutarent, ſed dies 365 peracturos, ſicut inſtitutum eſt ab Antiquis*. Inde conjectura ducta, quod *Apis* ideo *Lunae* ſymbolum eſset, quia *Lunaris* vagus Annus in Aegyptiorum Sacris uſu Sacerdotibus eſset, eaque de Anni forma, ſicuti ſub *Aſetho* factum fuerat, *Isidis*, ſive *Apidis* Sacerdotes fuiſse quamaxime ſollicitos. Verum cum *Aſetho* inepte *Seſoſtrim* vir Doctiſs. confundit, lib.2. cap.1. p.156. *Aſetho* Heliopoli regnanti aetate ſupparem *Armaeum* Thebis regnum obtinentem faciens. *Armaeum* enim *Seſoſtris* fratrem, ac *Danaum* alio cognominatum fuiſse nomine oſtendimus: oſtendemus autem infra *Aſethi* nepotem fuiſse *Seſoſtrim*, ab hujuſce vero Epocha cum DeVignolio annis 336. enormiter Jablonskium aberraſse. Sub *Choa* vero, ſive *Cheaco* eodem tempore & *Apidem* Memphi, & *Serapidem*, ſive *Mnevim* Heliopoli Diis fuiſse adcenſitos ex Africano, & Euſebio refert Syncellus. Spencero itaque de Legibus Hebr. Ritual. lib.3. diſsert.5. cap.8. edit. Pfaffii p.879. ſqq., Eliae Boherello in Not. ad Origenem contra Celſum lib. 5. p. 391, ac Gisberto Cupero in Harpocrate Antiq. Graec. Suppl. Poleni T.II. edit. Ven. p.459. ſq., geminus *Serapis* diſtinguendus viſus eſt, antiquiſſimus, qui primitus *Memphis*, ac noviſſimus, qui poſt Alexandriae cultum obtinuit, velut expliciti ſſime diſtinctas uterque legitur Pauſaniae in Attic., ſive lib.1. cap.18. p.42; Tacito Annal. lib.4. cap.84, ubi advenae *Serapidi* a Ptolomaeo inlato Templum Alexandriae, *Serapion* inde dictum, ac celebre erectum fuiſse refert in loco, ubi Fanum *Serapidi* antiquitus ſacratum fuerat; Pſeudo-Calliſtheni in Fragm. de vita Alexandri M. apud Fabricium Bibl. Graec. T. XIV. p.149, Euſtathio in Not. ad Dionyſ. Perieg. v.255, & Cle-

Digitized by Google

Clementi Alex. in Protrept. p. 31. ſq., quibus teſtibus conſtat ante *Ptolomaeos* utique in Aegypto viguiſse *Serapidis* cultum: quem ſub *Alexandro M.* profecto obtinuiſse certo liquet ex Plutarcho in Alex. p.705, Arriano de Expedit. Alex. lib.7. p.499, Laertio lib. 6. §. 63, ac Suida in Lex. V. Σάραπις edit. Kuſt. T.III. p.285. ſq. Exinde ergo conſiciunt Veterem Memphis, ac etiam poſt Alexandriae cultum *Serapidem* Indigenam fuiſse, Nuperum vero, qui a *Ptolomaeo* inductus eſt Alexandriae, *Serapidem* fuiſſe Alienigenam, eumdemque cum *Plutone*, qui deinde ſcilicet Aegyptiis, (a loco, puto, veteri *Serapidi* dicato), *Serapis* dictus eſt. Indeque colligunt fieri utique potuiſſe, ut Aegyptiis ſub antiqui *Serapidis* nomine, ac ſpecie *Joſephus* Patriarcha fuerit excultus. Ad haec Aegyptiacam *Serapidem* originis fuiſſe inde probant Duumviri doctiſs. Abbas de Fontenu in diſsert. de Serapide Monum. Acad. Inſcript. T.X, & Anonymus in diſſert. Gall. ejuſdem Argum. p.16. ſqq., quod cum Modio capiti impoſito Aegyptiace indutus ubique *Serapis* adpareat in Lapidibus, Picturis, Nummis &c. Falſo vero, ac perperam, ſua pro opinione de *Serapide* primum a *Ptolomaeo* in Aegyptum inlato, proferri ab Hiſt. Univ. T.VI. in Not. p. 434. Anglis Scriptoribus qua Polybium, qua Macrobium praeeit. Anonymus obſervat. Nec enim a Polybio T. V. p. 74. traditur ab *Argonautis* in Propontidis ora cultum *Serapidi* fuiſse delatum, ſed Diis XII. dumtaxat ſacrificatum, ac in Thraciae ora *Serapidis* Fanum extitiſse refertur. Nec etiam a Macrobio Saturn. lib. 1. cap. 20. traditur *Nicocreon* Cypri Rex, in Mythologia Aegyptiaca approbe alioqui verſatus, interrogatum miſiſse, qualis Deus eſset *Serapis* Alexandriam nuper invectus, bene vero a *Nicocreonte* conſultus Aegyptius *Serapis* reſpondiſse ſe Deorum *Maximum* eſse. Viden, ut cetera levioris momenti ab Anglis objecta Scriptoribus levi is brachio diſpungat!

XXXVII. Diſcordes adeo inter ſe opiniones iſtas componi ita demum poſſe opinor, ut primo, (quae prima Idololatriae origo fuiſſe reputanda eſt, a Supremo *Numine* ſcilicet ad ejuſdem Symbola Religioſi cultus ſuperſtitioſa, nefariaque facta translatio), *Sol*, & *Luna* Supremi *Numinis* pura, putaque Symbola

bola apud homines olim habita fuiſſe ſupponantur; paullatim vero poſtea eò proceſſiſſe hominum qua ignorantia, qua depravatio, qua ſuperſtitio, ut Symbolis ipſis, *Soli*, ac *Lunae* ſcilicet, honor deferretur, uni *Deo* debitus, (qui primus velut Idololatriae gradus haberi poteſt), adeoque ut in ſuperſtitioſi cultus *Soli*, ac *Lunae* deferendi argumentum nova alia Symbola fuerint inſtituta; inſtituta vero inter haec apud Aegyptios fuiſſe Symbola inter alia *Oſiris*, qui *Solis* eſſet, & *Iſis*, qui eſſet *Lunae*. Sed & ipſa, quae prius mera erant Symbola, ſupina ingraveſcente apud Aegyptios ignorantia, ac ſuperſtitione, Numinum loco habita ſunt, adeo ut & nova ipſorum in honorem adinventa Symbola ſint, cujuſmodi *Serapis*, quo *Solis*, & *Apis*, quo *Lunae* tam excellentia ſupra cetera Orbis Caeleſtis Aſtra, quam egregia in Terreſtrem Orbem beneficia denotarentur. Atque hic ſecundus Idololatriae gradus utique fuit; quo tamen haud ſtetit, ſed ultra progreſſa hominum audacia ipſos *Homines* vel ob egregia facinora, vel ob accepta beneficia inter Deos cooptare, referreque cepit, ipſis Apotheoſes dicare, honores deferre Divinos, atque Deorum habere loco, & nomine. Itaque factum inde, veluti fidem abunde faciunt Manetho, vetus Auctor Chronici Aegyptiaci, Eratoſtenes &c. apud Julium Africanum, Euſebium, atque Syncellum, ut Aegyptiorum Dynaſtiae tres velut in Claſſes *Deorum*, *Semideorum*, ac *Heroum* diſtinctae fuerint. Igitur ut ad rem, qua de ago, propius accedam, *Mizraimus*, ſive *Menes* Aegyptiaci Regni fundator, qui primus Aegyptiorum animos, moreſque ad aequi, & juſti lancem, ac lineam informavit, mentem, ingeniumque ad Aſtrorum ſtudium, Deorumque cultum inſtruxit, eiſque leges tulit de colendis agris, de domibus aedificandis, deque recte, utiliterque traducenda vita, Herodoto lib.2. capp. 99, & 144, ac Diodoro lib. 1. verſ. Abb. Terraſſ. p. 10.ſqq., & 23.ſqq. teſtibus, *Menes*, inquam, & ipſe pro *Mnevi*, pro *Osiride*, pro *Serapide*, pro *Solis* ſymbolo, pro ipſo *Sole*, ſecundum Aegyptiorum Mythologiam, Aegyptiis habitus eſt, ita nempe habendus Aegyptiis creditus ob inductum Aſtronomiae ſtudium ut *Oſiris*, Solis ſymbolum, ac *Sol* ipſe, ob eruditos rudes adhuc Aegyptiorum mores ad mechanicas artes ut *Serapis*

Digitized by Google

pis habitus ſit. At enim *Menis* uxor, quae & ipſa cum *Mene* Aegytiaco fundando, amplificandoque Regno, Agriculturae exercendae, regundarumque Familiarum diſciplinae tradendae egregiam commodaverat operam, eadem pro *Apide*, pro *Iside*, pro *Lunae* ſymbolo, pro *Luna* ipſa habita eſt. Quocirca utrique tam *Meni*, quam *Uxori* Divini poſt obitum decreti honores fuere, qua ſub *Serapidis*, qua ſub *Apidis* Symbolo. Quod poſt annos 303. a *Menis* obitu factum, non abſque Sacerdotum conſilio, a *Cheaco*, ſive *Choo* Aegypti Rege X, in Dynaſtia II. Thinitenſium Regum Rege ordine II. ex Julio Africano, & Euſebio refert Syncellus in Chron. p.54, ſq. edit. Pariſ., Ven. p.43. ſq., ab eo nempe *Mnevim*, ſive *Serapidem*, ideſt *Mizraimum*, ſive *Osiridem*, Heliopoli, ubi vivendi finem fecerat, & *Apim*, ſive *Iſidem*, hoc eſt *Menis* uxorem, Memphi, ubi fato conceſſerat ſuo, inter Deos fuiſſe relatos, Divinoſque utrique honores decretos. Niſi quis velit, (quod ſua gravique nequaquam probabilitate carere ſupra vidimus, quodque libenter ideo largimur), unum, eumdemque fuiſſe *Iſidem*, & *Osiridem*, indiſtinctumque ab *Apide Serapidem*, ſed unum primo ex alio conflatum, *Serapidem* ideſt ex *Apide*, rurſumque poſtea ex uno, eodemque, diverſo tamen nomine Heliopoli, & Memphi vocato, duos effectos, unumque, qui Heliopoli, alterumque, qui Memphi in honore haberetur. Juxta dicta vero de *Ammone* Jovis Cretenſis Regis patre ſuperiori §. 6. ſq. e Libya in Cretam tranſlucto, *Jupiter* ipſe eſt, aut *Venephes* Syncello dictus p.54. ſq. edit. Pariſ., Ven. p.43. ſq. in Dynaſtia I. a *Mene* quartus, ſub quo ingens Aegyptum afflixit fames, (accurate diſtinguendus a *Vennephe* alio, in Dynaſtia xx. Dioſpolitarum Rege III, poſt *Menem* ſexageſimo primo apud Syncellum p.170, edit. Pariſ., Ven. p.135.), ipſiuſque filius, ideſt *Venephis* I, fuit *Uſaphes*, idemque ac *Epaphus*, Io ex *Jove* filius, qui ſub *Apidis*, ſive *Isidis* deinde nomine inter Deos relatus dicitur Syncello ibid.; vel *Ammenemes* dictus Syncello p.59. edit. Pariſ., Ven. p.47. ipſe eſt *Jupiter*, illiuſque filius *Epaphus* idem fuit, ac *Seſoſtris*, qui poſt *Osiridem* inter Deos repoſitus eſt. Quod igitur habet Syncellus p.123. edit. Pariſ. Ven. p.98, regnante *Aſetho* inter Deos *Apidem* fuiſſe relatum, haec,

un-

inquam, periocha vel ad alterutrum ex duobus hiſce Regibus Aegypti reſpicit, ad *Uſaphem* ideſt, vel *Ammenemmem*, perperam huc tranſlata; vel ita demum accipi debet, ut ab *Aſetho* confirmatus *Meni* cultus intelligatur. Atque iſthaec utique apud Aegyptios omnium antiquiſſima fuere Numina *Oſiris*, & *Iſis*, *Serapis*, & *Apis* Bovis utrumque ſymbolo, quod ſimiliter eſſet *Solis*, & *Lunae*, ſignificatum.

XXXVIII. Aſt enim ex Herodoto, Diodoro, Plutarcho, Euſebio, Syncello &c. conſtat non unum fuiſſe apud Aegyptios *Oſiridem*, nec unum *Iſidem*, ſed alium *Caeleſtem*, aliumque *Terreſtrem*. Juxta haec itaque *Caeleſtem* ego intelligo *Menem*, alterumque *Terreſtrem* accipio *Apidem*, ſive *Epaphum* Argivorum Regem, ita ut, qui prius Heliopoli, ſive Thebis fuit vetus *Oſiris*, ac *Serapis*, ideſt *Menes*, ejuſque Conjux *Iſis*, ſeu *Apis*, fuit *Caeleſtis*; Memphis poſtea *Epaphus* Argivus novus fuerit *Apis*, ſeu *Iſis*, *Terreſtris*, utpote qui novos in Aegyptum Colonos induxerit, noviſque Aegyptios adfecerit beneficiis. Atque ita ſane accipiendi mihi videntur Strabo lib. 17. p. 1155, ac Syncellus p. 54, ſq. edit. Pariſ., Ven. p. 43. ſq., dum *Apidem* Memphi, Heliopoli *Serapidem* in honore habitum referunt, ut loquuti videlicet intelligantur de veteri *Serapide*, ideſt *Mene*, ſeu *Oſiride*, quocum Heliopoli cultam *Iſidem*, hoc eſt *Menis* uxorem, ſeu *Apidem* non eſt dubium, deque novo *Apide*, ſeu *Epapho*, eoque Inquilino, e Graecia ideſt in Aegyptum inlato, qui Memphi poſt coli ceperit. Ex *Apis* ergo, ſeu *Epaphi* nomine confictus Aegyptiis eſt *Bos*, qui Aegyptiace non alio, niſi אבי *Abi*, ſive Coptice *Oſpi* effertur. Fortaſſis etiam, quia forti cum Exercitu Aegyptum fuerat ingreſſus *Epaphus*; ac ſiquidem quod *Apis* Aegyptiis, Hebraeis *Abir*, Graecis *Moſchos*, etiam *Fortis* eſt Latinis, ut ex Hierem. XLVI. 15. vidimus, ideo *Bovis* ſymbolo dicatus eſt *Epaphus*. Fortaſſis inſuper, aut quia rerum copiam in Aegyptum intulerit, abundeque frumenta Aegyptiis famis tempore ſuppeditarit, aut quod anni *Solaris*, qui prius apud Aegyptios informis erat, cujuſque rudem admodum a *Mene* primo formam acceperant, ad *Lunae* quoque Periodos, pro veterum more Graecorum, attemperare Aegyptios edocuerit; aut quod optimas, Porphyrio

rio teſte, leges Aegyptiis praeſcripſerit, *Epapho* ideo *Apis*, ſive *Bos*, qui tam *Lunae*, quam *Agriculturae* ſymbolum apud Aegyptios erat, conſecratus eſt. Sub quo demum Aegypti Rege, quove anno conſecratio iſthaec *Apidis*, ſive *Epaphi* contigerit, obiter inquirendum manet. Itaque principio ex Joſepho, & Juſto Hebraeis, & ex Graecis Polemone, Appione, Herodoto, Acuſilao, & Ptolomaeo Mendeſio refert Syncellus in Chronog. p.62. ſq. edit. Pariſ., Ven. p.49. ſq., Iſraelitarum ex Aegypto exitum in *Apidis* Phoronei Regis Argivorum filii, & *Amosis*, ita Africano dicti, ſive *Miſphragmuthosis* ita dicti Euſebio, ſive *Tethmosis* ipſi dicti, Aegypti Regis aetatem incidiſſe. *Amosis* vero, qui ab Africano, & Euſebio primus in Dynaſtia XVIII. locatus fuerat, ab ipſo Syncello Joſephum ſequuto in libro adv. Appion. in eadem Dynaſtia XVII. ſecundo dumtaxat loco poſitus eſt, *Amosis*, inquam, patrem *Aſethum* facit, quem Julio Africano, Euſebioque ignoratum adfirmat, prioriſque Dynaſtiae XVII. juxta Euſebium, juxta Africanum Dynaſtiae XV. poſtremo refert ipſe loco, fuitque inter Aegypti Reges juxta ipſum Rex 32. Quo, juxta Syncellum, fit utique, quod libenter indulſimus, ut *Apidi*, ſeu *Epapho* Regi Argivorum ab *Aſetho*, qui ante ipſum in vivis egit, dedicari Apotheoſis nequiverit, fieretque praeterea, ut *Moysi* ab Aegypto Populum educenti, poſt *Aſethum* generationi alteri, ideſt *Amoſo* ipſius filio, Argivorum Rex *Apis*, ſeu *Epaphus* ſuppar aetate fuiſſet.

XXXIX. Verum enim vero & ipſe videre nequivit, propeque manibus tangere Syncellus, quos ipſe allegavit Scriptores, e quibus annis 200, (quin annis 285, juxta Uſſerii computum in Annal. Vet. Teſt. p.7. ſq., aut imo annis 325, juxta computum Petavii in Animad. ad S. Epiph. T.II. p.15. ſq.), erraſſe conficit Euſebium, qui *Cecropi* aetate parem *Moyſem*, *Cecropem* vero *Inacho* annis 300. priorem fecit, qua de re nos ſupra, inter ſe haud omnino cohaerere. Nam ab Appione lib.4. adv. Judaeos, & ab Acuſilao *Ogygi*, & *Moyſi* ſynchronos *Inachum*, ejuſque filium *Phoroneum* Argivorum Reges I, & II. fieri refert. Referre vero Polemonem in Hiſt.Graec. lib.1, & Ptolomaeum Men-

deſium adſirmat, ſub *Phoronei* filio *Apide* Rege Argivo III. Iſraelitas ex Aegypto dilapſos Palaeſtinam, atque Syriam haud procul ab Arabia occupaſſe. Quo patet *Moyſem* utique *Inacho*, & *Apidi*, quos inter annorum 110. intervallum effluxit, aetate ſupparem eſſe nequiviſſe. Quamvis nec Euſebio in Chron. p. 118, quem alioqui vindicare ſategit Petavius Animad. in S. Epiph. T. II. p. 15. ſq., aſſenſum praebere queo, *Inachi* exordium ad *Abrahami* annum 160, annos 262. ideſt ante *Moyſem*, referenti, contra ipſum ſtantibus Joſepho, Africano, Tatiano, Clemente Alex., S. Juſtino, Tertulliano &c., quibus *Inachi* aetas in multos poſt annos detruditur, ac *Moyſis* prope exaequatur. Eidem adhaerendum perinde nego in Chron. p. 142, *Apidis* Argivorum Regis III, *Phoronei* filii, *Inachi* nepotis, Regni annum 1. cum *Abrahami* anno 270, ideoque ante *Moyſem* anno 152. adſtringenti: *Inachi* quippe avi infra detruſa aetate, ejuſdem nepotis *Apidis* aetatem decurtare quoque neceſſe eſt. Quo loci tamen obſervare non poenitebit, quod ab Euſebio in Chron. p. 122. ad ann. Abrahami 170. Caſtoris teſtimonium de Argivorum Regno ab *Inacho* ad *Sthenelum*, a primo ideſt Rege ad poſtremum, deſcriptum, iſtud teſtimonium, inquam, ad annum 1. *Inachi*, contra mentem Euſebii, perperam referentes Scaliger in Not., & Uſſerius in Annal. Vet. Teſt. p. 8, illud ante decennium Scaliger anticipat, ante vicennium Uſſerius. Ergo, ut vela jam colligam, duos probe diſtinguendos *Inachos* fore ſuperius innui, primum, a quo tertius fuit *Apis*, quique *Moyſe* annis plus 300. antiquior fuit; ſecundum, cujus filius *Epaphus* fuit, quo ab *Epapho* Memphim in Aegypto conditam adſerentes ſuperius Ariſtippum, Hyginum, ac Lactantium audivimus, & *Apis* nomine etiam vocatum adſeruit Herodotus. Jam vero *Inachi* exordium ab eo, quo a Syncello poſitus eſt, ſi de *Inacho* I. loquitur, cardine annis pluſquam 200, quot ipſe metachroniſmo peccat, retrotrahendum ducimus, ita ut duplici pluſquam ſeculo *Moyſis* aetatem praeceſſerit; atque viciſſim *Inachi* exordium ab eo, quo ab Euſebio conſtitutus eſt, ſi de *Inacho* II. Euſebius ipſe loquitur, cardine annis 200. circiter, quot ipſe prochroniſmo delinquit, cum Syncello removendum, infraque rejiciendum exiſtimo, ita ut cum *Apidis* in Aegyptum expeditione Iſraelitarum ab Aegy-

pto

pto egreſſio congruat: non adeo tamen deprimendum autumans, uti Petavio, & Uſſerio placuit, ut ab Euſebii computo detrahendos annos 300. circiter credam. In Aegyptum namque, tot hominum myriadibus, qua inde profugis, ut Hebraeis, qua in mari demerſis, ut Aegyptiis, exſpoliatam Argivorum Regi *Apidi*, ſeu *Epapho* expeditionem adornare tam facile utique fuit, quam ut opportune fuerit adornata, veri ſit valde quam ſimile. Atque haec de *Apidis*, ſeu *Epaphi*, quantum antiquis ex Monumentis diſputare fas fuit, aetate, expeditioneque dicta ſunto. Jam vero quo demum anno, quove ſub Rege *Apidis* conſecratio facta fuerit, obiter diſquirendum ſupereſt. Qua de re Jablonſkius in Pantheo Aegypt. lib.4. Par. II. cap. 2. §. 15. p. 208. ſq. diſputatione inſtituta, ex Syncello p. 123. edit.Pariſ.,Ven. p.98. colligere ſibi viſus eſt *Apidem* inter Deos ſub *Aſetho* fuiſſe relatum, relatumque ex De Vignolii calculis in Chronol.Sacr.T. II. p.668. poſt Exitum Iſraelitarum ex Aegypto anno 320: quod ipſum prius Par.I. lib.2.cap.1. §.16.p.156. adfirmare non dubitaverat: qui Viri doctiſſ. calculus ſane ſi loco ſtaret, funditus corruere neceſſe foret hactenus ſtabilitam *Apidis* Argivi epocham. Sed enim duplici peccare errore De Vignolii, & Jablonskii computum tum paullo ſuperius oſtendimus, ubi loquutum Syncellum de alio *Apide* collegimus, tum paullo infra Art.I. de Menſ. & Annis Aegypt. &c., ubi multis oſtendemus Syncelli calculos cum Manethonis, ac Cenſorini computis probe concordare, quibus liquido conſtat, ante *Seſoſtrim* in Aegypto regnaſſe *Aſethum* ejuſdem avum, *Seſoſtris* vero Regni exordium annis 16. exitum Iſraelitarum ex Aegypto, Chriſti vero natalem annis 1570. antevertiſse: quo fit perinde, ut haud recte cum Anglis Hiſtoriae Univerſ. Scriptoribus Anſaldus in diſsert. de Patriarchae Joſephi Religione p.80. adfirmarit *Seſoſtris* regnum certam reduci ad Epocham nequire, ad quam certe proxime a Frereto reductum fuiſse cognoſcere potuiſset.

XL. Reliquum jam eſt, ut de *Serapidis* cultu in Aegyptum a *Ptolomaeo* inducto, is ſive fuerit *Lagus*, ſive *Philadelphus*, ſive *Evergetes*, pauca ſubtexam, atque ita diſputationi taedii, ac laboris alioqui plenae finem demum imponam. Principio itaque ſicut ab Aegypto accepta Graeci Graeca Numina fecere

L 2 paſſim

Digitized by Google

paſſim, ita viciſſim a Graecia recepta Aegyptiis Aegyptia confecta fuiſse Numina videri facile poſsunt. Sinopis in Ponto namque non *Serapidem* utique, ſed *Jovem* Urbis Genium extitiſse, Gentique eximie cultum liquet ex Urbis Nummis *Jovis* effigie inſignitis apud Goltzium in Aſiae Tabula IV, Patinum p.299, & Harduinum in Num. Popul. illuſt. p.156. Atque *Jovis* Sinopitae quidem Imaginem e Pontica Sinope *Ptolomaei* juſsu Alexandriam fuiſse advectam fidem nobis faciunt Dionyſius Alex. in Periegeſi, ubi de Alexandria, verſ.255, ibique Euſtathius, Tacitus Annal. lib.4. cap.83.&c. Nova inde itaque Alexandriae *Jupiter* Sinopites adquiſita ſede, Graeca veteri mutata adpellatione, de *Serapidis*, veteris adeo Aegyptiis venerati Numinis, nomine, ex Inquilino indigena & ipſe factus, novo adpellari deinceps cepit. Indeque cepiſse videtur, quod eo ipſi in loco, ubi *Serapidi*, atque *Iſidi* fanum antiquitus fuerat ſacratum, *Ptolomaei* opera delubrum aedificatum, dedicataque fuerit Ara. Quamobrem fruſtra Tacitum vexat, ſollicitatque Bochartus in Hieroz. p.338, errori ei vertens, quaſi dixiſset *Serapidem* e Sinope Alexandriam advectum, quum Alexandriae jam antea Templum habuiſset, qui dumtaxat id dixit advenae illi Deo Alexandriae fanum aedificatum in loco fuiſse, ubi prius *Serapidis* fuerat, Deumque illum peregrinum, Alexandriae plauſu exceptum, domeſticum inde accepiſse nomen *Serapidis* illius, cui pridem locus ille, ſicut & *Iſidi* conſecratus fuerat; quin imo ſubdit Deum illum a quibuſdam *Oſiridem* quidem exiſtimatum, ſed ab aliis oppido multis *Aeſculapium*, a pleriſque *Jovem*, a plurimis *Ditem* patrem: quae ipſiſsima fuit Diodori quoque traditio de *Serapide* aliis pro *Oſiride*, quibuſdam pro *Dionyſio*, pleriſque pro *Jove*, aliis pro *Ammone*, plurimiſque pro *Plutone* habito apud Gyraldum in Hiſt. Deor. Syntagm.6. Oper. T.I.; p.198. Quamquam nec aegre repugnabo, ſiquis a *Ptolomaeo* Argivi Regis *Apidis*, deinde *Serapidis* eadem de cauſsa dicti, e Sinope deducto Simulacro, Alexandriae inſtauratam Apotheoſim fuiſse putet, cujuſce rei ea eſse ratio potuerit, ut tot ab Aegyptiis veterum Indigenarum Regum jactatis Apotheoſibus, Graeco & ipſe in Aegypto olim imperanti Divinos haberi quoque honores judicaverit, juſseritque. Po-

ſtre-

ſtremo illud mihi probabilius videtur, *Serapidis* ſimulacrum a *Ptolomaeo*, non a Sinope Pontica fuiſse accerſitum, ſed neque a Seleucia Urbe Syriae inſigni, quod poſterius aliquibus perſuaſum fuiſse refert ipſe Tacitus loc. cit., atque ex Iſidoro confirmat Clemens Alex. in Protrept. p.31, ſed a *Memphi*, ubi diu antea coli ſolebat, Alexandriam fuiſse delatum, ut ex aliorum ſententia recitat etiam indicato loco Tacitus, indicatque Pauſanias in Atticis, hoc eſt lib.1. cap.18. p.42. Anſam vero putandi e Sinope Pontica traductum *Serapidem* id fecit, quod antiquus apud Aegyptios *Serapis* Memphi cultus in loco fuerit, cui nomen erat *Sinopium*, Mons nempe prope Memphim ſitus, ut explicite habent Euſtathius in Scholiis ad Dionyſii Perieg. v.255, ac Pſeudo-Calliſthenes in Fragmento Graeco de vita Alexandri M. apud Fabricium Bibl. Graec. T.XIV. p.148. ſqq., ubi Memphis in *Sinopio* Numen extitiſse Τόν Α'ορατον τῦ Σινωπίϋ *Inviſibile in Sinopio* auctor eſt: quo ſane *Inviſibilis* nomine non alium, quam *Serapidem* venire facile quiſquis intelligit. Inde fit igitur, ut vel *Jupiter*, cujus Alexandriam inferre cultum *Ptolomaeo* cordi fuit, novo cum Popularis *Serapidis* nomine, vetus quoque cognomen e loco deſumptum, ubi olim Memphis coli ſolebat, acceperit; ſeu verius, ut e *Sinopio* veteri *Serapidis* ſimulacro, Alexandriam delato, vetus eidem e veteri loco cognomen *Sinopitae* deinceps adhaeſerit.

XLI. Diu, multumque divagatus, ut Graecanicae demum huicce Coloniae lumen undequaque adſunderem, in lineam ut me recipiam, praeſtituti operis jam modo ratio poſtulat. Graecorum igitur huic ab *Epapho* Argivorum Rege in Aegyptum deductae jungenda Aethiopum altera in Aegyptum ipſam viciſsim immigratio primo mihi loco ſuccurrit. Atque principio Aethiopum alii profecto in Africa, alii in Aſia, hique illis longe antiquiores, quamvis & *Hos qua Sol cadit, & qua naſcitur illos*, & qui in Africa ſunt, & qui in Aſia, hoc eſt, & qui in Libya, & qui ſupra Aegyptum ad Indum inhabitant, a ſe invicem nihil differre haud recte, mea quidem ſententia, adfirmarint Herodotus lib. 7. cap.70, & Strabo lib.2. p.103. Aethiopes itaque, non qui ad Orientem ſub Aegypto, in Africa ideſt, ſed qui ad Meridiem ſupra Aegyptum, ideſt in Aſia, ſeu

ad

ad Indum, profeſſione, inſtitutoque Paſtores, irruptione facta juxta Aegyptum conſediſſe memorantur Euſebio in Chron. ad annum Abrahami 390.p.166. Ejuſdem ante Euſebium meminere Expeditionis Philoſtratus in vita Apollonii lib.3, & 6, ac poſt ipſum Syncellus in Chronog. p.151. edit. Pariſ., Ven.p.120. His tertium adjungit Diodorum lib.3.p.126. Vallarſius in Not. ad Euſebium loc. cit., ubi Aegyptios Aethiopum Coloniam eſſe ab *Oſiride* deductam ille ſcribit. Verum cum *Oſiride* unus ſiquidem, idemque fuerit *Mizraimus*, de Colonia ab Aethiopia, ideſt Arabia, a *Mizraimo* primum in Aegyptum deportata loquutus eo loci Diodorus intelligi debet. Potius huc faciunt, quae Diodorus lib.1. cap.60. ſq. habet de *Actiſane*, quem ingenti cum Exercitu ab Aethiopia Africana citra Tropicum Cancri in Aegyptum irrepſiſſe, atque *Amaſi*, Seſoſtris nepote, *Proteo* Herodoto dicto, innominato vero Julio Africano, Euſebio, ac Syncello, devicto, ſuo iſtud Regno adjeciſſe refert: quod factum haud multum poſt Exodum conjicere licet. Atque ex Aethiopibus hiſce ſecunda fortaſſe Regum *Paſtorum* in Aegypto Dynaſtia conflata fuit, a quibus Aegypti Urbes incenſae, Deorum Templa diruta, Aegyptiique alii duro ſervitutis oppreſſi jugo, immani alii clade, ingentique deleti referuntur Joſepho lib.1. contra Appionem. Joſepho ſed enim explicitiſſimo longe ante praeivit teſtimonio, quo cum probe congruit ex Diodoro prolatum, Herodotus lib.2, capp.124, & 128. referens a *Cheope*, Diodoro lib.1. *Chemne*, Julio Africano *Oſorthone* dicto, quem *Actiſani* in Aegypti regno proxime ſucceſſiſſe veri ſit valdequam ſimile, ubique in Aegypto Templa clauſa fuiſſe, cujuſque genus cuique Deorum offerri Sacrificia interdicta, primamque exſtructam Pyramidem, eoque in opere graviſſimo Aegyptios laboris pondere oppreſſos: a *Chephrene* prioris fratre, atque in regno ſucceſſore, Africano *Pſammo* denominato, in id pariter operis incumbente, a quo ſecunda erecta Pyramis eſt, incredibili pariter labore miſere defatigatos Aegyptios fuiſſe ſubjungens, ipſis Templorum aditu intercepto, operamque Sacrificiis dare prohibitis. Quamquam, omniumque maximam *Soli* Pyramidem longe pridem a *Suphide* Memphis Rege a *Mene* X, ſub Abrahami aetate, erectam ex Manethone

thone, Africano, & Euſebio tradit Syncellus in Chron. p.56. ſq. edit. Pariſ., Ven. p.45; ab eodem *Suphide* vero in Aegyptum omnium primo Idololatriam fuiſſe inductam, *Solis* ideſt, ac *Lunae* cultum ex Diodoro lib.1. haud male arguit Shuckfordius in Hiſt. Mund. T.I. lib.5.p.313. ſq. *Soli* Pyramides, Regum alioqui ſepulturae deſtinatas, haſce porro dedicatas fuiſſe perhibent Herodotus lib.2. cap.111, Plinius lib.36. cap.8, Diodorus lib.1.cap.27,Graec.p.16, & ex Hermatele Tertullianus de Spectac. cap.8, qui ex Aethiopia ideo novis cum Obeliſcis, novam in Aegyptum inductam Religionem exiſtimat. Quam erga *Solem*, ac *Lunam* Religionem Aethiopes, Arabeſque a Chaldaeis antea didiciſſe teſtes accedunt locupletes Strabo lib.1. p.23, ac Diodorus lib.2. cap.12, ubi Obeliſcum a *Semiramide* pedibus 135. longum, atque 25. latum primo exſtructum perhibet;indeque *Heroum* in Deos relatorum hiſtoriam ab Euhmero hauſtam indicat Lactantius Divin. Inſt. lib.1. cap.11.

XLII. Harum porro occaſione Pyramidum, atque Obeliſcorum arrepta, obſervare haud poenitebit morem huncce Lapides, *Betylos* dictos, Diis erigendi, quales *Soli* erectos Heliopoli in Syria, in Monte Libano ab Aſclepiade conſpectos memorat Damaſcius in vita Iſidori Philoſ. apud Photium Bibl. Cod.242. p.1047, qui & ab Euſebio quodam Emeſae Medico *Betylum* geſtatum refert p.1062. ſq., in eoque Dei *Gennuei*, Heliopoli ſub *Leonis* effigie in Templo *Jovis* eximie culti, *Daemonii* crediti Iſidoro, formam inſculptam fuiſse, in *Betylis* aliis *Saturni*, aut *Jovis*, aut *Solis* impreſsam ſpeciem, & p.1066. perhibet a Severo Patricio Romano Alexandriae Lapides fuiſſe viſos, qui *Synoditae* ideo vocati ſunt, in quibus cum *Solis* globoſa, tum *Lunae* ad diverſos *Solis* aſpectus creſcentis, ac decreſcentis forma adparebat, *Betylos*, inquam, hoſce dedicandi morem ab aliis alios derivare, alioſque aliis referre acceptos. Et Sanchoniathon quidem apud Euſebium Praep. Evang. lib. 1. cap. 7. ab *Urano* inventos fuiſse *Betylos*, eoſque Lapides fuiſse animatos refert; e quibus *Betylum* unum fuiſse Lapidem, quem *Saturno* filios devoraturo *Jovis* loco *Rhea* ſuppoſuit, Graecis perſuaſum fuit apud Heſiodum in Theog. v.459, & 485. Ex Sotaco veteri Scriptore refert Plinius Hiſt. Natur. lib. 37. cap. 9. duo ab eo genera *Ceranniae* facta, nigras, ru-

ben-

bënteſque, atque per nigras, ac rotundas Urbes expugnari, & Claſſes, eaſque *Betulos* vocari: quae propius *Abraxas* fuiſse inde facile quiſque percipit. Ab Aſsyriis omnium primis *Marti* Στήλην Columnam erectam fuiſse, exindeque pro Deo illum haberi cepiſse, Perſica lingua *Baal* denominatum, perhibet Auctor Chron. Paſch., ſive Alex. p. 38. edit. Pariſ., Ven. p. 31, qua de re videndus Hydeus de Relig. Vet. Perſ. p. 64. Apud Arabes religione Aegyptiis affines *Dyſares*, primo inter Deos loco habitus, Lapis erat *Niger*, quadratus, informiſque, quatuor pedes altus, duoſque latus, oculato teſte Maximo Tyrio diſsert. 38. p. 459. Eadem ſpecie *Nigri* Lapidis Deum Amazonibus honoratum, eique Sacra fieri conſueviſse ſcribit Apollonius Rhod. Argon. lib. 2. p. 1176; quin in hodiernum uſque diem apud Indos *Mahadeu*, ideſt *Magni Dei* ſimulacrum nihil eſſe, quam *Nigrum* lapidem refert Petrus de Valle Itiner. Par. IV. p. 83, 90, & 301. Eamdem Obeliſci figuram habuiſse *Elagabalum*, quo nomine *Sol* in Syria Emeſae coli ſolebat, indicant Herodianus lib. 5. p. 114. edit. Steph., & Lampridius in Elagabalo cap. 7. In Laconia ſeptem *Planetis* totidem antiquo ritu Columnas erectas ſe vidiſse tradit Pauſanias in Lacon., ideſt lib. 3. cap. 20. p. 262. edit. Kunh.; qui & Pharis Achajae Urbe prope *Mercurii* ſignum Lapides fere triginta erectos ſe conſpexiſse refert, quadrangulari figura, ſinguloſque certis Deorum nominibus inſignitos; atque patrium Graecis fuiſse rudes olim Lapides pro Diis colere ſubjungens in Achaicis, hoc eſt lib. 7. cap. 22. p. 579: quem tamen de *Hermis* potius, quam de *Betylis*, accipi debere infra oſtendemus. Albae Pyramidi ſimile perinde *Veneris* Paphiae ſimulacrum fuiſse confirmat Maximus Tyrius cit. diſsert. p. 459. Lapides hoſce vero, Pyramides, Obeliſcoſque generatim apud Aegyptios, Graecos, atque Latinos in coni formam, in modum flammae ſurgentis, radiorumque Solarium effici conſueviſſe, ſpeciatimque *Soli* fuiſse dedicatos obſervant Porphyrius apud Euſebium Praep. Evang. lib. 3. cap. 7, Horatii Scholiaſtes in Carm. lib. 3. ode ult. p. 211, Plinius lib. 3. cap. 8, Auctor Etymologici V. Πυραμις, & Ammianus Marcell. lib. 17. p. 100, & lib. 22. p. 250. Obſervat vero cum La Crozio Jablonskius ad Pantheon Aegypt. Proleg. p. 82, ſq. Aegyptiaca voce *Pi-re*, ſive *Pi-ra* vulgo *Solem*

lem ſigni icari, indeque *Pyramis* conflatum nomen fuiſse, quo *Radiorum Solis effigiem* deſignari recte pridem ſcripſit Plinius ind. lib. 36. cap. 8. Lapides jam vero iſtos Diis erigendi morem Chaldaeos omnium primos, inde translatum ad Aegyptios, ab Hebraeis, inter quos a Jacobo *Lapis* Deo O. M. in Bethel, unde *Betylorum* effluxiſſe nomen Huetio Demonſ. Evang. Prop. IV. cap. 10. §. 6, Thomaſſino de Lect. Poet. Par. II. lib. 1. cap. 12, Spencero de Legib. Hebr. Ritual. lib. 2. cap. 22. ſect. 4. edit. Pfaffii T. I. p. 444, Bocharto in Geogr. Sacr. Par. II. lib. 2. cap. 2. Oper. T. II. p. 707. ſq. &c. videtur, primum erectus legitur, fuiſse, mutuatos, Gen. XXVIII. 18, indicat Caſſiodorus Epiſt. lib. 3. ad Fauſt., quem ſequuntur, ac pluribus oppido perſequutur Panvinius de Lud. Circenſ. lib. 1. cap. 17, Huetius loc. cit. p. 161, Bochartus loc. ind., Thomaſſinus, ac Blanchinius in Hiſt. Univ. Dec. III. cap. 30. p. 425. ſqq.; quo loci inter alia Aethiopum Colonos Aegyptios, ac in Aegyptum ab Aethiopia Idololatriam fuiſse deductam Inſcriptionibus in Obeliſcis adhuc extantibus, Aegypti Regum Imaginibus, in Tabula *Iſiaca*, ſive *Bembina*, Inſignibuſque aliis apud Kircherum Oedip. T. I. p. 371, & T. III. p. 402. oſtendit. Fourmontius aſt enim in Reflex. Crit. ad Hiſt. Vet. Popul. T. I. lib. 2. cap. 21. p. 162. ſqq. *Betylos* hoſce, qui *Lapides animati*, *Sacri*, *aut vivi* nuncupati leguntur Philoni Byblio apud Euſebium Praep. Evang. lib. 1. cap. 7, Damaſcio loc. cit., Heſychio, Etymologo V. βαιτυλος, ac Lampridio in Elagab. cap. 7, ab Hebraea radice שיך in *Ungendo*, aut דיר, quod eſt *Sphaera* derivato nomine, unde אב אדיר *Abbadir Patres Magnificos* apud Phoenices adpellatos Deos auctor eſt S. Auguſtinus in epiſt. 44; ſive אבן דיר *Eben-Dir Lapides Sphaericos*, interpretatus eſt Bochartus loc. cit., originem a *Batuele* Nachoris filio, Abrahami nepote, Rebechae patre duxiſſe, fuiſſeque Idola cujuſque figurae putat, qualia *Therapim*, quorum cultum in familiam *Abrahami* irrepſiſſe patet ex Joſue XXIV. 2, & 14: qua de re conferendi quoque Seldenus de Diis Syris ſyntag. 1. cap. 5, Dietericus Antiq. Bibl. p. 269, Elmenhorſtius in Not. ad Arnobii lib. 1. p. 37, & Doughtejus in Analect. Sacr. Par. I. Excurſ. 17.

XLIII. Ut ut de *Betylorum* origine ſit, illud diligenter

animadvertendum eſt inſuper, a *Betylis* ſcite diſtinguendos eſſe *Hermas*, quos ſaepe ſaepius a pleriſque video cum illis fuiſse confuſos. *Betyli* namque Lapides erant, ut innui, ſubnigri coloris, formae conicae, ad Solis radiorum figuram accedentis, quorum in ſummitate *Solis* effigies ſe conſpicienda praebebat; baſis perſaepe *Lunae* conſecrata legebatur; Symbolis, ignotiſque characteribus, ſeu hieroglyphicis inſcripti, quibus tam *Soli*, ac *Lunae* dedicari Lapides illi ſolebant, quam in iis Regum geſta deſcribi; cujuſmodi fuere in Aegypto, & Arabia Obeliſci, in quibus ſcalptas Inſcriptiones nobis duas interpretati ſunt, unius Thebis a *Seſoſtre* erecti Hermapion apud Marcellinum lib.17. p.100, alterius in Nyſa Urbe Arabiae *Oſiridi* dicati Diodorus lib.1. Graec. edit. p.16, edit. Steph. p.37. Sed & generatim de geſtis apud Aegyptios Columnis Lapideis inſcalpi ſolitis loquitur Proclus in Timaeum T. I. p.31, ſignatimque de Obeliſco Thebis erecto verba faciunt Strabo lib.1. p. 37. edit. Steph., fuſiuſque Tacitus in Annal. lib.11. cap.60. *Hermae* vero Lapides erant nigri praeſertim, quadrati, oblongi, *Mercurio* ut plurimum, aut *Marti* aliquando, conſecrati, quorum in ſummitate hominis caput referebatur, baſis plana Inſcriptionem exhibebat, qua primum locus, Regio, Ager, via Genii *Tutelaris*, ac *Hermetis*, ſive *Mercurii* quammaxime, unde Lapidibus inditum nomen, honori, & cuſtodiae commendabatur; qui Lapides ideo *Termini*, & *Averrunci* Latinis etiam denominari ſolebant, queis de Ovidius Faſt. lib.2. v.655, Juvenalis Satyr. 16. v. 38, Apulejus Florid. lib.1, & Apolog. lib.1, Tibullus Eleg. 1. cum Not. Varior., Clemens Alex. Strom. lib. 7. p.843, & Lactantius Divin. Inſt. lib.1. cap.20, videndusque Joſephus Laurentius in Var. Sacris Gentil. cap.23. Antiq. Graec. T.VII. p.241. ſqq.; qua poſtinde *Herois* cujuſpiam ob praeclara geſta in bellis, aut ſingularis ob ſapientiae praerogativam laude digni, honori, atque memoriae Lapis ille a privato quopiam, aut a Populo dicatus legebatur. Atque hiſce de *Hermis* loquutos Aeſchynem contra Cteſiphontem, ac Demoſthenem in Leptinem p.557. oſtendit Bullengerus de Pict., & Stat. lib.1. cap.21. Antiq. Graec. T.IX. edit. Ven. p.851. ſq., ad quos accedunt Maximus Tyrius diſſert.1, Dio Chryſoſtomus Orat.12. de

prima

prima Dei cognitione, Juvenalis Satyr. 3. v. 53, Plutarchus p.482, Cicero ad Attic. lib. 1. epiſt. 6, ac Suidas V. Θεὺς Ἄρης Lex. T.II. p.191. ſq., Lapides hoſce *Mercurio*, aut *Marti* dicatos frequentes apud Arabes conſpici ſcribentes; videnduſque Claſenius in Theologia Gentili lib. 1. cap.13. Antiq. Graec. T. VII. p. 68. A *Seſoſtri* derivatum hunc morem ejuſmodi Lapides *Heroibus* erigendi cenſet Blanchinius in Hiſt. Univ. Dec. IV. cap.30. ſq. p.507. ſqq. Ab Aegypto, & Arabia in Graeciam a *Cecrope*, & a *Cadmo* inlatos *Hermas* oſtendunt *Hermatenae* Graecis, *Jani Gemini* Latinis dicti, Pilae nempe quadratae, & Cubiformes, ut notat Ariſtophanis Interpres, quibus geminae facies ſibi oppoſitae ſuperimpoſitae conſpiciebantur: cujuſmodi figurae Pilas fuiſſe ab *Hipparcho Piſiſtrati* filio Athenis in unoquoque Populo, & in quolibet Urbis trivio poſitas, *Hermas* vocatas referunt Plato in Dialogo cognomine, Harpocration, & Heſychius apud Meurſium in Attic. Lect. lib.5. cap.7. Antiq. Graec. T. V. p.1889. ſqq.; fuiſſe Athenis in foro plures inſuper adfirmat Pauſanias in Attic., lib.1. cap.17. p.39, ubi quin imo primos fuiſſe Athenienſes perhibet, qui Ἀχώλους Ἑρμᾶς *Mutilos Mercurios* coluerint, cap. 24. p. 56; atque ab ipſis alios perinde Graeciae Populos morem huncce quadrangulae figurae *Hermas* faciendi accepiſſe refert in Meſſen., ideſt lib.4. cap. 33. p. 361. Ejuſmodi figurae, ac effigiei fuiſſe etiam Marmoreas, Aeneaſque Romae in Circo collocatas Statuas obſervat Juvenalis Interpres ad Satyr. 8; fuiſſe in Gymnaſiis ubique poſitas adfirmat Xenocrates apud Domin. Auliſium in Epiſt. de Colo Mayerano Antiq. Rom. Suppl. Sallengri T. III. p. 925; fuiſſe quoque Statuam *Deorum Matris* e Phrygia Romam adlatam docet Livius lib.29; fuiſſeque Lapideas Statuas in *Sybillae* Samiae ſepulcro poſitas refert Pauſanias in Phocic., ſeu lib. 10. cap.12. p.827. Quadrata vero figura illa *Herois* virtutem, geſtorumque veritatem indicari veteres voluiſſe teſtatam rem faciunt Simonides apud Ariſtotelem, & Scholiaſtes Thucydidis lib. 6: qua de re Aemilius, & Portus in Not. ad Thucydidem p. 430, & Urſinus apud Blanchinium in Hiſt. Univ. p. 509. ſq. Heroum porro *Hermas* qui plures referunt, adeundi, ſi placet, inter alios Urſinus in Imagin. Viror. illuſt., Kircherus Oedip.

Aegypt. T.I. p.282, Bellorus in Imag. Vet. Philoſoph., ac Cuperus in Monumentis Antiq. ineditis Antiq. Graec, & Rom. Suppl. Poleni T.II. p.541. ſq., ubi & illud ex Macrobio Saturn. lib.1. cap. 9, Plutarcho in libello *An ſeni ſit gerenda Reſpublica*, & Artemidoro Oneirocrit. lib.2. cap.42. obſervat ejuſmodi figuris cum ſolo capite expreſſis deſignari Senes olim conſueviſſe, a quibus una regendae optime Reipublicae ratio, eaque efficax, & foecunda requirebatur.

XLIV. Tam vero a *Betylis*, quam ab *Hermis* diſtinguendi ſunt inſuper *Lapides* alii Gentibus aliis, horum inſtar, ſacri, in honoreque habiti, quorum non omnes, ſed inter hoſce praecipuos, inſignioreſque indicare obiter pretium operae duco. Ejuſmodi fuerunt ergo apud Chaldaeos Lapis Μνίζουριν *Mnizurin*, vocis origine derivata vel ab Hebraea radice מָנוֹס *Manus*, quod eſt *Fuga*, juxta Serrarium in Tob. p.86; vel a radice צָרִים *Tzarim*, quod eſt *Adverſarii*; vel a radice שְׂעִירִים *Seirim*, quod eſt *Hirci* Iſaj.XIII. 21, quia Lapis ille Daemonum, ac poteſtatum Adverſariarum fugator haberetur. Apud Magos ejuſmodi erant Jaſpides, Lapides ideſt aliquibus *Paederotae*, aliquibus *Anterotae*, multis *Veneris Gemmae* dicti, quos ebrietati reſiſtere Magis perſuaſum fuiſſe refert Plinius lib. 37. cap.9, Quin in illis ſi *Lunae*, aut *Solis* nomen inſcriptum fuiſſet, atque ſuſpenderentur e collo capillis Cynocephali, vel plumis hirundinis, reſiſtere veneficiis, grandinem etiam, & locuſtas avertere. Sed enim longe celeberrimus erat apud Hebraeos *Lapis* tam ſingulari אֶבֶן מַשְׂכִּית *Ebben-Maſchjioth* Levit. XXVI. 1, quam plurali numero מַשְׂכִּיֹּתָם *Maſchjiotham* Num. XXXIII. 52, lege utrobique prohibitus, atque rurſus odio habitus Ezech. VIII. 12, ubi cum affixo מַשְׂכִּיתוֹ *Maſchjiotho* recurrit, juncto Pſalmo LXXIII. 7, ac Proverb. XVIII. 11. Cujuſmodi vero Lapis hic *Maſchith*, ſive *Maſchjioth* fuerit ſpeciei, ac figure, ingens, nec facilis expeditu difficultas intercedit, diverſas Interpretibus in opiniones abductis. Nam Levit. XXVI. 1. locum Graeci LXX, & Samaritana Verſio legunt Λίθον Σκοπὸν *Lapidem Signum*; Interpres Hebraeus *Lapidem Speculationis*; Vulgata noſtra *Lapidem Inſignem*; Syrus Interpres, & Paraphraſtes Chaldaeus *Lapidem Adorationis*; Verſio Arabica *Lapidem Elaboratum*; Hie-

Hieroſolymitanus Paraphraſtes *Lapidem Idoli*. Locum vero Numer. XXXIII. 52. Vulgata Latina vertit *Titulos*, Graeca, & Samaritana Verſio Σκοπιὰς *Speculas*, Hebraeus Interpres *Picturas*, Syrus *Cultus*, Arabs *Opera Elaborata*, Chaldaeus *Templum Adorationis*, Onkelos *Lapidem Humiliationis*. Itaque Lapidem utrobique *Pictum*, ſive *Figuratum* accipiendum eſſe haud dubitarunt R. Abenezra, & R. Kimchius, Pagninus, Munſterus, Fagius, Vatablus, Clarius, Grotius in Levit., & Num. loc. cit. Critic. Sacr. T.I. edit. Francof. p.892. ſqq., & p.1115. ſqq., Verſiones item Tigurina, Junii, & Tremelii, Oleaſtri &c. in Synopſi Crit. Sacr. T.I. ad loca ind. Levit., & Num. p.612, & 742. ſq., Seldenus de Jure Nat., & Gent. lib.2. cap.6. p.181, & Interpretes Anglicani in Margine ad Levit. XXVI. 1. *Lapidem Speculationis* ex Hebraeo legere maluerunt Arias Montanus, & Druſius; *Lapidem Erroris* Tigurini in Bibliis Maximis; *Lapidem Scopum* cum LXX Virali Tertullianus, Menochius, & Sà; *Lapidem Sachab Incluſum*, Parieti ideſt, Oleaſter, & Polus ibid.; *Lapidem Figuratum*, qui poni coram Idolo ſoleret, ac ſuper illo coram Idolo proſternere ſe Idololatris in more poſitum eſſet, R. Bechai Comment. in Levit. XXVI. 1, & R. Maimonides de Idolol. cap.6. §. 8. ſqq.; *Lapidem Silentii*, quo nempe mutum Idoli genus exhibebatur, de quo accipiendus ſit Habacuch II. 19, Caſtellus Animad. Samarit. in Num. XXXIII. 52, ſive *Lapidem Figuratum* in Lex. Heptagl. V. נגר Samaritana T.II. p.2199; *Lapidem Pictum*, ſeu *Artefactum*, adeo ut adſpectu ſuo homines alliceret ad honorandum, Delrius in Diſquiſ. Magic. lib.4. cap.2. p.468. Quae interpretationes eò demum collineant omnes, ut Idololatricum eo utrobique loci cultum a Deo interdictum explicent, non ita tamen, ut inde cujuſmodi genus Idoli Lapis eſſet ille detur intelligi. Quocirca Lapidi hujuſmodi prae ceteris explanando egregie opera impenſa Spencerus de Legibus Hebr. Ritual. lib.2. cap.22. ſect.3. ſqq. edit. Pfaffii T.I. p.438. ſqq., *Ebben Maſchit* tam ſingulari, quam plurali numero Aegyptiaci genus Obeliſcum fuiſſe putat, figuris inſculptum ſuperſtitioſis, certa ſub Caeli configuratione fabrefactum, ac in Regionum finibus ad mali Genii infeſtationes, peſſimaſque Syderum influentias averruncandas poſitum. Utque ita

ita putet, id efficit porro, tum quod in Graeca LXX Virali Verſione Lapis ille dictus legatur *Λίθον Σκοπὸν*, quo Lapis etiam *Terminus*, & Lapis *Cuſtos*, ſive *Vigil* indicatûr, veluti IV. Reg. IX. 17, Iſaj. LII. 8, in Verſ. Symmachi, & Ezech. XXXIII. 6: cui *Speculatoris*, aut *Cuſtodis* ſignificato favent Ariſtoteles de Mundo cap. 6, ubi Perſarum Regis famuli *Σκοποὶ*, *καὶ Φύλακες* *Exploratores*, & *Cuſtodes* vocantur, ac Phavorinus V. *Σκέπετο*, unde *Σκοπός* effluxit, ubi per *Ἐφυλάσσετο*, *παρετήρει* *Cuſtodio*, & *Speculor* vertitur; tum quod ejuſmodi genus eſſent apud Aegyptios Obeliſci, figuris myſticis exarati, Caeleſti quopiam ſub aſpectu fabrefacti, ad hoſtium ingreſſum a finibus prohibendum, ad malos procul abigendos Genios, nocivaſque Syderum infeſtationes propulſandas: qualis *Baal Tzephon* in anguſtiis inter Mare Rubrum, & Montem Pihahiroth a Magis olim poſitus; qualis *Jupiter Ammon* in Arenis Libycis juxta Catabathmum Aegypti; qualis *Apollo Smintheus* inter Paludes, & Mare in ipſo e Phoenice in Aegyptum ingreſſu, queis de Kircherus Oedip. T.I. p. 277. ſq., & 282. Recte demum Spencerus obſervat *Maſchjioth* nomine, Ezech. VIII. 10. ſqq. maxime, deſignatos etiam tum *Lares*, queis de Feſtus, ac Petronius in Satyric. cap. 29.; tum *Betylos*, (quos recte quidem a radice Hebraea מָשַׁח *Maſchah*, quod eſt *Unxit* Num. XXXV. 25, unde מָשִׁיחַ *Maſchiah*, quod eſt *Unctus* II. Reg. I. 21, & מָשִׁיחַ *Maſchoah*, quod eſt *Pictum*, ſeu *Unctum* Hierem XXII. 14, derivandos puto), quod Lapides *Uncti*, ſive *Dedicati*, ac *Soli*, & *Lunae* praeſertim, eſſent, queis de ſatis jam, atque ſuper.

XLV. Ut de genus ejuſce Lapidibus aliis obiter dicam, & in huncce referendi cenſum Lapides *Conici*, ſive *Pyramidales*, in honore quammaxime habiti in Templo *Natches* apud Americanos in Ludoviſiana, queis de Lafitaeus in *Moeurs des Sauvages* T.I. cap. 4. de Relig. p. 136. ſq., & p. 147. ſq. Duo vero inter alios longe celebriores, ac ſacratiores Arabibus olim Lapides fuiſſe leguntur, *Albus* unus, ad Templi Mecani, vulgo *Cabae* denominati, latus Orientale poſitus, qui Turcis creditur Sepulcrum eſſe *Iſmaelis* filii *Abrahami*, cingiturque ſepto, ne cuique ad eum pateat aditus; alter *Niger*, Turcice *Hagiar Alaſſovad* dictus, longe prae *Albo* illo, Arabibus olim, ac Tur-

Turcis hodie in honore, religioneque habitus, ejuſdem Mecani Templi ad Occidentale latus parieti inſertus, hodieque conſpicuus, qui eſt cubitorum 2, & parte tertia cubiti a terra elevatus, ac magnitudine ſua caput hominis adaequans. Hegirae anno 317, Aerae Chriſtianae 929. a die 14. Februarii ducto initio, a Carmathienſibus, expugnata Meca, ſub Kalipha *Moctadero* Lapis hic *Niger* ablatus eſt, pretioque quinque mille denariorum, pro eo redimendo oblato, recuſato, a Kalipha apud ſe retentus per annos 22, uſque ad Hegirae annum 339, Chriſtianae Aerae 950, a Junii die 20. ineuntem, quo ſub Kalipha *Mothi*, Kupham delatus eſt, indeque priſtino reſtitutus loco, *Cabae* parieti, quo nunc eſt, prope Januam inſertus. Mira fabulantur adhuc dum de hoc Lapide Turcae, quem a *Gabriele* candidiſſimum e Caelo delatum in ipſo Mundi exordio, nigredinem ob peccata hominum deinde contraxiſſe fingunt, aliaque plura videnda apud Pocockium in Specim. Hiſt. Arab. p. 118, & Herbelotum in Bibl. Orient. p. 420. In Lapide hocce porro, quem Arabes *Caabuta*, hoc eſt *Quadratum*, Turcae *Hagiar Alaſſovad*, ideſt *Nigrum*, & *Borcata*, hoc eſt *Diſcolorem* vocant, accuratius inſpectanti *Aſtartis*, ſive *Veneris* figuram ſcalpro expreſſam exhiberi; ac *Veneri*, ſeu *Aſtarti* olim eum fuiſſe ſacrum, & Arabibus in eo lapide *Aſtartem*, ſive *Venerem*, ſub *Lunae* creſcentis effigie, eximie cultam teſtes accedunt locupletes Maximus Tyrius diſſert. 38, Clemens Alex. in Protrep., Anna Comnena in Alexiad. p. 284, Glycas in Annal. Par. IV. p. 277, Euthymius Zigabenus in Panoplia, Cedrenus in Comp. p. 425, & Auctor Scripti contra Mohammedum editi a Moynio in Var. Sacr. p. 444; ante quos *Venerem*, Arabibus *Magnam Deam* habitam, illis *Ozzam*, *Alittam*, & *Zobarum* dictam, ſcripſit Herodotus lib. 1. cap. 131; *Luciferum* Saracenos ſuo adhuc tempore fuiſſe veneratos perhibet S. Hieronymus in Amos 5; cum Lucifero *Veneris*, ipſis *Chabar* dictae, uſque ad Heraclii tempora Statuam in honore Arabibus habitam confirmat S. Johannes Damaſcenus de Haer. n. 191, ibique videndus Lequiennius in Not. T. I. p. 110. ſq.; quo de Lapide, Idoliſque Arabum aliis, qui fuſe agunt, videndi Marracius in Prodromo Alcorani Par. IV. cap. 27, & in Refut. Alcor. T. I. p. 82,

&

& T.II. p.52, & 130, Pocockius in Specim. Hiſt. Arab. p.95. ſqq., Hottingerus in Hiſt. Orient. lib.1. cap.7, & in Archaeolog. Orient. p.5, Seldenus de Diis Syr. ſyntag.2. cap. 2, Hofmanus in Lex.V. *Arabes*, Bochartus in Geog. Sacr. Par.I. lib.2. cap.19.p.109. ſq., Ecchellenſis in Chron. Orient. Suppl. de Arabum Relig. cap. 6. edit. Ven. p.122. ſqq., Joſephus Simonius Aſſemanus eodem in Chron.Orient. Diſſert.4. de Arabum Orig., & Relig. §.16. ſqq. p.249.ſqq., Hadr. Relandus de Relig. Mohammedica lib.2. §.5. p.155. ſqq.,& David Millius in Diſſert. 10. de Mohammediſmo ante Mohammedum §. §.7, & 19. p.309. ſq., & 334. ſq., qui duo poſtremi tamen a *Mohammedo* Idola e Mecano Fano ſublata fuiſſe, Idoliſque, ac *Veneris* nominatim, anathema dictum obſervant. Eum quoque Lapidem Arabibus, Turciſque creditum virtute praeditum ad Animalia quaelibet noxia procul abigenda ſcripſit Gaffarellus in Curioſit. inauditis cap. 6. §.6, ibique videndus Gregorius Michael in Not.; eumdemque *Caabam* ideo dictum, quod *Chami* referret ſymbolum credidit Hornius de Orig. Gent. Americ. lib.2. cap.13. p. 124. ſq., quo de nos alibi quoque multa.

XLVI. Reſtat, ut aliis praetermiſſis, de *Abraxis* pauca ſubtexam, ne *Taliſmanicos* Lapides hoſce jejunus praeteriiſſe videar. Aegyptiis olim porro *Cnephi* Idolum Serpentis effigie, Phoenicibus *Agathodaemonis*, ideſt *Boni Genii* ſpecie, cultum in Thebaide maxime referunt Plutarchus de Iſid. p.359, Herodotus lib.2. cap.74, Strabo lib.17. p.562, & ex Philone Byblio Euſebius Praep. Evang. lib.1.cap.7: ubi a Serpente Circulum deſcribi obſervat, figuramque Graecorum Θ ſimilem, ubi Circulo Mundus ſignificabatur, linea vero Circulum ſecante *Cnephum*, ſive *Agathodaemonem* indicatum fuiſſe ſubjungit. Paria Euſebio refert de Aegyptiis Proclus in Timaeum lib. 3. p.216. ex Porphyrio, eos nempe *Animam* Mundi figura hac ⊕ Circuli linea ad angulos rectos ſecati adumbrare conſueviſſe, ita ut medium ✝, vel ✕ Mundum ſignificet, & quatuor ejus plagas, Circulus vero ambiens, ideſt Serpens, *Anima* ſit Mundi, ſive *Cnephus*. Quo modo *Cnephi* nomen in gemmis quibuſdam *Abraxeis* apud Fabretum, Chifletium, & Montfauconium in Theſ. 7. deſcriptum legitur: quod aliter nomen effertur

tur apud Plutarchum de Iſid. T.II. p.368. edit. Francof., *Omphis* videlicet, quo & *Oſiris* deſignata ipſi dicitur, vocabulo, eoque *Beneficum* ſignificari ex Hermaeo refert, videnduſque multis hacce de *Cnephi* etymologia Jacobus Kocherus in Miſcell. Obſerv. Crit. Novis in Auctores Vet., & Recent. 1741. T.II. p.129. ſqq. Ita etiam in Nummis aliquando *Cnephi*, Serpentis ideſt figura, *Bonus Genius* depictus viſitur: cujuſmodi ſunt apud Seguinum p.299., & Harduinum in Hiſt.Aug.p.722. Nummi Serpentis inter ſpicas ſpiras agentis imagine inſigniti cum inſcriptione Νεο. Αγ. Δαιμ. Νεο Α'γαϑῳ Δαιμονι, alterque apud Panelium de Ciſtophoris p.89, qui Nummos hos ad *Pammelia* Aegyptiorum Orgia ſpectare conjicit. Aegyptiis iterum Septennarius numerus Sacer habitus eſt, unde Nilum in ſeptem oſtia ſecatum legimus; a ſeptem Planetis totidem Hebdomadae dies adpellatos; Regionis totius habitatores in ſeptem hominum genera diviſos; ſeptem vocalibus Sacerdotibus Deos celebratos, queis de, poſt Veteres, Meibomius in Auctoribus Antiq. Muſicae T.I. p.37, Galeus in Opuſc. Mytholog. p.426, & Jablonskius in Panth. Aegypt. Proleg. p.54. ſqq. Quam ob rem ſeptem Planetis vocales totidem ab Aegyptiis, veteri pro ſuperſtitione, adſignatae, ideſt A. *Lunae*, E. *Mercurio*, H. *Veneri*, I. *Soli*, O. *Marti*, Y. *Jovi*, & Ω *Saturno* ſunt apud Galeum in Not. ad Graecos Rhetores p.235, & Jablonskium loc. indic., videndique Plutarchus de Ει in Delphis p.286, & Clemens Alex. Strom. lib.6. p.684. Ab Agyptiis itaque primum, ut & a Pythagoreis deinde illos proxime imitatis, atque a Platonicis demum id accepere Gnoſtici, ut in Gemmis *Abraxeis* ſeptem vocales toties exprimerent. Sed enim Baſilidi Summus Deus erat *Abraſax*, ſive *Abraxas*, Graece *Nun* adpellatus; a *Nun* natus fingebatur *Logon*, ſive *Mens*, ab iſta *Phroneſis*, ſive *Verbum*, a quo *Sophia*, ſive *Prudentia*, ab hac *Dynamis*, ſive *Virtus*, indeque *Principatus*, *Poteſtates*, & *Angeli* prodiiſſe, a quibus Caeli 365, quot ſunt in anno dies, procreati fingebantur, uti referunt S. Irenaeus de Haer, lib.1. cap.24, S. Epiphanius Haer.24, Tertullianus de Praeſcript. cap.46, S.Auguſtinus de Haer.cap.4, & S.Hieronymus in Amos 3, Abdiam 1, & epiſt.19. ad Theodoram. Ejus vero *Abraxas* no-

 mi-

minis litteris totidem anni dies 365. Baſilidi explicari conſueviſſe refert S. Auguſtinus : Graecis enim A.1, B.2, P.100, A.1, Ξ.60, A.1, Σ.200. ſunt, quibus efficitur ſumma 365. Quo etiam numero *Neilus* Aegyptiis, maximo in honore, Deique loco habitus, deſignari ſuperſtitioſe ſolebat; Perſis etiam, Graeciſque *Meitras*, ideſt *Sol*, qui veluti Deus anni diebus 365. praeſidere reputabatur. Eiſdem *Abraxas* litteris, ac figuris inverſo repetitis ordine, ac ita ad Pyramidis inverſae formam diſpoſitis, ut baſis incipiat ab A, deinde ſit Ab, tertio loco Abp, ac ſic deinceps, ut ultima demum linea coaleſcat ex *Abraxadabra*, conflatum Amuletum a Q. Sereno Samonico antiquo Medico, Gordiani Jun. praeceptore, Baſilidis ſectatore, pro hemitritaeo, ideſt febri ſemitertiana, ſive duplici tertia, ad collum aegrotantis appendendum, legitur. apud Spondanum ad annum 120. n.8, Laurentium Cozzam in Comment. Hiſt. Dogmatico ad S.Auguſtini librum de Haereſ.cap.4.de Baſilid.p.124, ac Ducangium Gloſſar. T.I. edit. Ven. p.47.

XLVII. Quo loci teſtis accedit Gemmam *Abraxeam* in Muſaeo Canon.Regul.extare cum hac Inſcriptione: Αβρακαξ. Αδοναι. Δαιμονων. Δεξιαι. Δυναμεις. Φυλαξατε. Οιαβιαν. Παυλειναν. Απο.ΠαντοςΚακου.Δαιμονος. Alteram profert Gemmam pro Taliſmano plane confectam Fabretus Inſcript. Antiq.Explic.cap.7. p.535, in qua ſcalptus conſpicitur Homo ſex brachiis inſtructus, quorum duobus elevatis duas geſtat faces, geminos gladios geminis aliis, aliiſque duobus flagra duo, cum epigraphe *Sabao Abraxas*, ideſt *Deus Armorum*. Inſignem aliam poſſidet *Abraxam* Germondius Regii Pariſ. Aerarii Magiſter in Monum. Hiſt. Scient., & Art.1701. Sept., Oct. p.297. inſcriptam *Abraxas*, *Adonai*, *Iao*, *Sabaoth* : queis vocabulis Perſonarum Trinitas, Hominumque per Crucem Redemptio non utique deſignata, bene vero Gnoſticorum opinione ſignificatus *Deus*, *Dominus*, *Aeternus*, *Exercituum* recte videtur Baſnagio in Hiſt. Jud. lib.3. cap.27 §.16. p.710. ſq. Apud quem geminas *Abraxas* videre alias licet, argenteam unam juris olim D. Mareſcoti Supplicum libell. Magiſtri a Gaffarello etiam in Curioſit. inaud. relatam cap.7. p.176, ubi Mulier cum ſigno Virginis, ſive Luna conſpicitur, tribuſque literis אחא, quibus indicatur *Deus eſt* *Unus*,

Unus, ſive *Ael Haſchem Achad*, ideſt *Deus*, *ejus Nomen eſt Unus*; e Whelero alteram Itin. T.II. p.277. acceptam, e Templi Graecorum Mileti ruderibus erutam, in qua *Jehovah* nomen Graecis litteris vicibus quindecim mutatis exaratum legitur, quibus *Jehovah Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus custodi Urbem Mileti*, *ejuſque Incolas*. *Archangeli*, *ut Mileti Urbs*, *Incolaeque ipſius omnes cuſtodiantur*? Oratio iſthaec nempe deſignatur, a Baſilidianis haudquaquam, ut putat Whelerus, utpote queis cum Mileti Incolis res non erat, ſed ab ejuſdem Urbis Indigenis, uti rectius Baſnagio viſum eſt, compoſita. Duas alias; Romae repertas Gemmas *Abraxeas* profert Baronius ad an. 120. n. 12. ſq. T.II. edit. Lucen. p.92. ſq., in quarum una homo comparet a capite ad talos litteris inſcriptus, in altera Monſtrum medietate homo, mediaque infra parte ſerpens. Alias pro Amuletis a Baſilidianis confectas ejuſmodi Gemmas *Abraxeas* exhibent Sponius in Rei Antiq. Select. Quaeſt. differt. 6, & 7. p.427, & 439, ac in Miſcell. Erud. Antiq. ſect. 1. art. 5. Antiq. Rom., & Graec. Suppl. Poleni T.IV. edit. Ven. p.680, & ſect. 9. p.1242, Johannes Macarius Canonicus Arienſis in Diſquiſit. de Gemmis *Abraxeis* Commentario illuſtrata a Joh. Chifletio Canon. Tornacenſi, Montfauconius in Palaeogr. Graeca lib.2. cap.8, & Antiq. Explic., ubi de *Abraxis*, quo nomine *Mithram* etiam, Perſis *Solem*, deſignatum ex SS. Hieronymo, & Auguſtino obſervat. Inſignem & ego *Abraxam* nuper vidi in Muſeo Comitis Alfaſi Grimaldi de Bellino, in quo haud exigua, haudque contemnenda Antiquitatis Monumenta in Agro Buſcano haud procul hinc, ubi ſcribo, Cuneo nempe, diſtante eruta, cujus in antica parte tres conſpiciuntur figurae hominum ſtantium geminae, Mulieris in medio ſedentis altera, in poſtica vero hac leguntur litterae EI⊏ ZE YE⊏APA Π ·· E (ante ultimam detrita una eſt), quas vel Graece interpretor *Simulacrum Mulierum*, vel Hebraice עִבַּר אֶבֶן *Eben Ibbara*, *Lapis*, ſeu *Idolum pro Praegnantibus*: poſtrema littera detrita interpretationi locum adimit. Perperam vero ex his Amuletis, ſive Gemmis *Abraxeis* Sanctiſsimae *Trinitatis*, & *Crucifixi Salvatoris* myſteria, adeo ut initiales litterae *Abra* Trinitatis invocationem, finales vero, mediaeque ſalutem a Trinitatis

N 2 gloria

gloria indicent, eruere conatum fuiſſe Vendelinum in Epiſt.ad Chifletium apud ipſum in Tract. de Abraxa Proteo p.112. recte advertit Em. Laurentius Cozza loc. cit. Eamdem quoque operam fruſtra luſit Harduinus in Explicat. Nominum *Abraxas*, & *Abracadabra* Mon. Art., & Scient. 1701. Sept., & Oct. art.29. p.249. In *Abraxas* nempe voce A. Ab *Patrem*, B. Ben *Filium*, P. Rovah-Hakadoſch *Spiritum* S., A. Ἀνθρώπυς *Homines*, C. Σώζων *Sapientem*, A. Ἁγίω *Sanctum*, Ξ. Ξύλω *Lignum* ſe videre opinatus; in *Abracadabra* item A. Ab *Patrem*, B. Ben. *Filium*, P. Rovah-Hakadoſch *Spiritum* S., A. Ἀνθρώπυς *Homines*, C. Σώζων *Sapientem*, A. Ἁγίω *Sanctum*, Δ. Δένδρω *Arborem*, A. Ab *Patrem*, B. Ben *Filium*, P. Rovah-Hakadoſch *Spiritum* S., A. Adonai *Deum Unum*. Praeterquam enim pure ex ingenio ineptiſſime ex Graecis, viciſsimque Hebraeis litteris, Hebraea, viciſsimque Graeca conflantur vocabula, Gnoſticis, ac Baſilidianis interpretatio haec profecto non congruit, a quibus Chriſti D. Paſſionem, ac Crucifixionem fuiſſe negatam refert S. Irenaeus adv. Haereſ. lib.1. cap.23. Magica enim potius, & Ἀσημαντικὰ nihil *Significantia* verba ſunt, cujuſmodi alia multa erant *Sator*, *Arebo*, *Tenet*, *Obera*, *Rotas*, item *Chunrat*, *Cara*, *Sarite*, *Abrac*, *Aman*, *Gibel*, *Got*, *Irioni*, *Khirieri*, aliaque *Matas*, *Denatas*, *Darias*, *Dardaries*, *Araries* &c. ſtoliditatis plena Morbis curandis adhibita, queis de Georgius Paſchaſius apud Buddeum de Atheiſmo, & Superſtit. cap.9. p.730. ſqq.; ſed hiſce de hactenus.

XLVIII. In viam, unde deflexi, ut me modo recipiam, geminae hocce loci Coloniae a Chaldaeis deductae commemoratio nobis occurrit, ſilentio non omittendae; ſane, neutrius etſi certe definiri epocha queat. Ex Scepſio ergo narrat Strabo lib. 12.p.550, a quo ſententia prope abſunt Diodorus lib.3.cap.55, Apollonius lib.2, Dionyſius in Perieg.v.767, Plinius lib.6.cap.4, aliique Bocharto relati Geogr. Sacr. Par.II.lib.3.cap.12.p.180. ſqq., e Phaſi, Colchide, & Ponto ſupra Pharnaciam *Alybes*, quo de nomine fortaſſe deinde *Halys* fluvius Cappadociam inter, & Paphlagoniam in Pontum Euxinum exiens, dictus eſt, ſive *Chalybes*, quos ſua *Chaldaeos* ſub aetate ita dictos notat, Coloniam deduxiſſe *Alobam*, ſive *Alybam*, ſive *Alyſonam*, in Regio-

Digitized by Google

Regionem ideſt, qua Epheſus, Smyrna, Cuma, & Magneſia comprehenduntur. Eorum vero de nomine tam primo Regio *Alyba* dicta refertur, quam novi Incolae denominati *Alybes* dicuntur, ſive *Alyzones*, qua ex adpellatione poſtea *Amazones* prodiere, quibus Regio prius inhabitata, poſtmodum ab Aeolibus, ac Ionibus occupata eſt. Et *Amazones* quidem in Paphlagonia tria olim in *Doeantis*, qui *Alcomenis* frater erat, campo habitaſſe oppida, *Lycaſtriam*, *Themiſcyram*, & *Chalybiam*, cui poſtremae a Colonis primis *Calybiis* inditum videtur nomen, teſtis accedit Scholiaſtes Apollonii Argon. lib. 2. v. 371. Ad Paludem etiam Maeotidem *Amazones* inhabitaſſe indicat Diodorus lib. 2. p. 128.; unde Gundlingius Obſervat. Par. III. Obſ. 3. §. 3. p. 276. eas ab *Am*, & *Mait*, quaſi *Maeotim* accolentes *Amazones* denominatas exiſtimat. Quibus omnibus patet Chaldaeos illos primos Colonos genere fuiſſe Scythas, ſive Colchos, & Sarmatas Aſiaticos ad Caucaſum ſupra Caſpium ſitos. Duas ſed enim, ut cetera hiſce de Foeminis multa fabulis permixta miſſa faciam, *Amazonum* profectiones alias ſcripto nobis tradidere Juſtinus ex Trogo lib. 2. cap. 4, & Herodotus lib. 4. p. m. 124. ſq. *Seſoſtris* nempe in Scythiam irrumpentis timore perculſi, fuga ſe proripientes *Ilinus*, & *Scolopitus*, genere Scythae, una cum familia, uxoribus, gentilibuſque aliis in Cappadociam ſe recepere, ſede in Themiſcyrae campis ad Thermodontem amnem defixa. Viris longe poſt a Popularibus interfectis, a Viduis conjugibus ad virorum caedem vindicandam armatis tota ſubjugata Regio eſt, unde illis *Amazonum* inditum nomen. Ex hiſce vero, quae ceteris in bello profligando excelluerant, Reginae nomine praefectae ſunt *Lampetus*, ac *Marteſia*, quarum a priori expeditio in Aſiam deinde adornata eſt, poſteriori domi rei curandae publicae remanente. Succeſſit ei *Ortia*, iſtique *Antiopa*, cujuſce cum filiabus *Ippolitha*, & *Menalippa* pugna cum *Hercule*, ac *Theſeo* fuiſſe fertur. Quae has in regno excepit, *Pantaſilea* ſuarum egregio cum *Amazonum* manipulo adjutorio fuiſſe *Priamo* Trojae Regi, ſed a *Priamo* Achillis filio interfecta perhibetur: videnduſque Pauſanias in Attic. cap. 2. A Graecis demum ad Thermodontem *Amazones* devictae, navigioque impoſitae, Graecos ipſos trucidaſ-

ſe,

ſe, e navibuſque delapſae in Paludem Moeotidem ibidem inhabitaſſe, uſque ad *Alexandri* M., ut videtur, aetatem, teſtis accedit Herodotus. Ad Colonias modo alias ſtylo deflexo, ab Aeolibus ſucceſſu temporis Coloniis undequaque diffuſis, totam occupatam fuiſſe Oram a Cyzico ad Caicum Myſiae amnem, Regiones item ad amnem uſque Hermum Joniae, & poſt Ilii excidium Iliadem quoque totam uſque ad Helleſpontum, in hiſque triginta Civitates inhabitatas fuiſſe, atque inter alias celebriores Smyrnam, Cumam, Lariſſam, Cymen, Myrinam, Cillam, Mytilenem, Tenum, Notionem, Aegiroeſſam, Pitanem, Aegeam, Grynaeam &c., ſex alias inſuper in Lesbo, in Tenedo unam, in Centum Inſulis alteram, aliaſque ad Idam Montem item, teſtes accedunt locupletes Herodotus lib. 1. p. 69 ſq., Strabo lib. 13. p. 582, & Pauſanias in Atticis, hoc eſt lib. 1. capp. 2, & 15. p. 5, & 37. Quatuor poſt aetates vero a Jonibus Coloniis quaquaverſum e Peloponneſo in Aſiam eductis, Regionem omnem Maritimam, *Joniam* inde dictam, invaſam fuiſſe, Inſulas quoque Aegei, & Icarii Maris occupatas, Regioneſque uſque ad Cariam alias liquido docent Herodotus lib. 1. p. 66. ſqq., Strabo lib. 8. p. 383, & lib. 14. ſub initium, Euripides Jon. v. 1581. ſqq., & Pauſanias in Achaic., ſive lib. 7. cap. 2. p. 524. ſq., qua de utraque Aeolum, ac Jonum expeditione, Graecas inter alias, celeberrima fuſius infra.

XLIX. Alterius a Chaldaeis adornatae in Phoenicem, ſive Syriam Expeditionis, Coloniaeque deductae mentio fit ab Euſebio in Chron. Oper. S. Hieron. T. VIII. p. 182, & poſt ipſum a Syncello in Chronog. p. 153. edit. Pariſ., Ven. p. 122. Quo porro tempore facta Expeditio iſthaec fuerit, certo definiri nequit. Juxta Canonem Aegyptium ab Euſebio, ac Syncello ibi relatum, ea congruit anno 4. *Acenceris* Aegypti Regis, ſub quo Aegyptiis res nondum erat cum Syris. Juxta Aſſyriorum Regum Catalogum eodem loci deſcriptum, incidit in *Sparethi* annum 15. Juxta Chronotaxim Atticam, ea *Cecropis* anno 18. contigit, eamque Chronologiam ſequitur Uſſerius in Annal. Vet. Teſt. p. 12. Juxta Canonem Hebraeorum, eorumdem ab Aegypto exitum annis 27. antevertit. In ſententia ideo inconſtans Scaliger in Animad. ad Euſeb. p. 28. id contigiſſe conjicit anno

no ultimo *Lamprais* Aſſyriorum Regis xxiii; in Can. Iſag. lib. 3. p. 314. ſub *Panya* Rege Aſſyrio xxiv. id eveniſſe cenſet; utrobique vero colligit Aſſyriorum jugum a Chaldaeis jam ante *Nabonaſſari* initium fuiſſe excuſſum. Verum propius ad veritatem appropinquare mihi videtur Marſhamus in Can. Chron. Seculo XIII. p. 337. ſq., ubi Expeditionem hancce referendam exiſtimat ad *Chuſanem* Meſopotamiae Regem, a quo poſt *Joſue* obitum Iſraelitas duro annis 8. oppreſſos jugo fuiſſe liquet ex Jud. iii. 8, quique Rex Joſepho Antiq. Jud. lib. 5. cap. 3. *Chuſarthes* Aſſyriorum Rex dicitur. Aſt enim annis antehac 145. devictis Chaldaeis, Arabes in Babyloniam Colonia ducta, Regnique ſede defixa, regnaſse ibi annis 216. ante *Belum* II. Aſſyrium, *Nini* patrem, eorumque primum Regem *Mardocentem* per annos 45. Babylonicum obtinuiſse Regnum refert Julius Africanus apud Syncellum in Chronog. p. 92. edit. Pariſ., Ven. p. 73, ubi reliquorum quinque Arabum, qui poſt *Mardocentem* Babylone regnarunt uſque ad *Belum* Aſſyrium, Regni annos recenſet, nempe *Anonymi* annos . . ., *Siſimardaci* annos 28, *Nabii* an. 37, *Paranni* an. 40, & *Nabonnabi* an. 25. Egregie vero fallitur Uſſerius in Annal. Vet. Teſt. p. 12, ubi *Mardocentem* eumdem ſibi videri ſcribit, ac *Merodachum* a Babyloniis deinde loco Dei habitum Hierem. l. 2, a quo Reges eorum deinceps *Merodach-Baladan*, & *Evil-Merodach* nomina mutuati ſint ſua. Praeterquam enim, quod Arabs genere fuit *Mardocentes*, in Deorum ideo cenſum ab Aſſyriis, velut Alienigena, nunquam referendus, annorum 817. intervallo unus ab altero diſtitit; *Mardocentis* videlicet exordium cum anno Mundi 2466, ante Chriſtianam Aeram 1538. concurrit; *Merodachi* vero, *Mardocempadi* Ptolomaeo, & Theoni in Can. Reg. Aſtron. dicti, initium in Mundi annum 3283, ante Chriſti natalem 721. incidit. Niſi velit Uſſerius, ut opinor, *Merodachum* illum, quem a *Mardocente* indiſtinctum exiſtimat, alterum fuiſſe plane a *Merodacho*, de quo fit mentio IV. Reg. xx. 12, & Iſaj. xxxix. 1, videndique idem Uſſerius Annal. p. 54, & Marshamus in Can. Chron. Seculo XVII. p. 529.

L. Paullo abhinc vero poſt, ideſt Babylone *Mardocentis* ad finem vergente regno, in Aegypto vero regnante *Seſoſtri*, ge-

geminae inſuper aliae ſuſceptae Expeditiones, expeditaeque Coloniae haud ignobiles leguntur, altera *Scytharum* in Parthiam, *Aegyptiorum* altera in Colchidem. Ampliſſimè porro *Scythiae* nomen olim longe, lateque ab Europa per Aſiam patebat, a Boſphoro Cimerio, Maeoti Palude, ac Tanai fluvio incipiens, inter Oceanum Septentrionalem, ac Pontum Euxinum, Mare Hyrcanum, Jaxartem fluvium, ac Indicos Montes, in extremum Orientem ad Seres uſque procurrens. Ita Strabo lib. 11. p. 507. ſqq., Plinius lib. 4. cap. 12, Scylax in Periplo Aſiae ſub init., ac Ptolomaeus in Geogr. lib. 5. cap. 9, a quo longiſſima *Scythia* tres in partes diſpeſcitur, in eam, quae *Citima* eſt, atque a Maeoti, & Tanais oſtio ad Caſpii Maris oram, amnemque Rha, nunc Wolga, protenditur, vulgo *Sarmatia Aſiatica* nuncupata; in eam, quae hinc uſque ad *Imai* Montis juga procurrit, quae *Scythia* intra *Imaum* adpellari ſolet; & in eam demum, quae *Ulterior* eſt, indeque uſque ad Seres exporrigitur, quae *Scythia* extra *Imaum* dici poteſt: qua de Scythiae diviſione plura Cellarius Geogr. Antiq. T. II. lib. 3. cap. 24. p. 753. ſqq., & Hornius de Origin. Gent. Americ. lib. 3. cap. 3. ſqq. p. 137. ſqq. *Scythae* vero, quo ſane nomine, ab *Herculis* filio *Scytha* derivato, velut ex Herodoto lib. 4. cap. 10. colligunt Euſtathius in Dionyſium Perieg. p. 97, ac Stephanus de Urb. p. 299, Barbarae Gentes innumerae Diodoro lib. 2. p. 127. ſq., Plinio loco ſupra cit., juncto lib. 6. capp. 11, 12, & 17, ac lib. 7. cap. 2, (quo loci tamen Plinio de *Scythis* tam multa, quam mira ex Scriptoribus aliis Antiquis enarranti cave, ne utramque facile adhibeas aurem), Straboni lib. 7. 204, & 300, Ptolomaeo lib. 6. capp. 12, & 14, ac poſt ipſos Cellario, & Hornio loc. indic. comprehenſae intelligi debent; quorum originem a *Jectanis* filio *Abimeel* derivare non dubitavit Auctor. Chron. Alex. p. 31. edit. Pariſ., Ven. p. 26: quamquam ampliſſimae Genti huic haud unus *Abimeel* ortum feciſſe putandus eſt, ſed ex *Arphaxadi* filiis etiam e *Cainam*, a quo *Sarmatae* orti dicuntur, ex *Ebero*, a quo *Albani*, ac ex *Jectanis* filiis aliis, ut *Elmodad*, e quo *Indi* profecti, ut *Saleph*, e quo *Bactriani*, ut *Aezel*, e quo *Hyrcani*, ut *Decla*, e quo *Cedruſii* &c., originem *Scythae* traxiſſe, cenſendi ſunt; verius tamen ex *Japheti* filio

Digitized by Google

filio *Magog*, veluti docent Joſephus Antiq. lib. 1. cap. 7. S. Hieronymus, Theodoretus in Gen. x, Euſtathius &c. apud Calmetium in Not. ad Geneſ. x. 2; conferendique Clericus ibid., Ravoelejus Introd. Hiſt. lib. 1. cap. 8. ſect. 3, Pezronius Antiq. Celt. cap. 3, Angli Scriptores Hiſt. Univ. T. XII. Par. II. cap. 12. ſq. edit. Ven. p. 30. ſqq., aliique apud ipſos, queis arcte perſuaſum eſt a *Magog* Scythas, Celto-Scythas, Maſſagetas, Sarmatas &c., non ſecus atque ab ipſius fratre *Gomero* originem traxiſſe Cimmerios, Celtas, Galatas, Celtiberos, Titanes, Sachos, Cimbros &c., quo de argumento ſuo nos quoque loco, *Scythae*, inquam, quo tempore in Aegypto *Seſoſtris*, ac in Scythia *Jandyſus* regnabat, e Scythia ingenti egreſſi multitudine in Parthiam ſe ſe effudiſſe referuntur Arriano in Parthicis apud Photium in Bibl. Cod. 58. p. 54. Epitomator Trogi vero Juſtinus lib. 1. cap. 1, & lib. 2. cap. 3. auctor eſt a *Vexori*, hoc eſt *Seſoſtri*, Aegypti, & a Scythiae Rege *Tanuo*, Jornandi *Taunate* dicto, ita Aſiae inter ſe Imperium victoriis fuiſſe diviſum, ut ille uſque in Aegyptum, iſte uſque in Pontum illud extenderit, poſt quos dominatio quaeſita ad *Ninum* pervenerit. Tentaſſe quidem *Seſoſtrim* omnium primum Scythis bellum inferre, ſed a Scythis repentino impetu facto eum in fugam conjectum in Aegyptum ſe recepiſse, Scythas vero paludibus ab Aegypto fuiſse prohibitos. Quos inde regreſsos Aſiam perdomitam vectigalem feciſse ſubjungit, quindecim annos pacandae Aſiae impendiſſe, eiſque per annos millequingentos Aſiam vectigalem fuiſse, pendendo tributo fine demum a *Nino* Aſsyriae Rege impoſito. Quo loci jure quidem Juſtino a Criticis, ut a Cantellio eo loci in Not., errori verti, quod *Seſoſtri* aetatem poſteriorem fecerit *Ninum*, adfirmat, fidem tamen eum haud fefelliſse, proque factis haud propinaſse fabulas, defendit Blanchinius in Hiſt. Univ. Dec. III. cap. 30. p. 448. ſqq., ratus nempe revera Scythas, ac Parthos foedere cum Aſsyriis, & Babyloniis conjunctos Aſiae imperium ex aequo tenuiſse, atque Aegyptios cum Arabibus, & Aethiopibus, adeo ut inter Imperium utrumque media eſsent Meſopotamiae deſerta verſus Euphratem, ac Tauri Montes uſque Cappadociam. Quae Viri doctiſs. conjectura inſigni Nicephori loco confirmari videtur, ubi de

Chagani Abdelarum Imperatoris in oratione ad Mauritium Imp. verba recitat, ***Septem Gentium, & ſeptem Orbis terrae Climatum ſe Regem*** adpellantis. Caeterum, ut de reliqua narrationis a Juſtino contextae parte, qua de poſtea, nunc ſileam, Juſtini prorſus in eo concidit fides, quod ait a Scythiae Rege *Tanao*, & ab Aegypti Rege *Seſoſtri* uſque ad *Ninum* ſecundum hujuſce nominis Aſsyriorum Regem, qui poſt Arabes Babylone regnavit, annos effluxiſſe 1500. Anno ſiquidem ante Chriſtianam Aeram 1570. in Aegypto regnaſſe *Seſoſtrim* invicte alibi demonſtratum dabimus; *Ninus* II. vero Chriſti ante natalem anno 877. regnum injiſſe ex Cteſia apud Diodorum, & Caſtore apud Syncellum oſtenſum dedimus T. I. Art. II. §. xxx. p. 460, adeoque ut *Seſoſtrim* inter, & *Ninum* II. anni non utique 1500, ſed vix 693. interfluxerint, ideoque Juſtinus turpi annorum 807. metachroniſmo erraverit.

LI. Propius hinc abſuit Chronici Alex., ſive Paſchalis Auctor p. 47. edit. Pariſ., Ven. p. 38, quo loci refert primum ex Tribu *Cham* in Aegypto regnaſſe *Seſoſtrim*, eumdem inſtructis Copiis bellum Aſſyriis intuliſſe, eoſque ſubegiſſe, Chaldaeos item, ac Perſas uſque Babylonem; Aſiam inſuper univerſam, Europam, Scythiam etiam, ac Myſiam in ſuam tranſtuliſſe poteſtatem: cumque regreſſurus in Aegyptum eſſet, e Scythiae Regionibus delectu Bellatorum Juvenum quindecim millium habito, eos in Perſidem traduxiſſe, ibidem habitare juſſos, conceſſa illis, quam delegiſſent, Regione. Pro quo facit etiam tum Apollonii Scholiaſtes Argon. lib. 4. v. 272, a *Seſoſtri* ſubjugatos *Scythas* indicans; cum Tacitus in Annal. lib. 2. cap. 60. de Germanico referens, eumdem ab Aegyptiis Sacerdotibus audiviſſe Regem ***Rhampſem***, ideſt Seſoſtrim, ***Libya, Aethiopia, Mediſque, & Perſis, & Bactriana, ac Scythia potitum, quaſque terras Syri, Armeniique, & contigui Cappadoces colunt, inde Bithynum, hinc Lycium ad Mare tenuiſſe***. Cujuſmodi Auctoris Chronici Alex. narratio, Scholiaſtis Apollonii, & Taciti ſuffulta teſtimonio, ſi veritate nititur, concidere profecto Blanchinii de Scythica pari cum Aegyptiaca potentia conjecturam oportet; a *Seſoſtri* namque victos Scythas cum Apollonii Scholiaſte, ac Tacito ſcribit Alexandrinus Chronographus. Verum horum

horum teſtimonio longo praeferenda eſt intervallo Arriani, ac Juſtini auctoritas, qua contra a Scythis devictum *Seſoſtrem* conſtat; quamve calculo roborant ſuo qua Herodotus, ac Plinius, ille nempe lib. 2. cap. 103. ſcribens *Seſoſtrim* e Thracia digreſſum retro abjiſse, & ad Phaſim appulſum, relicta Exercitus parte, in Aegyptum properaſse, a Scythis intellige in fugam conjectum; iſte vero lib. 33. cap. 3. referens in Colchide ante regnaſse *Salaucem*, & *Eſubopem*, a quo, *Seſoſtre* devicto, tantam auri, argentique vim reportatam fuiſse ſubjungit, ut inde illius Aurea Camera, trabeſque Argenteae, columnae, atque parallatae confectae fuerint; qua Diodorus Siculus, & Valerius Flaccus, iſte quidem Argon. lib. 5. v. 421. a Scythis cladem accepiſse *Seſoſtrim* aperte ſcribens; ille vero lib. 4. p. 173. ſq. *Aetis* in Colchide regnantis, viribuſque *Seſoſtri* haud imparis mentionem ingerens. Qua in ſententia claudicare tamen adhuc Blanchinii conjectura non deſinit: perperam enim Juſtino errori deputat, quod *Nino*, etſi non tanto faciendum, longo tamen antiquiorem intervallo *Seſoſtrim* fecerit: ex calculo ſiquidem a Frereto inito palam alibi faciemus ante Chriſti natalem anno 1570, ante Exodum 16. *Seſoſtrim* in vivis egiſse, *Ninum* vero, nominis utique hujuſce II, cum *Nino* I. haud confundendum, imperare Chriſtianam ante Aeram anno 877. cepiſse ex Cteſia, & Caſtore paullo ſuperius didicimus. Jam vero, quod rei caput eſt, meque propius attingit, inter Scriptores iſtos convenit e *Scythia* deportationem in Parthiam ſub *Seſoſtri* factam fuiſse, facta ea fuerit ſive ab ipſo *Seſoſtri*, reportata de Scythis victoria, ſive, ut verius opinor, ab ipſo Scytharum Rege *Tanao* Juſtino dicto, *Taunate* Jornandi, *Aete* Diodoro, *Jandyſo* Arriano, *Eſubope* Plinio, qui ea ipſa, qua *Seſoſtrim* in fugam conjecerat, opportunitate arrepta, Popularibus inter anguſtias redactis, ampliores ad inhabitandum, melioreſque Regiones adquiſiverit, ſive belli occaſione Provincias occupatas ſuorum parti retinendas dereliquerit. Meminere & hujuſce *Scytharum* tranſmigrationis Q. Curtius lib. 6. ſub init., quos non a Boſphoro, ſed e Regione Europae, a Tanai nempe, in Parthiam demigraſse putat, atque Stephanus de Urb. p. 244. V. Παρθυ, quos inde

Parthos dictos putat vel a natura ſoli, quod in Parthia humile, ac paludoſum eſt, vel a fuga, Scythis ſiquidem *Parthi* fugitivi dicantur. De Scytharum Coloniis aliis infra.

LII. Juxta dicta ſuperius jam vero judicium ferendum de inſigni altera, quae ex Aegypto in Colchidem a *Seſoſtri* aut educta, aut verius ibi relicta Colonia fertur: tota ſiquidem iſtiuſmodi hiſtoriae veritas hinc dependeat, an a *Scythis*, quos bello appetiverat, in fugam conjectus *Seſoſtris* fuerit, quod Herodoto, Arriano, Plinio, ac Juſtino adfirmatur; an e contra a *Seſoſtri* profligatis *Scythis*, ipſorum regionis pars aliqua, in eaque proinde Colchis, ab Aegyptiaci parte Exercitus occupata fuerit, quod ab Apollonii Scholiaſte, Tacito, & Auctore Chron. Alex. inſinuatum audivimus. Atque Herodotus quidem, qui lib.2. cap.103, ſcripſerat *Seſoſtrim* e Thracia digreſſum retro abjiſſe, & ad Phaſim appulſum, eo loci aut ab eo Militum partem fuiſſe relictam, aut Militum pleroſque itinerum pertaeſos ibidem ſponte ſubſtitiſſe, ſq. cap. 104. *Colchos* origine Aegyptios ſibi videri ſubjungit. Cui ſane congrua regerit Diodorus lib.1.p.35, ex fama referens Aegyptiorum pleroſque circa Maeotidem Paludem derelictos, (a *Seſoſtri* intellige), *Colchorum* gentem conſtituiſſe: qui tamen lib.4.p.173. ſq. ſcribit in Colchide antiquiſſimum Regem fuiſſe, regnique ſedem habuiſſe in Urbe Sybari, *Aetem* Solis filium, *Medaeae* patrem, quae *Argonautis* fuit auxilio. Quo ex loco, praejudicata ſua pro opinione, quae fuit perinde Nevvtoni in Chron. Regni Emend., qua de alibi, de *Seſoſtri* eodem cum *Seſacho*, perperam Marshamus in Can. Chron. Seculo XIV. p.382. colligit *Aetem* in Colchide anno 282. ante hanc *Seſoſtris* expeditionem regnaſſe: qui potius inde videre aperte potuiſset *Seſoſtris* aetatem *Argonautarum*, queis etiam antiquiorem ab Apollonio Rhodio, Valerio Flacco, aliiſque de Argonauticis Scriptoribus fieri *Seſoſtrim* viderat, ante expeditionem fuiſſe conferendam. His habent ſimilia Apollonius lib.4. v.277, ejuſque Scholiaſtes, ubi in *Aea* Colchidis Urbe a *Seſoſtri* ex Aegypto translatos Incolas ſcribunt, e Dicaearcho lib.1. a *Seſoſtri* cum Aſia pene omni plurimam Europae partem ſubjugatam fuiſſe Scholiaſtes ille v.272. p.412. p.412. ſubjungens; ex Apollo-

nio

Digitized by Google

nio vero Stephanus de Urb. p.11. ſq. *Aeam* a Rege *Aete*, Diodoro ſupra memorato, conditam, ejuſque de nomine dictam refert, quam minus vere a *Seſonchoſide* Aegyptiorum Rege, qui non alter eſt a *Seſoſtri*, aedificatam Urbem Apollonii Scholiaſtes ille ſuper. v. 271. ſcripſerat. Strabo quoque lib.11. p. 343. Aegyptiorum in Colchos Μεταςάσεως tranſmigrationis mentionem ingerit; qua de explicatius loquentes Dionyſius Alex. in Periegeſi v. 689, ibique ejuſdem Interpretes Priſcianus, & Feſtus Avienus Colonos ab Aegypto vel miſſos, vel exules Colchidem incoluiſſe ſcribunt. Valerius Flaccus etiam Argon. lib.5. v.421. *Seſoſtrim*, poſt cladem a Scythis acceptam, regreſſum quidem ipſum in Aegyptum maturaſſe ait, in Phaſide tamen reliquiſſe Militum quoſdam, *Colchos* poſtinde adpellatos. Scymnus Chius ad haec vetus Geographus in Aſiae deſcriptione apud Scholiaſtem Apollonii loc. cit., & in Fragmento ad calcem Stephani de Urb. ab Holſtenio edito p.375. ſqq., *Colchos* Aegyptiorum Colonos vocat: qui Coloni Aegyptiorum *Colchi* vocati etiam leguntur Iſaacio Tzetzi in Schol. ad Lycophron., & Agathiae lib.2. p.55. edit. Pariſ., Ven. Byzant. T.III. p.40, ubi ſubdit *Seſoſtrim*, a quo circa Phaſim e Militibus relicta parte, indeque Colchorum gentem fuiſſe deductam ſcribit, ante *Ninum*, ac *Semiramidem* floruiſſe, ingentique coacto exercitu Aſiam univerſam ſubjugaſſe: quod de *Seſoſtri* aetate *Nino* antiquiore dictum ex Juſtino acceptum falſitatis argui nequire ex dictis paullo ſuperius abunde patet. Ammianus Marcellinus itidem lib.22. *Colchos* Aegyptiorum antiquam ſobolem adpellare non dubitavit: quibus jungendi Plinius lib. 33. cap.3, ac Juſtinus lib.1. cap.3, qui a Scythis victum *Seſoſtrim* adfirment.

LIII. In hacce porro Scriptorum diſcordia de *Seſoſtri* a Scythis victo, aut de Scythis victore, certum etſi quidpiam definiri nequeat, quin imo, veriorem juxta ſententiam de *Seſoſtri* in fugam a Scythis conjecto, inde conſequi videatur, quod a *Seſoſtri* in Colchidem educi Colonia ab Aegypto nequiverit: Victoris ſiquidem, non victi, ſit Colonias in hoſtium fines inferre: abs vero tamen haud procul abhorrere puto, quod poſt cladem acceptam, *Seſoſtri* fugam in Aegyptum praecipitante, ex ipſius Militibus pleriſque, (ii ſive Aegyptii genere fuerint,

quod

quod placet aliquibus, ſive Edonii, quod Bullialdo viſum, ſive Philiſtaei, quod Tourneminio, & Bocharto magis probatur, ſive Leleges, aut Pelaſgi, quod Fourmontius pugnat in Reflex. Critic. T. II. lib. 3. cap. 12. p. 255. ſqq., late probans contra Bochartum *Caphtor*, ubi habitaſſe Philiſtaei leguntur Hierem. XLVII. 4, & Amos IX. 7, junctis Gen. X. 14, & Deuter. II. 23, non pro *Colchide*, ſed pro *Cappadocia*, e qua Philiſtaei egreſſi fuerint, accipiendam fore, ſive Judaei cum *Seſoſtri* ex Aegypto profecti, uti Stukius in Comment. ad Arriani Periplum Ponti Euxini, contra quem pugnat Stephanus Morinus de Cognat. Lacedaem., & Hebr. p. 40. ſqq., Idumaeos fuiſſe, ſive Iſraelitas ab Aſſyria ex *Celach* Urbe ad Tigrim conſita in Colchidem tranſductos exiſtimans: ubi errat tamen *Seſoſtrim* Abrahamo aetate antiquiorem faciens, ſive Cretenſes, uti Mazochius in Sylvis Phalegicis Par. II. ſect. 6. p. 282. ſq., ubi cum Calmeto vetus Cretae nomen *Caphtor* fuiſſe, eque Cretenſibus origine celebres olim Cohortes *Cerethi*, & *Phelethi*, Incolis e Creta ideſt in Judaeam profectis, fuiſſe conflatas putat); ex ipſius Militibus, inquam, pleriſque circa Phaſim relictis facultas ab ipſo Scytharum Rege facta fuerit in Colchide ſedem defigendi, ab Indigenis ante inhabitata, ut proinde *Colchis* primam haud originem Inquilini iſti fecerint. Cujuſce Aegyptiacae Coloniae ſane haud levi argumento, documentoque ſunt Tabulae illae Geographicae, quibus Itinera ſua, Regioneſque, quas Itineribus peragrarat, *Seſoſtris* deſcribenda procuraverat, quarumque copiam Aegyptiis, atque Scythis Aeae in Colchide Incolis ab eo factam referunt Euſtathius in fine Epiſtolae ante Dionyſii Periegeſim, ac Clemens Alex. Strom. lib. 6. p. 633. Alia profert etiam Herodotus loc. cit., & ante ipſum Pindarus in Pyth. ode 4. v. 376, ibique Scholiaſtes poſt ipſum, indicia Aegyptiacae originis *Colchis* communis, ut atri in utriſque coloris, & criſpi capillitii; ut Circumciſionis utriſque antiquae, & uſurpatae; ut lini eodem ab utriſque modo elaborati; ut vitae generis, linguaeque apud utroſque ſimilis, atque communis: qua de Colchorum cum Aegyptiis cognatione Strabo inſuper lib. 11. p. 498, Diodorus loc. cit., ac Joſephus Antiq. lib. 8. cap. 4, & poſt ipſos plura Marshamus in Can. Chron. Seculo XIV. p. 382.

p.382. ſqq., Bochartus in Geogr. Sacr. Par. I. lib.4. cap.31. p. 285. ſqq., ac Fourmontius in Reflex. Crit. loco indic. p.257. ſq., ubi conjecturas haſce tamen ex Pindaro, & Herodoto deductas infirmare ſatagit.

LIV. Cum hacce adeo vexata alteram a *Seſoſtri* eadem ſub aetate ab Aegypto in Indiam, indeque in Sinas inductam Coloniam conjungit Georgius Hornius de Origin. Gent. Americ. lib.4. cap.4. p.232. ſqq. Diodorum, atque Strabonem advocat teſtes, quibus *Seſoſtris* totam domuiſse Aſiam dicitur; extraque Alexandri M. aras progreſsus Gangem tranſiviſse, atque Indiam ad Oceanum uſque permeaſſe: quò facere perinde linguae Aegyptiacae in Sinis reliquias ex Kirchero ſubjungit. Jungendus De Guigneſius, qui nuper in *Memoire, dan la quelle on provue, que les Chinois ſont une Colonie des Egyptiens*, in eadem ſe opinione verſatum oſtendit. Aſt enim longe antea ſub *Tao* aetate *Thari* ſuppari, jam ſaltem in amplitudinem, ſplendorem, magnamque Gentium multitudinem Sinenſe Imperium excreviſse infra videbimus, unde Sinenſibus ortum dediſſe, aut *Semi* filios, uti Parennino Epiſt.Aedif. T.XXVI. p. 7, 32, & 35. perſuaſum fuit; aut *Japheti* filios *Gin*, ſive *Tchin*, ac *Sin*, veluti cenſent Herbelotus in Bibl. Orient. p.470, Fourmotius in Reflex. Crit. T.II. lib.3. cap. 21. p. 437, & Auctor Obſervat. in Antiq. &c., & Chronolog. Sinenſ. in Excerptis ex Hieroglyph. Aegypt. Warburthoni T.II. p.525. ſq., veri ſit valdequam ſimile. Characteres Sinenſes quod attinet, eos a *Tſang-Kiai* Chriſti ante natalem anno 2000, ideſt ante *Seſoſtrim* anno 430, inventos fuiſse adfirmat Parenninus Epiſt. Aedif. T.XXI. p.38, qui T.VI. p.67, & 76. ex antiquis Characteribus apud Sinas, quorum exemplaribus, ſive typis ſex impletos Tomos ad Mairanum miſit, adverſus Huetium oſtendit hoſce cum Aegyptiacis Hieroglyphicis nihil habuiſse commune. Quamquam a *Fo-hi* pridem, annis ideſt 950. ante *Tſag-Kiai*, Characteres jam primum inventos, eoſque ad Aegyptiaca Hieroglyphica proxime acceſſiſse ſcribit Martinius in Hiſt. Sinen. p.17, 19, & 22. Sed enim *Fo-hi* hiſtoriam fabulis undique refertiſſimam infra oſtendemus. Antiquiſſimos quoque putat quidem Fourmontius in Reflex. Critic. T.II. p.437. ſq., alios quin etiam ſub

ſub *Hoam-ti* Imperatore repertos fuiſse a *Cam-Kie* ante Chriſti natalem anno 2697, perfectioreſque factos anno poſt 837. ante Chriſtianam aeram ſub *Siven-vam* Imperatore a *Tai-ſu-kum* Philoſopho altero, eoſdem tamen hodie eſse, qui a prima aetate, neque linguam ſcriptam apud Sinenſes mutationem fuiſse paſsam adfirmat Vir linguae Sinicae peritiſſimus loc. indic., & Monum. Acad. Inſcript. T.V. p.318. Caeterum a prima aetate pro litteris uſu Hieroghyphica veniſse *Aegyptiis* non modo apud Horapollinem, atque *Sinenſibus* apud Martinium in Hiſt. Sinen. lib.1. p.21; ſed *Phoenicibus*, de quibus Sanchoniathon, ac Philo Byblius; ſed *Aethiopibus* apud Diodorum lib.3. p.176, ac Le Blanc Itin. Par.II. p.25; ſed *Scythis*, queis de Warburthonus in Excerpt. Hierogl. p.47; ſed *Afris*, de quibus Hiſt. gen Itin.; ſed *Americanis*, queis de Ephemerides Sapient. 1681. Mart. p.46, Epiſt. Aedif. T.XVII. p.258, & Itin. ad Fretum Hudſoni T. II. p.151; ſed *Nigridibus* Juidae apud Auctores Hiſt. gen. Itin. T.II. p.468, & T.IV. p.373, & 394; ſed *Peruvianis* apud Garcilaſſum in Hiſt. Incarum T. I. p.19, 214, & 338, & T. II. p.27, 35. &c., Acoſtam Hiſt. Ind. lib.6. cap.8, & in Hiſt. Conquaeſt. Peruv. T.I. p.22.; ſed *Albanis* apud Herbelotum Bibl. Orient. p.129; ſed *Mexicanis*, de quibus Acoſta lib.7. cap.24, Hiſt. Conquaeſ. Mexic. lib.1. cap.1. p. 162. ſq., & Thevenotus Itiner. T.II.; ſed *Canadenſibus*, queis de Lafitaeus de Morib. Silveſt. Amer. T.II. p.43. ſeq., Epiſt. Aedif. T.XVII. p.303. ſq., Hontanus Itin. T.II. p.193, Conquaeſt. Peruv. T.I. p.21, & Itin. ad Fretum Hudſ. T.II. p.271. ſq.; ſed *Hetruſcis* apud Warburthonum in Excerp. Hierogl. T. I. p.46. certum eſt: quo de argumento plura ibid., Acad. Inſcript. T.VI. p. 614, ubi de Phoenicum litteris, Ephemerides Trevoltinae 1740. Mart. p.480, ubi de Aethiopum Hieroglyphicis, de Caylus Antiq. T.I. p. 70. ſq., ubi de Aegyptiorum Characteribus, Warburthonus p.40. ſq., ac Jordanus in Hiſt. Vitae, & Operum Crozaei p.125. ſq., ubi ejuſdem meminit Epiſtolae ad Chamberlaynium, in qua Crozaeus oſtendit Characteres Linguarum Aſiae Orientalis e Syriacis Characteribus fuiſſe derivatos, exceptis Sinenſibus, & Armeniis, quos Aegyptiacis Hieroglyphicis adhuc eſſe ait: cui tamen contradicunt alii, Graecis affines

ma-

magis Armenos Characteres eſſe contendentes in Diario Sapient. 1738. Julii p.390, Abbas Barthelemy in Diſſert. de Inſcript. Palmyr., ubi Palmyrenos Characteres ex Hebraeis, ac Syriacis fuiſſe conflatos oſtendit, Auctores Ephemer. Trevolt.1704. Jul. p. 183, ubi eoſdem cum Samaritanis fuiſſe veteres Phoenicum Characteres demonſtrant, Goguetius de Orig. Leg., Art., & Scient. Par.I. lib.2. cap. 6. p.160. ſqq., ubi fuſe de his agit, & Aſſyriis, aut Aegyptiis Characterum Alphabeticorum originem referri acceptam debere cenſet, ex Caylo vero in Collect. Antiq. T. I. p.74. Aſſyriis litteris affines Aegyptias fuiſſe contendit: ex quibus illud conſequitur, eos fruſtra defatigari, qui ex Hieroglyphicis in Sinas ab Aegypto Characteres fuiſſe tranſlatos arguunt: ſed enim hiſce de fuſius in Proleg. I. T. I. praefixo. Etſi vero Ritus etiam aliquos ex Aegypto in Sinas permeaſſe non inficias iverim, Colonias tamen integras potius, quam ab Aegypto, illuc proximius e Scythia fuiſſe tranſplantatas pronior ſum, ut opiner: a Scythis enim potius, quam de illis victoriam tulerit, victum fuiſſe *Seſoſtrim* paullo ſuperius vidimus; Scythas vero Regionis anguſtia preſſos ampliores ad inhabitandum Regiones ſibi quaeſiviſſe confeſtim oſtendere adgredior.

LV. Et huicce certe, qua de hactenus, adfinis Coloniae alterius e Scythia tranſmigratio indicata videtur Plinio lib. 6. cap.17, ac Solino cap.25, quave de clarius Ammianus Marcellinus lib.22.p.665.ſqq. loquitur. Nempe a Caſpio Mari, Oceanoque Scythico inhabitabilem primamRegionis eſſe partem a Scythico promontorio ob nives, proximam vero, ob ſaevitiam Gentis Anthropophagiticae, quae Regioni inſidet, auctor eſt. Quo factum ait, ut finitimae Gentes omnes procul a Scytharum immanitate aufugientes longa petierint ad inhabitandum Regionum intervalla, adeoque ut plaga omnis aeſtivo Orienti objecta uſque ad Jugum Mari incumbens, quod vocant *Tabin*, inhabitata manſerit, uſque dum venitur ad Seres. Hinc conjecturam hauſit Georgius Hornius de Orig. Gent. Americ. lib.3.cap.10.p.176. ſqq. putandi fugatos ab Antropophagis Populos,& Americam uſque, locum ſecurius ad incolendum quaeſituros, fuiſſe profectos. Verum Genti profugae, cui Scythico Oceano, ſive Glaciali a Septentrione interceptus in Americam tranſitus erat,

Plinio teſte loc.cit., ampliſſimus caeteroqui verſus Orientem ad inhabitandum tractus patebat,iſque facillimus,atque obvius,non erat ſane, aut ego fallor, cur ignotus, difficillimus, tantoque Marium, ac terrarum diſtentus tractus, atque diſterminatus, neque niſi difficillima navigatione attingendus, in America quaereretur, quae potius in obvias ad frontem ſibi poſitas, amplas, patentes, adituque faciles plagas ad Ortum uſque Seres profugere voluiſſe, indeque primam quoque, aut primae verius proximam Gens Indica,& Sinica originem traxiſſe, putanda eſt: qua de fuſius alibi diſputandum. Junge, quod longo poſt intervallo in Media regnante *Cyaxare*, in Judaea *Joſia*, in Aegypto *Pſammetico*, Babylone *Nabuchodonozore*, ante Chriſti natalem anno 632, juxta Soucietum in Faſtis Mundi p. 19, anno 640, juxta Uſſerium in Annal. Vet. Teſt. p. 61, Scythae, duce *Madya* Indathyrſo,Cimeriis e loco fugatis,in Mediam ingenti multitudine impetu facto irrupiſſe, atque Bactrianum, & Parthicum fundaſſe Imperium, integroque annorum 28. ſpatio obtinuiſſe leguntur apud Herodotum lib. 1. capp. 15, & 103, & lib. 4. capp. 1, & 12, Scymnum Chium in Fragm. apud Holſtenium in Adpend. ad Stephanum de Urb. p. 375, Arrianum in Indicis, ac Strabonem lib. 15. ſub init. Donec a *Cyaxare* qua gladio deleti, qua in fugam conjecti, reliqui partim in patriam regreſſi, partim apud *Alyatem* Lydiae Regem ſe recepere, a quo locus ad inhabitandum ipſis perinde factus eſt, ſicut ipſius deceſſor *Ardys* Gygis filius Cimeriis, duce *Ligdamo*, de loco pulſis, ac primo Sinopem in Cherſoneſo profugis, Sardes poſtea in eadem Lydia pro habitatione relinquere coactus fuerat: qua de re Herodotus lib. 1. cap. 73. ſq., & lib. 4. cap. 11. Ante hac vero media a *Nino* ad *Darium* aetate a duobus Regio apud Scythas genere Juvenibus *Ilino*, & *Scolopito*, optimatum factione domo pulſis, ingenti collecta Juvenum manu, Coloniam in Cappadociam juxta Thermodontem amnem eductam fuiſſe ex Trogo refert Juſtinus lib. 2. cap. 4. p. 31. Praedis, ac rapinis per multos annos dediti, Populorum conſpiratione demum interfecti ſunt: quare in furorem actae ipſorum Viduae uxores, animumque induentes virilem, armis ſe, atque vi Regionemque a viris occupatam a finitimis egregie defendere Gentibus perrexere,

re, quin bellis in proximas inlatis Regiones, amplificare, Europae haud modica occupata parte, Aſiaeque plurimis ſubjugatis Urbibus; donec bello ab *Hercule*, ac *Theſeo* petitae, victas duumviris his dare manus coactae ſunt, reliquis paullo poſt ab Athenienſibus ingenti clade deletis: atque hae *Amazones* fuere in hiſtoria celebres, queis de ſupra dictum. Contra Scythas, *Jancyro* Rege imperante, denique Olympiade 68. ineunte a *Dario Hyſtaſpide* ſuſcepta expeditio, Ponte Boſphoro injuncto, alteroque in Danubio facto, infeliciter ei ſucceſſit, magnaque Exercitus amiſſa parte, aegre vix in Aſiam regrediendi ei factus eſt locus; relicto ibi *Megabazo* duce cum Exercitus parte altera, a quo Thracia, & Macedonia Perſico ſubjugata imperio eſt, qua de Herodotus lib.3. ſub initio, Cornelius Nepos in Miltiade, ac Juſtinus lib. 2. p. 35. De celebri altera in Colchidem *Argonautarum* Expeditione ſuo infra dicam loco, ubi de Graecorum Epochis, ut quae ab illa exordium capiunt; dicamque heic obiter de altera, quae hacce ferme ſub aetate e Phoenice in Europam facta fertur. Sub eadem itaque, qua Iſraelitarum ex Aegypto egreſſus contigit, aetate, e Chananaeis a *Joſue* pulſis, indeque profugis in Illyricum, Colonos inde penetraſſe in Germaniam pleroſque traditio Rabbinorum eſt apud Abenezram Comm. in Abdiam. Sed enim fabula ejuſmodi exploſa, veri quamſimile habet Bochartus in Geogr. Sacr. Par.II. lib.1. cap.23.p.462.ſq. proxima ex Aegypto priſcam aliquam Coloniam ab *Hercule* Aegyptio in Germaniam fuiſſe deductam. Argumento eſſe Suevorum traditiones apud Tacitum de Morib. Germ., quippe qui antiquiſſima ab aetate *Iſidis* ſacra obſervare ſe, *Tuitum*, & *Mannum*, qui non alii videntur, quam *Menes*, & *Thot*, pro Gentis propagatoribus ſe habere, *Herculem* quoque apud ipſos aliquando fuiſſe praedicant. At enim ſicut *Teutatem* Lucano dictum, ſic *Tuitum* dictum Tacito, Germanis ipſum eſſe *Deum*, cultum deinde ſub *Wodan*, aut *Godan*, aut *Goth* nomine, cui erecta Waſſelburgi Ara legitur apud Gruterum p.54, alteraque Vibis haud longe a Rheno apud Joh. Eberhardum Rau in Monum. Vetuſt. Germ.; quique Hebraeis *Adamus* eſt, eumdem Germanis eſſe *Man*, a quo poſt Deum primo originem traxiſſe ſe profitentur, obſervavit Clu-

verius Introd. Geogr. lib.3. cap.6, ab *Aſchenaze* Noachi pronepote in diſperſione Gentium e Babylone Colonos in Germaniam fuiſſe deductos opinatus: quos verius e *Magog* Japheti filio progenitos, e Scythis poſtea illuc effuſis propagatos Germanos ego puto, qua de Germanorum origine Syncellus in Chronog. p.49. ſq. edit. Pariſ., Ven. p.39. ſq., & Auctor Chron. Alex. p.26, & 29. edit. Pariſ., Ven. p.23, & 25, juncto Joſepho Antiq. Jud. lib.1. cap.11, noſque ſuo infra loco.

LVI. Ad Graecorum jam vero Tranſmigrationes reflectendo pedem, de Graecis in Meſſeniam, Arcadiam, Phrygiam, Lydiam, Phocidem, ac Mycenem, longa Regum ſede prae aliis Regiones nobilitatas, inductis Coloniis, ut agam, Chronologiae ordo poſtulat, antequam ad minus illuſtres alias noſtra Colonias oratio ſe transferat. Atque *Meſſenii* quidem ab initio unum cum *Laconicis* Populum ſub *Lelege* compoſuiſſe, leguntur apud Pauſaniam in Meſſenicis, hoc eſt lib.4. cap.1. ſqq. p.280. ſqq. Defuncto ſed enim *Lelegi* natu major *Myles* filius in Laconica ſucceſſit, *Polycaon* vero natu minor Argiva uxore ducta *Meſſene* nomine, *Triopae* filia, *Phorbantis* nepte, Argivorum, ac Lacedaemoniorum auxiliis Regionem hanc a Laconica abſtractam in Regnum ſibi erexit, de nomine uxoris *Meſſeniam* exinde vocatam, Regni ſede in *Adania* Urbe defixa, aliiſque aedificatis Urbibus, amplificato Regno. Addit Pauſanias hacce ſub aetate in Meſſeniam *Magnarum Dearum* Orgia Eleuſine a *Caucone* Celaeni filio deportata fuiſſe, quae poſtmodum *Aphareo* regnante, a *Lyco* Pandionis filio celebriora effecta refert, ab eoque *Cabirorum* initia Thebis conſtituta. Aetatibus ferme quinque exactis, *Polycaonis* extincta ſtirpe, in Meſſeniae Regnum accerſitum *Perierem* Aeoli filium aliena ex fama ſubjungit Pauſanias, eique in Regno ſucceſſiſſe filium *Aphareum*, a quo *Arenes* Urbs condita de uxoris filiae *Oebali*, ejuſdemque ſororis nomine adpellata eſt. *Aphareo* filii duo fuere, *Idas* natu major, & *Lynceus*; illo vero fulmine icto, iſtoque a *Polluce* interfecto, Meſſeniae Regnum ad *Neſtorem* Nelei filium, qui *Cretei* filius, *Aeoli* nepos fuit, devolutum eſt. Trojano bello confecto, ac *Neſtore* defuncto, a regreſſis poſtliminio *Dorienſibus* cum *Herculis* liberis, duabus poſt aetatibus, *Neſtoris* po-

ſteris;

ſteris ejectis, *Ariſtodemo* Laconia eſt adtributa, Argos Regnum *Temeno* adſignatum, *Oxylo*, e quo *Iphitus* Olympicorum inſtaurator, adſcripta Elis, & *Creſphonti* Meſſenia adjudicata: quam ejus poſteri unus poſt alium novem uſque ad Olympiadis 24. annum 1. tenuere, a quo per annos 20. bello a Lacedaemoniis Meſsenii laceſſiti, Meſsenia excedere, & Argis, Sicyone, ac in Arcadia hoſpitia quaerere coacti ſunt: quo de belli exitu, inſtauratique annos poſt 38, ac tertio ſub Olympiade 79, infeliciterque a Meſseniis profligati, confectique, atque Meſsenici regni fine Pauſanias cap. 14. ſqq. p. 312. ſqq., cui jungendi Diodorus in Excerptis Valeſii p. 226, ac Juſtinus lib. 3. p. 57. ſqq. Longe porro ante Meſseniorum in patriam regreſsum *Colonides*, duce *Colaeno*, ex Attica Colonos in Meſseniam fuiſse deductos, paullo poſt vero, antequam priſtinas Meſsenii recuperaſsent ſedes, *Dryopes*, qui duce *Dryope* Regionem circa Parnaſsum inhabitandam ſuſceperant, ab *Hercule* ſubjugatos, Delphum primo abductos, in Meſseniam poſtea deductos fuiſse refert Pauſanias in Meſsen. lib. 4. cap. 34. p. 365 ſq., quocum conferendi Herodotus lib. 8. p. 542. ſq., Diodorus lib. 4. p. 242, Apollodorus lib. 2. p. 79, ac Strabo lib. 9. p. 538. A *Dionyſio* Syracuſano etiam in Siciliam Meſſenios admiſsos fuiſse, ab iiſque Urbem primo Tyndaridem, ac poſtinde Smenteum, Morgantiam, Cephalaedium, Soluntem, & Ennam fuiſse occupatas tradit Diodorus lib. 14. p. 297. Obſervatu porro illud dignum occurrit Lacedaemonios ingenti aliquando a Meſseniis affectos clade, ira, amoreque res ita reſtaurandi ſuas exarſiſse, ut ad prolem ſufficiendam Uxores proſtituere ſuas haud fuerint veriti, unde natos *Parthenios* vocare placuit, teſtibus Strabone lib. 6. p. 279, Pauſania in Phocic., ſive lib. 10. cap. 10. p. 822., Juſtino lib. 3. cap. 4. p. 127. ſqq., ac Lactantio Divin. Inſt. lib. 1. cap. 20. *Parthenii* hi porro trigeſimo poſt anno ad novas ſibi quaerendas ſedes, duce *Phalanto*, e Lacedaemone in Italiam ablegati, *Tarentum* Olymp. 21. anno 1, qui Chriſti ante natalem fuit 696, ſibi condidiſse referuntur Juſtino loc. cit. Profligato vero bello priori anno 1. Olymp. 14, ex Meſseniis alii in Hiſpaniam profecti domicilium ibi defixiſse traduntur Aſclepiadi apud Strabonem lib. 3. p. 157; alii duce *Alcidamida*, Rhegium

gium commigrarunt, finitoque bello poſteriori, *Gorgo*, & *Manticlo* ducibus, ex Meſseniis alii in Siciliam tranſmiſſi *Zanclem* occuparunt, cui *Meſſanae* indidere nomen, ſed de his, aliiſque in Italiam eductis Coloniis fuſius infra. In Naupactum, indeque in Siciliam profugi Meſſenii, tum demum poſt annos 298, non 287, ut habet Pauſanias, in Peloponneſum regreſſi ſunt, quo de regreſſu Diodorus lib. 15. p. 378, ac Strabo lib. 8. p. 361; paulloque poſt Elide potiti, juris deinceps proprii manſerunt, uſque dum Romanorum ſubire jugum compulſi ſunt; queis de fatis Pauſanias affatim in Meſſen., hoc eſt lib. 4. cap. 26. ſqq. p. 341. ſqq.

LVII. Antiquitates quod nunc attinet, originesque *Arcadum*, & ea his olim inſedit, Graecis univerſim communis, inſania, & invidia, ut ſicuti ſemet Athenienſes *Soli* coaevos jactaſſe leguntur apud Menandrum Rhetorem edit. Aldi Rhetor. Graec. 1508. p. 604; & Lacedaemonii ſe de *Terra* genitos efferre prae antiquitatis opinione, ambituque non ambigebant; ſic Arcades ſe ante *Lunam* extitiſſe praefidenter adfirmabant apud Menandrum loc. cit., Lucianum de Aſtron. n. 26, Plutarchum in Quaeſt. Rom. 75, & Ovidium Faſt. lib. 2. v. 290. Sed hiſce miſſis fabulis, qui principio *Drimodes* nuncupati ſunt, poſt *Arcades*, in Peloponneſi meditullium poſtea ducta a *Pelaſgo* Colonia *Pelaſgi*, inde pulſi in Hemoniam, quae poſtinde *Theſſalia* dicta eſt, immigrare, ducibus *Achaeo*, *Phtio*, & *Pelaſgo* Inachi II. filiis, compulſi ſunt. Inde ſexta poſt aetate a Curetibus, ac Lelegibus, qui deinde *Aetoli*, & *Locri* denominati ſunt, ejecti, pars in Cretam abjere, pars in Cyclades Inſulas, alii in Heſtiotidem ad Olympi, & Oſſae radices, alii in Boeotiam, Phocidem, & Euboeam, plures in Helleſponti oram, plures in Lesbum Inſulam, pluresque demum in Saturniam, quae *Italia* eſt, tranſmiſere, qua de re infra, ut fidem nobis abunde faciunt Strabo lib. 5. p. 153, ac Dionyſius Halic. lib. 1. p. 14. Ab Arcadibus porro *Saliaria*, hoc eſt peculiare ſaltandi genus, primo fuiſſe inſtituta, indeque annos poſt 400. ab *Evandro* una cum Arcadum Colonia in Italiam fuiſſe tranſducta tradit Feſtus V. *Salii*, ſubjungens aliis *Saoni* ex Samothracia cum *Aenea* Lavinium appulſo iſtiuſmodi ſaltandi genus inſtitutum referri. Facit

cit cum Feſto Dionyſius Halic. lib. 1. p. 24. ſqq., & lib. 2. p. 129. referens ab Arcadibus Romae *Victoriae*, ac *Palladi* Sacerdotes *Salios* dedicatos non modo, ſed & *Cereri* Sacerdotiſsas conſecratas, *Pani* dicata *Lupercalia*, (quae pridem a *Lycaone* Pelaſgi in Arcadia ſucceſsore inſtituta fuiſse refert Pauſanias in Arcadicis, ideſt lib. 8. cap. 2. p. 600. ſq.), *Neptuno Ippio* feſta *Ippochratia*, Romanis *Conſualia* dicta, fuiſse inſtituta. Sed ad Arcadum origines, antiquitateſque regrediendo, a *Pelaſgo* I. Inachi I. abnepote genitus filius *Lycaon* II. hujuſce nominis filiam habuit *Calliſto*, quae mater fuit *Arcadis* ex Jove ſuſcepti, qui *Nictymo* patruo in regno ſucceſſit, ſuoque de *Arcadiae*, quae ante *Pelaſgia* dicebatur, nomen indidit, Pauſania teſte in Arcad., lib. 8. cap. 4. p. 604. ſq., quo loci prolixe de *Arcadis* filiis, partitoque inter ipſos Regno, ab ipſiſque ductis aliò Coloniis agit, illud opportune adnotans omnium primo *Azani* primo natu *Arcadis* filio poſt obitum funebres, ac *Equirios* celebratos fuiſse ludos. Ex *Arcadis* poſteris *Anceus* ſe Argonautis ſocium in expeditione praebuit, cujus filius *Agapenor* a bello Trojano regrediens in Cretae Inſula ſubſtitit, ubi *Paphum* Urbem condidit. Ei in Arcadiae regno itaque ſucceſſit *Aepytus*, iſtique *Cipſelus*, cui ab Heraclidis in Peloponneſum regreſsis confirmatum eſt regnum, quod ejuſdem ſucceſsores *Cipſelidae* tenuere uſque ad Olympiadem 28, qua ſub *Ariſtocrate* II, violatam ob veterem cum Meſseniis amicitiam, proditamque hoſtibus Lacedaemoniis, ipſo lapidibus obruto, ablatum a *Cipſelidis* Arcadiae regnum, in Popularis Reipublicae formam tranſmutatum eſt, queis de Arcadum fatis Pauſanias in Arcad., ſive lib. 8. cap. 5. p. 609, cui jungendi Diodorus lib. 15, ac Xenophon lib. 7, ubi referunt Arcades veteris in Lacedaemonios odii gravem circa Olympiadem 103. fuiſse poenam, ingenti ab illis adfectos clade, qua ſuorum decem mille, *Eparititi* dicti, in quibus totum Arcadiae robur erat repoſitum, deſiderati ſunt.

LVIII. Primus, qui in Phrygia regnavit, *Gordius* e privato homine totius Populi votis Rex inauguratus fertur Juſtino lib. 11. cap. 7, & Arriano de Expedit. Alex. lib. 2. p. 86. ſq. Poſt ipſum ipſius filius *Midas* ante Chriſtianam Aeram anno 1428. regnum auſpicatus, Sacrorum ab Orpheo ſolemnibus initiatus,

tiatus, Religioſi cultus publici Caeremonias, Rituſque primus inſtituiſse refertur Cononi apud Photium Narrat. 1. Cod. 186. p.423, Juſtino loc. cit., & Ovidio Metam. lib. 11. v. 93, queis cum conferendi Herodotus lib. 1. cap. 14, Aelianus Var. lib. 3. cap. 18, & Pauſanias in Attic. lib. 1. cap. 4. p. 12, quo de plura in Monum. Acad. Inſcript. T.IX. p. 126, Menagius ad Laertium lib. 1. §. 89, ac Vallarſius in Not. ad Euſeb. p. 427. Poſtinde *Tantalus*, multo in fabulis & ipſe nomine clarus, qui *Tmoli* Lydiae Regis XI. filius fertur, in Phrygia regnum obtinuit, eique in regno ſucceſſit filius *Pelops*, qui ab *Ilo* filio *Trois* in Troade imperante bello petitus, defatigatus, profligatuſque, ab Aſia in Peloponneſum, unde ipſius de nomine Regioni nomen adhaeſit, tranſmigrare compulſus, *Piſaeo* regno exordium fecit, quo de Thucydides lib. 1. p. 67, Diodorus lib. 4. p. 191, ac Plutarchus in Theſeo p. 2. *Troja* everſa, *Troadis* Regio a vicinis Phrygibus occupata, etiam *Phrygia* dici exinde cepit, Strabone teſte lib. 10. p. 473, & lib. 13. p. 628. Primus, qui in Lydia regnaſſe ſit cognitus, eòque Coloniam ab Aſia deduxiſse, atque Regioni nomen indidiſse feratur, *Lud* Semi filius, de quo Gen. x. 22, dicitur Joſepho Antiq. lib. 1. cap. 14, Euſtathio in Hexam., Euſebio, ac S. Hieronymo in Onom., S. Iſidoro &c. Graeci vero Scriptores primum in Lydia regnaſse *Maeonem*, ſuoque de nomine Regioni *Maeoniae* nomenclationem primo feciſse, qui *Maeon* Phrygiae quoque Rex fuerit, idemque *Cybelis* Deorum matris pater, referunt Herodotus lib. 1. cap. 7, Strabo lib. 13. p. 430, Diodorus lib. 3, ac Euſebius Praep. Evang. lib. 2. cap. 4. verſ. Georg. Trapezun. Poſt *Maeonem* regnaſse fertur *Atys*, hunc vero in regno excepiſse filius *Lydus*, de quo deinceps Regio *Lydia* fuerit adpellata, traditur Herodoto loc. cit., ac Dionyſio Halic. lib. 1. p. 16. Utrumque ſed enim *Maeonem*, atque *Lydum* commentitios habuit Bochartus in Geogr. Sacr. Par. I. lib. 2. cap. 12. Oper. T. II. p. 84. ſq., quem ſequitur Jaquelotius de Exiſtentia Dei T. II. cap. 18. p. 1. ſq., *Maeoniae*, atque *Lydiae* nomen Regioni inditum a *Maeone* fluvio, ejuſdemque flexu, quaſi *Lud* fiat ab Hebraea voce לוד, quae Graecis eſt Μαυσϑην, unde Μαιών. Joſephum, ac Diodorum lib. 5. pone ſequuntur Sevinus, ac Freretus, primumque in Lydia imperaſse

Lud

Lud Semi filium, deinde *Maeonem*, poſt hunc *Cotym* perſuaſum habent, quem excepit *Atys*, huicce *Lydus*, aliique poſt octo ſucceſsere uſque ad *Omphalem* Dardani filiam, ſub qua paullo ante bellum Trojanum anno 53. circiter translatum eſt Regnum ad *Heraclidas*, quorum primus in Lydia regnum *Argon* Accaei filius, *Herculis* nepos cepit, Herodoto teſte lib. 1. cap. 7; quod annos poſt 505. ab *Heraclidis* devolutum ad *Mermnadas* eſt, e quibus primus in Lydia regnum ante Chriſti natalem anno 714. obtinuit *Gyges*, ac poſt ipſum poſt annos 170. quatuor alii regnarunt, quorumve ultimus *Croeſus* regno excedere a *Cyro* victus, ac Perſis illud cedere coactus eſt: ſed de his fuſius, quum de Lydorum Aeris ſermo incidet. Conferendi interea, ſi placet, Marshamus in Can. Chron. Seculo XVII. p. 533. ſqq., & qui Sevini, ac Frereti de Lydiae Regibus calculos Chronologicos ad incudem revocat, Fourmontius in Reflex. Crit. ad Hiſt. Veter. Popul. T. II. lib. 3. cap. 18. p. 373 ſqq. A *Lydis* deinde Colonias in Peloponneſum, Cariam, & Hetruriam fuiſse eductas tradunt Herodotus lib. 1. cap. 93, & Dionyſius Halic. lib. 2. p. 97; Maris imperium Cretenſibus ereptum, per annos 92. fuiſse retentum adfirmat Caſtor Rhodius apud Suidam T. II. p. 250, Euſebium in Chron. ad an. 840. p. 298, ac Syncellum in Chronog. p. 172. edit. Pariſ., Ven. p. 137. A *Croeſo* denique Phryges, Myſios, Bithynos, Paphlagones, Jones, Aeolos, Dores, Cares, Pamphylios, Lycios, Cilices imperio ſubjugatos, quod in Perſas deinde *Cyro* imperante, ab eoque *Croeſo* devicto, poſtquam annis 232, principio ducto ab *Ardyſo*, duraſset Lydiae Regnum, ut habet Syncellus p. 239. ſq. edit. Pariſ., Ven. p. 191, perperam tamen, nam a principio, quo Lydiae regnum ad *Heraclidas* tranſiit, apud ipſos perſeveraſse annis 505. per generationes 22, & poſt ipſos apud *Mermnadas* per annos 170, ideſt ab anno 1. Olymp. 18, Nabonaſſari 40, uſque ad Olymp. 58. annum 1, Nabonaſsari 200. permanſiſse liquet ex Herodoto lib. 1 capp. 7, & 15, qua de re Marshamus loc. cit., in Perſas, inquam, translatum eſt, fuſe referunt Herodotus lib. 1. cap. 75. ſqq. ad 90, & Xenophon lib. 6, & 7. p. 158. ſqq. ad 188. Lydorum denique imperium profugientes *Jones* in Lucaniam profugos ibi *Sirim*, poſt *Heracleam* dictam, aedificaſse ſcribit Lycophron in Alexandra v. 978. ſqq., & ex Antiocho re-

refert Strabo lib.6. p.264, ſed hac de Colonia infra.

LIX. In eam porro *Phocidis* Regionem, quae *Tithorea* dicta eſt, Colonia deducta, *Aeoli* I. filium *Dejonem*, ejuſdemque poſteros deinceps regnaſſe ſuper. §. xiv. diximus. A *Phoco* deinde *Aeaci*, qui primus in Aeginam Inſulam e regione Epidauri ductis Colonis imperaſſe fertur apud Pauſaniam in Corinth., ſive lib.2. cap.29. p.177, filio nova tranſmiſſa Aeginetarum Colonia toti *Phocidi* nomen eſt inditum. *Aeaci* filius alter *Peleus*, *Phoco* interfecto, ab Aegina profugus, in *Epirum* cum Aeginetarum manu altera ſe recipiens, ibi regnandi fecit exordium. Ilio exciſo, a *Pyrrho* Achillis filio Epirus occupata eſt; quo interfecto, regno *Helenus* Priami filius potitus eſt. In Phocide vero *Phoco* patri ſucceſſere filii *Panopeus*, & *Criſſus*, illius filius *Epeus*, Equi Trojani fabricator Homero Iliad. Ψ. v.665, & Odyſ. Θ. v. 493. fertur, iſtius filius *Strophius* in regno ſucceſſit, & poſt ipſum filius *Pylades*, in quo finem Regnum illud accepit. In *Aeginam* poſtea Argivorum Colonia a *Deiphonte* inlata eſt; ſed inde Perſici belli tempore ab Athenienſibus ejecti, *Thyraeam* a Lacedaemoniis inhabitandam accepere, queis de fatis Pauſanias loc. cit. p.178. A Phocenſibus poſtea *Delphus*, Oraculo celebris Urbs, occupata eſt, quibus demum expulſis, tota potiti *Amphictyones* Regione ſunt, apud Pauſaniam in Phocicis, ideſt lib.10. cap.8. p.815. ſqq. E Phocide vero pulſos Phocenſes, alios in Propontidem abjiſse, ibique *Lampſacum* aedificaſse tradit Mela lib.1. cap.19; alios, ducibus *Philogene*, & *Damone*, in Aſiam profectos *Cumam* occupaſse, & *Phocaeam* condidiſse ſcribit Pauſanias in Achaic., hoc eſt lib.7. cap. 3. p.529; alios *Cyrnum* Inſulam, hodie *Corſicam*, primo petiiſſe tradunt Herodotus lib.1. cap. 165, & Seneca cap. 8. Conſult. ad Helviam. Inde vero, *Simo*, & *Prote* ducibus, *Maſſiliam* eos abjiſse, a Tyrrhenis ideſt expulſos, ſubdit ibid. Seneca, quocum faciunt Diodorus lib.5. p.295, Scylax in Perip. p. 110, Mela lib.2. cap.5, Solinus cap.8, Thucydides lib.1. p.11, Strabo lib.4. p.179, ac Marcianus in Perip. p. 9, *Maſſiliam* a Phocenſibus ſub *Cyro*, alii Olymp. 44. conditam teſtati. In Hiſpaniam alios tranſfretantes *Maenacam* Urbem aedificaſse memorant Strabo lib.3. p. 156, ac Marcianus p. 7; alios in Lucaniam profectos, Urbem

bem *Eleam*, ante *Hyelam*, exſtruxiſse ſcribunt Herodotus lib. 1. cap. 167, ac Strabo lib. 6. ſub. init.; alios in Libyam primum tempeſtate delatos, poſtinde in Siciliam cum Trojanis aliis appulſos, *Eryce*, & *Egeſtae* conſediſse teſtatur Thucydides lib. 6; alioſque *Parthenopem*, hodie *Neapolim*, aedificaſse. Verum *Neapolim* a Rhodiis conditam minus vere credidere Strabo lib. 14. p. 654, ac Stephanus de Urb. p. 244; verius autem a Chalcidenſibus, qui *Cumam* aedificarant, ſcripſere ipſe Strabo lib. 5. p. 246, Vellejus lib. 1. cap. 4, Plinius lib. 3. cap. 5, & Marcianus in Periplo p. 11; unde falſo Smyrnaeos, & Lampſacenos genere Neapolitanos, Rheginos, ac Tarentinos feciſse videtur Livius lib. 35. cap. 16.

LX. In Peloponneſi Regione altera, quod nunc attinet, *Mycaene*, qua de modo diſputandum manet, antiquiſſimos regnaſse, qui Argis regnabant, *Inachidas* uſque ad *Acriſium*, poſtquem a *Perſeo* II, Acriſii nepote, Argivo regno cum *Megapente* Praeti filio, Acriſii patre, patruele ſuo, commutato, Regnum *Mycaene* anno circiter ante Chriſti natalem 1312. initum eſt, juxta Petavium Rat. Temp. Par. I. lib. 1. cap. 8. p. 31. ſqq.; ante Trojae excidium anno 178, & *Herculis* natalem 101, juxta Freretum in *Recherches Chron. ſur l'Hiſtoire de Lydie &c.* Monum. Acad. Inſcript. T. VI. p. 311; ante Trojanum bellum anno 81, Sampſonis 16, juxta Fourmontium in Reflex. Crit. T. II. lib. 3. cap. 12. p. 247. ſq., auctores ſunt Herodotus lib. 2. cap. 91, & lib. 7. capp. 61, & 150, Apollodorus lib. 2. p. 67, Strabo lib. 8. p. 579, Hyginus Fab. 64, & Pauſanias in Corinth., hoc eſt lib. 2. cap. 16. p. 145. ſq. *Perſeus*, cujus filius alter *Perſes* ſuo de nomen *Perſis* feciſse refertur Xerſi in Allocutione per Caduccatorem ad Argivos habita apud Herodotum lib. 7. p. 493, filios ex *Andromeda* genuit *Alceum*, *Helam*, *Meſtorem*, *Electryonem*, & *Sthenelum*, Apollodoro lib. 2. p. 77. ſq., ac Diodoro lib. 4. p. 254. referentibus. *Alceo* filius *Amphictryon* genitus eſt, *Electryoni* filia eſt genita *Alcmenes*, quae *Amphictryoni* conjux facta ipſi *Herculem* peperit. *Perſeum* jam vero in regno excepere *Meſtor*, ac deinde *Electryon*, poſt hunc *Sthenelus*, ipſiuſque filius *Euryſtheus*, excluſo *Amphictryone*, cui prae illis in *Perſei* regnum jus incumbebat. *Euryſtheo* bellum in Attica

 geren-

gerente interfecto, Mycaenis regnum ad *Pelopidas* translatum eſt, e quibus *Atreus* Pelopis, *Tantali* Phrygiae Regis filii, filius regnum Mycaene inchoavit anno Periodi Julianae 3473, juxta Petavium. A *Meſtoris* porro nepotibus *Teleboa*, & *Taphio* ductis in Inſulas, quae inter Leucadiam, & Acarnaniam permultae interjacent, Colonis, eae frequenti inhabitari exinde Populo cepere, de ſuo eiſdem indito *Teleboidarum*, & *Taphiarum* cognomento, queis de Strabo lib.10. p.459, Apollodorus lib.2. p.52, Scholiaſtes Apollonii lib.1. v.746, Etymologus, Heſychius, Suidas &c. In Mycaenis regno jam vero *Atreum* excepit *Thyeſtes*, huncce *Pliſtenes* filius, juxta Marshamum in Can. Chron. Seculo XI. p.302, iſtumque *Agamemnon* filius, qui totius poſtea Graeci Exercitus dux adverſus Trojanos delectus fuit, ac poſt ipſum *Egyſthus*, queis de Homerus Iliad. β. v.100, & Odyſ. Δ. v.91. ſq., & IA. v.408. ſq. Qui *Egyſtho* deinde ſucceſſit *Oreſtes*, quem *Aeolicae* Coloniae deducendae primum fuiſse auctorem infra videbimus, uxore ducta *Hermione*, *Menelai* Lacedaemonis Regis, *Agamemnonis* fratris, ex *Helena* filia, Lacedaemonis regnum adeptus, ac praeterea Regno Argivo potitus, utrumque Mycaenis regno adjunxit, teſtibus Pauſania in Corinth., ſive lib.2. cap.18. p.150. ſq., & Apollodoro lib.3. p.176. *Tiſameno* tandem *Oreſtis* filio regnante, Mycaenis regnum, poſtquam in *Pelopidarum* familia per annos 154, verius 162. juxta alios, manſiſset, ab *Herculis* poſteris, ſive *Heraclidis* poſt Trojae excidium anno 80. in Peloponneſum regredientibus, *Tiſameno* pulſo, extinctum eſt Periodi Jul. anno 3627. juxta Petavium; quo de Regno plura Thucydides lib.1. p.89, Apollodorus lib.2. p.122. ſq., Diodorus lib.4. p.301. ſq., & Pauſanias loc. cit. p.149. ſqq.; videndique Goguetius de Orig.Leg.,Art., & Scient. Par.II. lib.1. cap.4. Art.3, & 6. p.36. ſqq., & p.45. ſqq., ac Fourmontius in Reflex. Crit. ad Hiſt. Vet. Popul. T.II. lib.3. cap.12. p.242. ſqq. *Tiſamenum* porro Regno pulſum una cum filiis, Copiiſque in eam Graeciae partem, quae tum *Achaja* dicta fuit, conceſſiſſe, ibique fatis functum, inde vero pulſis Jonibus, a *Tiſameni* filiis, Regionem in Urbes XII. fuiſſe diſpertitam, totidemque in his domicilia conſtituta, quarum haecce nomina, Dyme, Ole-

nus,

nus, Pharae, Tritaea, Rhipes, Thaſium, Cecyrina, Bura, Helice, Aegae, Aegira, & Pellene, referunt Herodotus lib. 1. p.68. Pauſanias in Achaic., ideſt lib.7.cap.1. p.522.ſqq., Strabo lib.8. p.383. ſqq., ac Polybius lib. 2. p.51. *Cometem* vero *Tiſameni* filium natu maximum in Aſiam cum Claſſe transfretaſſe, & *Agorium* Tiſameni nepotem tranſmigraſſe in Eleam, ac utrobique novis ab utroque loca Colonis fuiſſe occupata, novaeque Genti factum exordium tradit Pauſanias in Achaic., ſive lib.7. cap.6. p.536, & in Eliacis prior., hoc eſt lib.5. cap.4. p.381. ſq.

LXI. Atque faciendus heic utique foret locus geminae, eique celebri *Argonautarum*, & *Heraclidarum* Expeditioni, ſed quia celebri ab hac utraque ceterae ferme Graecorum aliae dependent Epochae, differendam idcirco ad Graecarum Epocharum Articulum I. de utraque tractationem duco, de *Herculis*, quoad ejus fieri poteſt, aetate, genealogiaque Veterum heic indicaſſe opiniones ſatius habens. *Herculem* igitur, e quo *Heraclidae*, filium *Amphictryonis*, (qui filius *Alcei* fuit, iſteque *Perſei*), ex Alcmene fuiſſe ſuperiori §. LX. vidimus. Ejus obitum, nam de aetate non conſtat, anno ſuum ante natalem 900. conſignat Herodotus lib.2. cap.145, qui Chriſti ante natalem anno 484, juxta Soucietum in Faſtis Mundi p.23, & in diſſert. 2. adv. Newtonum p.72, aut anno 488, juxta Freretum in Defenſ. Vet. Chron. adv. Nevvt.Obſerv. p.61. ſqq., lucem ſiquidem adſpexerit, inde ſequitur, quod *Herculis* obitus Chriſtianam ante Aeram anno 1384, aut 1388, ante Trojae excidium anno 4, aut ipſomet excidii Trojani anno contigerit, juxta Soucieti computum, a quo ipſe tamen recedit in *Herculis* adſignando obitu, ut mox oſtendo. Quae ſane Herodoti Chronologia Frereto veri habetur valdequam ſimilis: nam *Argonautarum* expeditioni *Hercules* interfuiſſe legitur apud Diodorum lib.4. p.183, Hyginum Fab.14, & Euſebium in Chron. p.262; a Trojae vero excidio ad Herodoti natalem, qui a Voſſio de Hiſt. Graec. lib.2. cap.3. ante *Xerſis* in Graeciam tranſitum anno 4. conſignatur, annos 786. interfluxiſſe liquet ex Marmoribus Oxon. Epocha XXV, & LII, ex ipſoquemet Herodoto loc. cit., ubi *Xerſis* trajectionem in Graeciam cum anno 790. a Trojae excidio conjungit. Trojanum excidium vero ab Herodoto anno Chri-

Digitized by Google

Chriſti ante natalem 1284. conſignatum ſiquidem fuerit, inde fit, ut juxta Freretum, Herodoti calculos ſequutum, *Hercules* ante Trojae excidium anno 104. objerit. Sed enim a Duri Samio apud Voſſium de Hiſt. Graec. p. 97. Trojanum excidium annis 50. citius, ideſt Chriſti ante natalem 1335. conſignatum legitur; quo ſequeretur *Herculis* obitum anno 154. ante Trojanam haloſin contigiſse. Ex Thraſylli computo rurſus *Herculis* obitum in annum 55. ab *Argonautarum* Expeditione, bellum ante Trojanum 4, Trojae excidium 14, poſt Olympicum ab ipſo *Hercule* in *Pelopis* honorem inſtauratum ludum 11: qui poſt *Argonautarum* expeditionem fuit 45, confert Clemens Alex. Strom. lib. 1. p. 145. edit. Sylburg., Ven. Potteri p. 401, quae ſiquidem expeditio *Argonautica* juxta Soucietum in Faſt. M. p. 5. ſq., & diſsert. 1. contra Nevvt. p. 54, ex diſsert. 2. p. 72, atque Freretum loc. cit. ante Chriſti natalem anno 1467, aut 1469. facta ſit, inde fit, quod *Herculis* obitus anno 1415. Chriſtianam ante Aeram, ante bellum Trojanum 4, Trojae ante excidium 14. juxta Clementem Alex. ſit conſignandus: a quo tamen Soucietus in Faſt. M. p. 6. annis 16. diſtat, illum conſignans anno 1418. ante Chriſtum, ante Trojae excidium 30. Aſt enim ex eodem iterum Thraſylli Canone a Troja capta ad *Iphiti* Olympiadem anni 417. ibidem Clementi Alex. enumerantur, *Iphiti* vero Olympias, ante vulgarem Olympiadem *Choraebi* anno 108, Chriſti ante natalem 884. incepit: quo fit, ut Troja capta fuerit, juxta Thraſylli computum, ante Chriſtianam aeram anno 1302, ideoque *Hercules* objerit anno 1316. ante Chriſti natalem. Euſebius aſt enim in Chron. p. 278. ſq. ab Olympico agone ab *Hercule* inſtituto ad Olympiadem I. *Iphiti* annos 430. numerat: quo ſequitur, quod Thraſylli computo additis annis 13, *Hercules* objerit ante Chriſtianam aeram anno 1329. A *Perſeo* rurſus ad Trojanum bellum, juxta Thraſylli Chronologiam, idem Clemens Alex. ibid. annos enumerat 167, a quibus tamen annos 86. detrahendos pugnat Fourmontius in Reflex. Crit. T. II. lib. 3. cap. 12. p. 244. ſqq., adeoque ut anni 81. dumtaxat interfluxerint: quo ſequetur, ut *Herculis* obitus ante Chriſti natalem anno 1436. juxta Fourmontium alligandus ſit, ante Trojae excidium anno 47. Quo ſane a computo propius abfuere Blanchinius,

nius, qui Hiſt. univ. Decad. 3. cap. 27. p. 354. ante Trojae excidium anno 40. Argonautarum expeditioni *Herculem* interfuiſſe ex Diodoro, Hygino &c. colligit, & Jaquelotius, qui de Exiſt. Dei T. II. cap. 18. p. 3. ſqq. *Herculis* obitum in annum 40. ante bellum Trojanum conferre non dubitat. Juxta Thraſyllum iterum ab *Argonautica* expeditione ad Bellum Trojanum anni 69, ad Trojae excidium anni 79. effluxere. Quum vero poſt Argonauticam expeditionem ab *Hercule* Troja primum, ob violata a *Laomedonte* Ili filio, ac Troadis Rege in priori expeditione conventa pacta, expugnata fuerit, eoque Rege interfecto, ab *Hercule* ſuffectus fuerit *Priamus*, inde fieret, quod *Priamus* annis 79. regnaſſet: quem Trojae regnaſse annis 40. dumtaxat ſcripſit Iliadis parvae Scriptor, a prima ideſt ſub *Hercule* Trojae expugnatione ad poſteriorem ſub *Agamemnone* annos 40. dumtaxat interceſſiſſe memorans. Hunc ſictum alioqui Scriptorem pone ſequutus Petavius Rat. Temp. Par. II. lib. 2. cap. 9. ex annis illis 79. detractis annis 39, *Argonautarum* expeditionem in Periodi Julianae annum 3489, Chriſtianam ante Aeram 1226. confert; Trojanum excidium vero Periodi Jul. anno 3530, ante Chriſti natalem 1184. contigiſſe ex Eratoſthene in Canon., Dionyſio Halic. lib. 1, ac Diodoro lib. 14. ſub initio contendit lib. 1. de Doct. Temp. cap. 22, lib. 9. cap. 29, ad Uranolog. diſſert. 4. cap. 13, & Rat. Temp. Par. II. lib. 2. cap. 10; *Heraclidarum* vero primam in Peloponneſum expeditionem anno 20. ante Trojae excidium, (qua a priore annos poſt 100, ab excidio Trojae anno 80. poſterior eorumdem in Peloponneſum expeditio facta traditur Thucydidi lib. 1, Vellejo lib. 1, Eratoſtheni apud Clementem Alex. Strom. lib. 1, Tatiano &c.), ex Scholiaſte Thucydidis ad lib. 1. idem Petavius colligit Rat. Temp. Par. I. lib. 1. cap. 12, *Herculem* idcirco paullo ante defunctum, hoc eſt ante Trojae excidium anno 20, Period. Jul. 3510, Chriſtianam ante Aeram 1204. arguit. Ait enim Vellejus Paterculus lib. 1. edit. Amſt. 1630. p. 90. perhibet ab *Herculis* ad Deos exceſſu anno 120, a Trojae excidio 80. poſteriorem ab *Heraclidis* adornatam fuiſſe in Peloponneſum expeditionem: quo fieret, quod *Herculis* obitus anno 40. ante Trojae excidium contigerit. Sed enim Paterculus ſecummet

met ipſe pugnat, dum paullo poſt p. 93. ſcripſit annos ante 1250. quam Conſul eſſet Vinicius, *Herculem* in Olympicis ab *Atreo*, in Pelopis honorem celebratis, victorem exiviſſe. Vinicius enim Conſul exivit anno U. C. 783, Aerae Chriſtianae 30, a quo retroducti anni 1250. in annum incidunt ante Chriſti natalem 1220, qui juxta Petavium fuit ante Trojae excidium annus 36, quo in vivis adhuc *Hercules* agebat, juxta Soucietum vero fuit excidium ante Trojanum annus 168. His ad haec omnibus Columnae obſtare Farneſianae videntur apud Sponium in Miſcell. Erud. Antiq. Sect. 2. Art. 10. Antiq. Graec., & Rom. Suppl. Poleni T. IV. p. 741. ſqq., pretioſum Antiquitatis Monumentum ſub *Commodo* confectum, ubi *Herculis* effigies, ac geſta expreſſa conſpiciuntur, ac inter alia Trojanae *Hercules* expeditioni interfuiſſe diſerte legitur: unde fit, ut poſt Trojae excidium ille defunctus ſit. Quamquam id de priore ab *Hercule* poſt reditum e Colchide in Trojam expeditione ſuſcepta intelligi poſſit: ubi *Laomedonte* interfecto, ejus in locum Rex *Priamus* ab Hercule ſubſtitutus traditur Dareti Phrygio, Diodoro lib. 4. p. 265, & Hygino Fabul. 89.

LXII. Ad Genealogiam quod nunc attinet *Herculis*, ab ipſo geniti filii LXXII. feruntur Ariſtoteli, ac Feſto apud Gyraldum in vita Herculis Oper. T. I. p. 595, inter quos heic illos dumtaxat indicabo, qui aut Regnum ipſi obtinuere, aut ex ipſis Reges oborti ſunt, e quibuſve celebre *Heraclidarum* nomen, geſtorumque fama manavit. Fuere ii vero quatuor praecipui *Hyllus*, *Antilochus*, *Tlepolemus*, & *Phaeſtus*: e quibus *Hyllus* a Dorienſium Rege *Epalio* adoptatus, in ipſiuſque regni jus ſubingreſſus, illud in filium *Clodeum* tranſmiſit, iſteque in *Ariſtomachum*. Hujuſce filius *Ariſtodemus* Laconicae regnum adeptus eſt, *Creſphon* filius alter Meſſeniae regnum obtinuit, ac *Temenus* tertius filius Argivo regno potitus eſt. *Ariſtodemo* gemini fuere filii *Procles*, qui celebre *Proclidis* fecit nomen, cujus filius *Sous* filium genuit *Euryponem*, quo de qui prius *Proclidae*, deinceps *Eurypontidae* dici cepere, e quibus *Lycurgus* originem duxit; & *Euryſthenes*, a quo procreatus *Agis* poſteris *Agidarum* cognomen indidit: inter *Proclidas* vero, & *Euryſthenidas* Lacedaemonis regnum bipartitum eſt. E *Creſphonte*

phonte genitus *Aepytus* in regno Meſſeniae patri ſucceſſit, a quo prodiere *Aepytidae*, qui ob religionem erga Deos, eorumque Sacra celebres evaſere, adeo ut prae *Heraclidarum* veteri nomine Graecis *Aepytidas* illos cognominare adlibuerit. E *Temeno* quoque genitus *Ciſus* inglorius filium & ipſe genuit *Medonem*, iſte vero *Lacidaum*, cujuſce filii *Meltas* natu major Argivo regno exſpoliatus eſt, eo in Popularis Reipublicae formam redacto, alterque minor *Theſtius* fuit, a quo genitus *Acous*, ab iſtoque *Ariſtomidas*, cujuſce filius *Caranus* Colonia in Hematiam ducta Macedonum Regnum fundavit. Ab *Herculis* filio altero *Antilocho* progenitus eſt *Phylas*, ab iſtoque *Hippotes*, cujuſce filius *Aletes* Corinthi, ejectis *Siſyphidis*, regnum obtinuit, in quo ante Olympiadem I. anno 324. eumdem filius *Ixion* excepit, hunc *Agelaus*, poſt quem *Prumnis*, & poſt ipſum *Bacchis*, unde celebre *Bacchiadum* effluxit nomen, qui Corinthi regnarunt uſque ad *Teleſtem*, ſub quo eodem ex *Bacchiadum* genere *Prythanes* introducti ſunt, a *Cypſelo* Tyranno annos poſt 90. expulſi; ideoque *Demaratus* Corintho in Hetruriam tranſmiſit, cujuſce filius *Tarquinius Priſcus* Romae Rex quintus hoc nomine inauguratus eſt Olympiadis 41. anno 2, U. C. 138, ante Chriſti natalem 615, Strabone teſte lib. 8. p. 378. *Herculis* filius alter *Tlepolemus* Rhodi regnum inivit; alterque *Phaeſtus* Sicyonis primum Rex, in Cretam inde transfuga, filium genuit *Rhopalum*, a quo genitus *Hippolytus* Sicyonis regnum recuperavit: qua de *Herculis* genealogia ex Apollodoro lib. 2, Diodoro lib. 4, ac Pauſania lib. 2. cap. 4. p. 120, cap. 6. p. 125. ſq., cap. 7. p. 127. ſq., cap. 18. p. 151. ſq., lib. 3. cap. 1. ſq. p. 205. ſqq., cap. 7. p. 219. ſqq., cap. 19. p. 259., & lib. 4. cap. 3. p. 285. ſq. plura Blanchinius in Hiſt. Univ. Dec. III. p. 497.

LXIII. Hiſce ſuo praehabitis loco, de altera, quae hacce fere ſub aetate ex Aegypto in Cyprum educta Colonia eſt, ſermonem inſtituere praeſtitutae jam pretium eſt operae. In Cypro enim vero, antea primo *Chetima*, (cujus veteris hodie nominis veſtigium in *Citio* Urbe adhuc ſervari ait), derivata a *Cetthim* ideſt *Javanis* filio Gen. x. 4, a quo eò prima ducta Colonia ab ipſo creditur, adpellatione, Joſepho refe-

rente Antiq. lib. 1. cap.6, cui ſuffragari Mazochius Sylvar. Phaleg. Auctar. §.3. p.249. ſqq. haud dubitat, addito Joſepho teſte Menandro Tyrio apud ipſum Antiq. lib. 9. cap. 14, qua ipſi in opinione praeivere Scaliger, Bochartus, ac Meurſius: quae tamen heic de Colonia nobis ſermo non eſt; poſtea *Ceraſte* item a Promontoriis denominata, Androcle, & Philonide teſtibus, *Acamentida* etiam dicta, *Aſpelia*, *Amathuſia*, & *Macaria* quoque Xenagorae, *Sphaecia*, & *Acamante* Philoſtephano, *Crypta*, & *Colynia* perinde Aſtynomo, uti referunt Lycophron Alexandrae v.447, ibique Tzetzes, atque Plinius lib.5. cap.31, quo loci ſubdit Regnorum ix. fuiſſe olim ſedem, demum *Cypro* de filiae *Cinyrae* nomine adpellata, in Cypro, inquam, *Cecropem* I. ſuis ex Aegyptiis Colonos, una cum *Agraule* filia, reliquiſſe tradit Porphyrius in Περὶ ἀποχῆς lib.2. cap. 54, referens quotannis in Urbe *Coronis*, poſt *Salamina*, vivum hominem eidem *Agrauli* mactari conſueviſse uſque ad *Diomedis* aetatem, cui deinceps hominis ſacrificium offerri cepit uſque ad *Diphilum* Regem, a quo inhumanus ritus ille in *Bovis* ſacrificium mutatus eſt. *Agraulis* attamen Cecropis uxor, *Actei* filia dicitur Apollodoro lib.3: quare rite Cypriorum origines partim a Phoenice, partim ab Aethiopia repetere viſus eſt Herodotus lib.7. p.469. Quin inſuper Cyprios genere Chaldaeos, ſive Babylonios ex Pauſania in Eliac., Tatiano orat. adv. Graec., S. Gregorio Nazian. orat.1. contra Julian., & Nonno Monacho Collect. Hiſt. lib.1. cap.70. oſtendere nititur Meurſius de Inſula Cypri lib.2. cap.27: quamquam id de Phoenicia origine facile intelligi poteſt; Phoenices ſiquidem cum Aſsyriis, Chaldaeiſque ſaepe confuſos fuiſse conſtet. Tam ab Argivis deinde, quam ab Achaeis ductis Coloniis, *Teucro* duce, a *Telamone* patre pulſo, poſt belli Trojani finem, occupatam fuiſſe Cyprum Inſulam tradunt Pindarus Nem. ode 4. epod.11, Juſtinus lib.44. p.m. 384, ac Strabo lib.14. ſub fin., a *Teucro* Salaminam conditam teſtati. Verum *Salaminae* Inſulae Atticae objectae nomen, Urbique Metropoli cognomen inditum a *Salame* Aſopi filia, *Cychrei* matre tradunt Euſtathius in Iliad. β, Apollodorus lib.3. p.174, Diodorus lib.4. p.274, ac Pauſanias in Attic., ideſt lib.1. Eiſdem teſtibus *Cychreus* abſque ſobole moriens, re-

gnum

Digitized by Google

gnum *Telamoni* Aeaci filio, qui ad ſe ab Aegina venerat, reliquit; a *Telamone* vero, Trojano bello confecto, *Teucer* filius e Salamina pulſus in *Cyprum* conceſſit, ubi regnum obtinuit. In Salaminae vero regno ſucceſſiſſe *Evelthon*, huic filius *Siromus*, iſti *Cherſis* filius item, filiuſque huic *Gorgus* leguntur apud Herodotum lib.4. p.314, & lib.5. p.374. Poſt Olympiade 97. Salaminae regnaſſe *Evagoras*, ei ſucceſſiſſe *Nicocles*, iſtique Olymp. 107. *Protagoras* traduntur Diodoro lib.14.p.331, lib.15. p.363, & lib.16. p.440, ac Iſocrati in *Evagora*, & *Nicocle*. Ante vero in Cypro ſub Trojano bello regnaſſe *Cinyras*, ſimulque fuiſſe *Veneris* Cypriae Sacerdos traditur a Scholiaſte Pindari in Pyth. ode 2. Antiſtr. 1, & Euſtathio ad Iliad. Λ.v.20. ſqq. Eum genere Aſſyrium vocat Apollodorus lib.3, Phoenicem ideſt, ut obſervat Meurſius ipſe de Inſula Cypri lib.2. cap.9. p. 107, ejuſque a poſteris in Cypro receptam fuiſſe *Eliſam* Pygmalionis Tyri Regis filiam, dum in Libyam iter pararet, quin imo *Jovis* Sacerdotem in Cypro una cum conjuge, ac liberis *Eliſae* ſe itineris comitem dediſſe, conditione accepta de Sacerdotio ſibi, poſteriſque ſuis perpetuo ſervando, refert Juſtinus lib. 18. cap. 15. p.212. In Cypro quin inſuper ab initio in ſingulis fere Urbibus, ac praeſertim in novem praecipuis totidem proprios fuiſse Tyrannos, ſive Phylarchos ſcribunt Plinius, ac Strabo loc. cit., quod ipſum ex Diodoro, Arriano, Themiſtio &c. confirmat Meurſius de Inſ. Cyp. lib.2. cap.7. Atque in his utique, qui *Cinyram* excepere, *Belum*, *Pygmolionem*, *Paphum*, & *Elulaeum* ex Aſclepiade apud Porphyrium lib.4, & Menandro apud Joſephum Antiq. lib.9. cap.14. recenſere potuit Bochartus in Geog. Sacr. Par.II. lib.1. cap.3. p.352. ſq. Ab *Amoſi* Aegypti Rege deinde omnium primo Cyprum fuiſſe captam, relictiſque Aegyptiis ibi Colonis, vectigalem factam Inſulam ſcribit Herodotus lib.2. in fine, cui *Amoſis* ultimus fuit Aegypti Rex, *Nabuchodonozori* aetate ſuppar; quove defuncto Aegypti regnum ad Perſas tranſiit. Quamquam ſub Perſarum imperio proprios habere Regulos Cypri Urbes non deſiiſſe ex Strabone loc. cit. diſcimus. Perſarum vero jugum ſub *Oneſilo* Salaminae Rege excutere Cyprios tentantes ab *Artybio* Perſa ſubactos fuiſſe, compreſſoſque tradit Herodotus lib.5. p.374.

 ſqq.

ſqq. Ab *Artaxerſe* rurſus, conſpiratione facta, deſciſcere Regulos, in novem iterum Cypri Urbibus imperantes, fuiſse conatos, fruſtra tamen, in ordinem a Perſis redactos, ſcribit Diodorus lib. 16. p.440. ſqq. Sub id temporis porro Cyprum pene totam ſuo adjecit imperio *Evagoras* Salaminae Rex, qui paullo poſt attamen ab *Artaxerſe* Perſa Urbibus aliis cedere, una Salamina contentus, adactus eſt; quo imo regno poſtinde ab eodem *Artaxerſe* exſpoliatus eſt, eodem in *Protagoram* translato, teſte Diodoro lib. 14. p.333, lib. 15. p.363, ac lib. 16. p.441. ſqq. Ceſſit poſtea Cyprus in Ptolomaeorum Aegypti Regum, atque poſtremo in Romanorum poteſtatem, qua de re Strabo loc. cit., Diodorus lib. 19. p.719, Florus lib. 3. cap.9, & Conſtantinus Porphyrog. de Them. lib. 1. Them. 15, videndusque, qui de veteribus Cypri Regibus multa congeſſit, Eraſmus Vindingius in Hellene Antiq. Graec. T.XI. p.525. ſqq.

LXIV. Graecas inter celebriores alias Coloniae laudari tergeminae ſolent, *Aeolum* una, *Dorienſium* altera, & *Jonum* tertia, ita tamen, ut *Aeolica* tribus *Doricam* praeceſſerit, *Jonica* quatuor prior aetatibus fuerit, Strabone teſte lib. 13. p.582, ideſt ut ab excidio Trojae *Aeolica* anno 60. contigerit, *Dorica* anno 100. circiter, *Jonica* anno 140, velut ex Ariſtarcho refert Clemens Alex. Strom. lib. 1. p.141. edit. Sylb., Potteri Ven. p. 388, & habent Marmora Arund. Epocha XXVI, quae cum anno Chriſti ante natalem 1077. concurrit. *Aeolicae*, ita dictae cum ab Αἰολεῶν, quo variarum Gentium Collectio indicatur, e quibus, atque Boeotis quammaxime conflata illa eſt, tum ab *Aeolis*, non Europaeis utique, qui in Aſiam migrarint, ut Vulgo fere perſuaſum eſt, quem ſequutus eſt Cellarius Geogr. Antiq. T.II. lib.3. cap.3. ſect.3. ſq. p.53, & 59, ſed potius Aſiaticis, qui in Europam, ſive Graeciam exinde tranſmigrarint, velut oſtendit Loeſcherus in Jon p. 15. ſqq., ab *Aeolis* utique, quorum hi Coloni fuerant, *Aeolicae*, inquam, Coloniae deducendae, tam cauſſa fuit, quod Achaei *Aeoli* poſteri e Laconica pulſi a Dorienſibus, qui cum *Heraclidis* in Peloponneſum regreſſi priſtinas recuperaverant ſedes, alia ſibi ad inhabitandum inquirere loca compulſi fuerint, quam primus auctor fuit *Oreſtes* Agamemnonis filius, qui paterno regno ejectus, *Argis* pri-

primum eſt potitus, deinde Arcadum, & Phocenſium auxiliis fretus, *Spartae* quoque regnum occupavit, quo de Pauſanias in Corinth., hoc eſt lib.2.cap.18. p.150. ſq. Eo aſt enim in Arcadia mortuo, a *Penthilo* ipſius filio in *Thraciam* uſque perducta Colonia eſt poſt everſum Ilium anno, non 60, ut eſt in editis, ſed 80, ut vera habet Strabonis lib.13. p. 582. lectio, ubi ſubdit *Heraclidas* etiam anno 80. ab Expeditione rediiſſe. In *Lesbum* itidem, Aeolidis Continenti objectam Inſulam, ab eodem *Penthilo* Colonia tranſmiſſa traditur Pauſaniae in Lacon., ſive lib.3. cap.2. p.206. ſq., qui praeterea in Corinth., ſive lib.2. cap.18. p.151. ſq. perhibet eodem tempore *Tiſameno* Oreſtis filio altero Spartae, & Argis regnante, *Herculis* poſteros in Peloponneſum fuiſſe regreſſos, ejectoque *Tiſameno*, Argis, & Sparta potitos fuiſſe, *Tiſamenum* vero ſuis cum Copiis in *Achajam* tranſmigraſſe; ubi poſt ipſum regnaſſe ipſius filios *Daimenem*, *Spartonem*, *Tellem*, & *Leontomenem* idem tradit Pauſanias in Achaic., ideſt lib.7. cap.6. p.536. A Penthili filio *Archelao* Aeolica deinde traducta Colonia eſt in *Cyzicenam*, Strabone teſte loc. cit.; a *Grao* vero Archelai filio, adjuvantibus Lacedaemoniis, in eam, quae inter Joniam, & Myſiam jacet, Regionem, *Aeolidem* proprie dictam, Colonia perinde inlata dicitur Pauſaniae in Lacon., ideſt lib.3. cap.2. p.206. ſq. Quo pariter tempore *Cleuas*, & *Malaus*, & ipſi ex *Agamemnonis* ſtirpe, Colonia in *Locridem*, ac dein in Aſiam deducta, ibi *Cumam* condidiſse dicuntur Straboni loc. indic.; a *Comete* viciſſim *Tiſameni* filio natu maximo, *Oreſtis* nepote, in Aſiam cum Claſſe tranſmiſſo, ibi ſedem fuiſſe defixam tradit Pauſanias in in Achaic. loc.cit.p.536. *Aeolicae* porro Urbes Herodoto lib.1. cap.149. Ἐνδεκα undecim numerantur; quibus octo Plinius lib.5. cap.30. adjungit; triginta fere aliis vulgo numerantur. Aeoles demum *Croeſus* Lydiae Rex ſubegit: quo poſt a *Cyro* devicto, in Perſarum dominationem tranſierunt, Herodoto teſte lib.1. p.3. 11. ſq., 66. ſqq., lib.2. ſub init., lib.4. p.287, lib.5. p.380, lib.6. p.417, & lib.7. p.470, videndique Wolfangus Lazius de Graecia Antiq. lib.1. cap.9. Antiq. Graec.T.VI. p.3512. ſqq., ac Eraſmus Vindingius in Hellene T.XI. p.429.ſqq.

LXV. Plures *Aeolicam* hancce poſt annos, centum hoc eſt

eſt circiter, *Dorica* excepit Expeditio, quae ita ferme ſe habuit. *Codro* Athenis regnante, regnavit autem ultimus, quum Exulum frequentia efficeret, ut Virorum copia floreret Attica, invidia, metuque perciti *Heraclidae*, eoſque inſtigantibus quammaxime Corinthiis, atque Meſſeniis, bellum, Sociis adſcitis Lacedaemoniis, ac Dorienſibus, Athenienſibus intulerunt: atque haec prima *Heraclidarum* in Peloponneſum expeditio fuit, quae fruſtra, peſſimeque ipſis ceſſit. Ingenti namque ab Athenienſibus clade adfecti fuere, ideoque Lacedaemoniis ad propria regreſſis, Dorienſes de aliis occupandis locis cogitavere. Itaque *Megaride* primo potiti ſunt, indeque aliquos poſt annos Coloniis eductis conceſſere, qua in *Cretam*; qua deinde in *Rhodum*, ubi *Lindum*, *Jalyſum*, & *Camirum* Urbes occuparunt; qua in *Meropidem* Inſulam, ubi *Cos* inhabitandam ſuſcepere; qua in *Cherſoneſum* Caricam, ubi *Cnidum* pro domicilio obtinuere; qua in *Cariam* ipſam, ubi *Halicarnaſſi* demorandum ſibi duxere; queis de Coloniis plura, qui ſcire deſideret, ſuppeditabunt oppido Herodotus lib. 7. p.470. ſqq., ac Strabo lib. 14. p.653. Atqui longe illuſtrior tribus poſt *Doricam*, quatuor poſt *Aeolicam* ſubſequuta aetatibus, altera *Jonica* Expeditio fuit, collecta quidem ex Abantibus, Orchomeniis, Cadmeis, Dryopibus, Phocenſibus, Thebanis, Moloſſis, Pyliis, Arcadibus, Pelaſgis, Dorienſibus, Epidauriis &c., ſed quia praecipuas in hiſce partes egere Jones, inde *Jonicae* nomen Coloniae adhaeſit. Enim vero *Jones* Atticae jamdiu Incolae, poſtinde in Pelopponneſum, amplioris ad incolendum loci inquirendi gratia, tranſmigrarant, ibique manſerant uſque ad *Heraclidarum* regreſſum; ſed ab Achaeis e Laconica pulſis & ipſi e Peloponneſo expulſi in Atticam regredi *Jones* compulſi fuere. Ubi, prae ingenti quotidie adaugeſcente multitudine, inhabitare diu haud permiſſi, alias ſibi ad incolendum ampliores quaerere ſedes ipſos oportuit. *Jonum* itaque multo maxima pars, *Jone* duce, profecti Athenis, junctique Populis aliis, queis de modo, totius Coloniae duce *Androclo* Codri filio, in Aſiam irruptione facta ſe effudere, veluti liquet ex Marmoribus Arund. Epocha xxv i, Pauſania lib.7. cap.2. ſub init., & Aeliano Var. lib.8. cap.5, occupataque Regionis Maritimae parte,

Digitized by Google

te, quae inde *Jonia* dicta eſt, indeque Lelegibus, ac Lydis undequaque pulſis, Urbes ſibi conſtituere Epheſum, Miletum, Colophonem, Prienem, Lebedum, Myuntem, Erythram, Clazomenas, Teum, Phocaeam, Smyrnam, multaſque perinde in Aegeo Mari, & Icario occupavere Inſulas, Samum, Chium, Andrum, Tenum, Pharum, Delum, ignobileſque alias, queis de Strabo lib. 14. ſub init., Vellejus lib. 1. p. 92, Vitruvius lib. 4. cap. 1, & Aelianus Var. lib. 8. cap. 5, a quo Δώδεκα duodecim nobiliores in Jonia conditae Urbes, ac decem in Continente, duaeque in Inſulis Samos, & Chios enumerantur: a quibus deinde Reges partim *Lycios* e Glauci Hippolochi filii ſtirpe, *Perſei* nempe, partim *Caucones* Pylios e *Codri Melanthi* filii progenie fuiſſe conſtitutos ex eiſdem Scriptoribus abunde conſtat. In quibus a *Nileo* Codri filio Athenienſium duce *Miletum* occupatam fuiſſe, tota cum Regione olim *Anactoria*, a Rege *Anacte* denominata, de *Mileti* vero Cretenſium ducis poſtea nomine *Mileſia* cognominata; a *Codri* filio altero *Cyareto* Myum Provinciam; a *Philote* Prienem; ab *Andraemone* Codri filio altero Lebedonem, & Colophonem, inde Cretis, eò olim a *Rhacio* deductis, expulſis; ab *Apoeco* Teonem, & Orchomeniam; a *Cleopo* etiam *Codri* filio Erythraeam, aliaſque ab aliis fuiſſe occupatas refert Pauſanias in Achaicis, ideſt lib. 7. cap. 2. ſq. p. 524. ſqq. Jones, ſicut Aeolos, poſtea ſubegiſſe *Croeſus* legitur, quo ipſo a *Cyro* perinde ſubjugato, eamdem cum Aeolis ſortem Jones ſubire, Perſiſque deinceps obedire coacti ſunt, Herodoto teſte lib. 2. p. 100, lib. 4. p. 287. ſqq., 302. ſqq., 376. ſqq., & lib. 6. p. 182. ſqq., 391. & ſqq., quo loci ſicut Aeolos, ſic Jones a *Darii* imperio deficientes ab eo in ordinem redactos ſcribit, & lib. 9. p. 625. ſqq., ubi Jones a Perſis iterum ſub *Xerſe* defeciſſe refert. Poſt *Jonum* profectionem, ab *Achaeis* opportunitatem nactis eorum fines ſorte inter ſe fuiſse diſpertitos, Regno in duodecim Civitates diviſo, quae fuere Dyme, Olenos, Phare, Tritia, Rhipes, Thaſium, Cecyrina, Bura, Helice, Aegae, Aegira, Pellene, Democratici ibi regiminis forma conſtituta, quod annis 25. duravit, pluribus refert Pauſanias in Achaic., ideſt lib. 7. cap. 6. p. 536.

LXVI. Sequiori aetate Coloniae aliae e Phoenice, ac e Grae-

Graecia, qua in Aegyptum, qua in Africam, indeque in Hiſpaniam, Britanniam, Galliam &c. deductae paſſim leguntur. Atque primo quidem a *Necbao* Aegypti Rege, qui opus a *Seſoſtri* pridem inceptum, foſſam ideſt a Nilo ad Sinum Arabicum, fruſtraneo tamen pari conatu, perducere tentavit, Herodoto teſte lib.2. cap.158. ſq., Phoenices ante Chriſti natalem anno 610. circiter ad Africam circumnavigandam fuiſſe miſſos, eoſque Mari Rubro ſolventes in Mare Auſtrale abjiſſe, ac tandem anno tertio per Columnas *Herculis* tranſvectos in Mediterraneum ingreſſos, in Aegyptum ad Nili oſtia rediiſſe, tradit Herodotus lib.4. cap.42, qui cap. ſeq. *Xerſis* juſſu *Sataſpem* quemdam Achaemenidem, *Herculis* Columnas egreſſum, Africae periplum circumnavigatione tentaſſe ſubjungit, junctis Perizonio Aegypt.Orig. cap.23. p.413, ubi in *Necbai* aetatem diligenter inquirit, ac Pridaeo Hiſt. Judaeor.lib.1.edit.Ven.T.I. p.68. ſq., ubi ab hacce ſub *Necbao* Promontorii *Bonae Spei* tranſmiſſione ad alteram a Vaſco Gamma anno Chriſtianae Aerae 1497. inſtauratam annos 2100. circiter effluxiſſe obſervat. Et in Occidentalem utique Africam a Phoenicibus Colonias longe plurimas fuiſſe deductas fidem abunde facit Hanno Carthaginenſis in Periplo Africae, quem floruiſſe paullo poſt bellum Iliacum ſcribit Strabo lib.1. p.47, Seculo quinimo ante bellum illud integro contendit Iſaacus Voſſius in Praefat.ad Scylacem, ad Melam lib.3.cap.9, & Variar. Obſervat. cap.2.p.52, cui adſtipulantur Bochartus in Geogr. Sacr.Par.II.lib.1.cap 37. p.640, & Ittigius lib. de Montium incendiis p.124; floruiſſe verius longe poſt, Olympiade 118. ideſt, ex Plinio lib.2. cap. 67, ubi eodem, quo *Hanno* ad oras Africae, tempore *Hemilconem* ad Europae extera miſſum, ab iſtoque ſcripto etiam Iter ſuum expoſitum adfirmat, confirmatque Feſtus Avienus in Ora Maritima v.117, & 412, ac ex Diodoro lib.20.p.794, ubi duos hoſce Duces Carthagine miſſos *Agathocli* Syracuſano Tyranno Africam ſollicitanti reſtitiſſe Olymp.118. annos 2. refert, rite conficiunt Marshamus in Can. Chron. Seculo XVIII. p.570, Gerardus Voſſius Iſaaci pater de Hiſtor. Graec. lib.4.p.513, Dodwellus in Diſſert. de Aetate Peripli Hann. inter Geographos Vet. Joh. Hudſoni T.I. Oxon.1698, & Fabricius Biblioth. Grae-

Digitized by Google

Graec. T.I. lib.1. cap.6. p.39.ſq. Is itaque Carthaginenſis Senatus decreto juſſus navigare extra Columnas *Herculis*, Urbeſque in Libyphoenice condere, inſtructa Navium 60. Claſſe, Hominum triginta millia, quae ex Urbibus 300. in Libyco littore redundabant, eò deducta in varia Oceani Auſtralis loca uſque ad fines Arabiae diſperſit, aedificatis ubique Urbibus, atque in patriam redux Africae Periplum ſcripſit, Graece primum a Gelenio Baſileae 1533, Latine poſt a Geſnero Tiguri 1559, Graece, & Latine dein a Boeclero Argentor. 1661, a Berkelio Lugd. Batav. 1674, & ab Hudſono Oxon. 1698. evulgatum. De Peripli hujuſce porro ſinceritate dubitatum eſt quidem Ariſtidi Orat. Sicula 1, Melae lib.3. cap.9, Athenaeo Dipnoſ. lib.3. cap.7, Plinio lib.5. cap.1, ac poſt ipſos Salmaſio Exercit. Plin.p.1242, Dodwello loc. cit., & Cellario Geogr. Antiq.T.II. lib.4.cap.8. p.940: haud dubitarunt tamen Marcianus Heracl. in Periegeſi, Stephanus de Urb. edit. Holſt. p.140, & 161, Scylax Caryandenſis aetate ſuppar Polybio magni *Scipionis* in bellis ſocio ante Chriſti natalem anno 170, ut oſtenditur Dodwello, non vero Dario *Notho*, uti Bocharto viſum, Auctor de Mirabil. audit. Ariſtoteli tributus, quos pone ſequuti de Peripli ſinceritate dubitare nefas habuere Voſſius uterque, Bochartus, Fabricius, Pineda de Rebus Salom. lib.4. cap.14. §.3, Cluverius Introd. Geogr. lib.1. cap.13, aliique. Inter Urbes jam vero a Freto Herculeo in Africano littore a Phoenicibus aedificatas, Hannoni in Periplo, indeque Scylaci, atque Stephano celebriores memorantur *Thymiaterium*, haud procul ab Herculeo Freto; *Pentapolis*, Urbes ideſt quinque *Carica*, *Gytta*, *Acra*, *Melitta*, & *Arambys*, ad Promontorium Libycum; *Cernes* in Inſula contra Montem Atlantem; *Liſſa*, & *Cotta* ad Promontorium Ampeluſiacum in Mauritania Tingitana; *Zelis*, & *Sala* ad Sinum Emporicum, queis de aliiſque Bochartus loc. cit., ac Cellarius Geogr. Antiq. lib.4. cap.7. p.928. ſqq.

LXVII. Inde primam jam vero enatam Phoenicibus Colonias tam e Phoenice, quam proximiori ex Africa in *Hiſpaniam* educendi fuiſse occaſionem ego nullus ambigo. Secundam vero dediſse Commercii exercendi deſiderium, quod in cauſsa fuiſse, cur multae in Hiſpaniam Coloniae a Phoenici-

bus miſsae fuerint, explicitiſſime tradit Diodorus lib. 5. p. 216. Quin ex Coelio Antipatro refert cum Cornelio Nepote Plinius lib. 2. cap. 67, navigatum olim ex Hiſpania in Aethiopiam, quo heic nomine Libyam, ſeu Arabiam intellige, commercii gratia; ubi ex eodem Cornelio Nepote tradit inſuper *Eudoxum* quemdam Nepotis aetate, quum *Lathyrum* Regem fugeret, Arabico ſinu egreſſum, Gades uſque fuiſse pervectum, ac *Q. Metello Celeri* praeterea Galliae Proconſuli Indos a Rege Suecorum dono datos, qui ex India commercii cauſsa navigantes tempeſtatibus fuerant in Germanicum littus abrepti. Tam vero ex Africa, quam ex Hiſpania Phoenicibus perquam facile contigiſse novas commercii occaſione tam in *Sardiniam*, quam in *Siciliam* Inſulas transducendi Colonias nemo non intelligit. Et primas certe, antequam e Graecia adornari cepiſsent, a Phoenicibus eductas fuiſse Colonias in *Sardiniam* teſtes accedunt locupletes Diodorus loc. cit., & Pauſanias in Phocic., ideſt lib. 10. cap. 17. p. 836. ſq.; in *Siciliam* vero auctores ſe praebent liquidos Pauſanias in Eliacis prior., hoc eſt lib. 5. cap. 25. p. 443, ac Thucydides lib. 6, poſt Graecorum adventum, Phoenices, ultro relictis Urbibus pleriſque, Motyem, Soluntem, & Panormum petiiſſe, poſt ſe circa Lilybaeum Promontorium recepiſse ſubjungens; queis de Graecis utramque in Inſulam ductis Coloniis fuſius infra, videnduſque interea Bochartus in Geogr. Sac. Par. II. lib. 1. cap. 27. ſqq., & cap. 31. ſqq. p. 507. ſqq., & p. 531. ſqq., ubi plura de Phoenicum in Siciliam, Sardiniam, Corſicam, & Italiam eductis Coloniis diſputat, quae nobis ingens idcirco otium fecere. Ad *Hiſpaniam* itaque referendo pedem, quae Graecis *Iberia* a celebri *Ibero* fluvio, & *Heſperia*, quod ipſis ad occidentem ſita ſit, dicta legitur, *Hiſpania* de Regis *Hiſpani* nomine adpellata dicitur Juſtino lib. 44. ſub init.; a Graeca voce Σπανίαν, qua *Rarum* ſignificatur, ob Incolarum raritatem aliis denominata legitur apud Bernardum Aldretem de Hiſpanae linguae Orig. lib. 3. cap. 11; a radice Hebraea שפה *Sapa*, qua *Ripa*, ſeu littus indicatur, ut cujus ora frequenter Hebraeis fuerit perluſtrata; aut שפן *Sapan*, quod eſt *Abſcondere*, ut quae longe diſſita Hebraeis eſset velut ignota; aut שפינה *Sepinah*, qua *Navis* deſignatur, quaſi fre-

frequenti navigatione in Hiſpaniam iretur, denominata conjicitur Pinedae de Rebus Salom. lib. 4. cap. 14. §. 2. p. 184: ubi quoque a *Pan*, quem *Bacchus* ſimul cum *Ulyſſe* ſocium expeditionis adhibuiſse, univerſaeque praefeciſse Hiſpaniae legitur apud Plinium lib. 3. cap. 1, nomen accepiſse putat; ab *Hiſpali* demum Regionis olim totius capite denominata videtur Cluverio Introd. Geogr. lib. 2. cap. 2. p. 51; in *Hiſpaniam*, inquam, perveniſse omnium primos Iberos, (qui ideſt ex *Tubale* Noachi nepote in Aſiae *Iberia* Ponticum inter, & Caſpium Mare a Joſepho Antiq. lib. 1. cap. 11. collocato procreati vulgo creduntur); Perſas etiam, Phoenices, Celtas, ac Poenos tradit M. Terentius Varro apud Plinium lib. 3. cap. 1. *Luſum* item, ſive *Lyſam* Bacchi, (qui ante *Herculem* annis 63, floruiſse ex Apollodori Chronico, de quo Galaeus in diſsert. de Scriptor. Mythologicis cap. 6, colligitur apud Clementem Alex. Strom. lib. 1. p. 139. edit. Sylb., Potteri Ven. T. I. p. 382.), in expeditione comitem nomen *Luſitaniae* dediſse, univerſae *Hiſpaniae* vero *Panem* ab eo fuiſse praefectum, eodem loci Plinius ſubjungit. Quod de Iberis, ac Perſis in Hiſpaniam profectis Varronis dictum fabulis deputat quidem Cluverius Introd. Geog. lib. 2. cap. 5. p. 57, pro certo vero habuit Pineda de Reb. Salom. lib. 4. cap. 14. §. 4. p. 188, locupletique Silii Ital. lib. 3. confirmat loco, ubi domitos a *Baccho* Iberos, eumque Calpe, Abylae, & Nebriſsae fuiſse adfirmat. Sed & auctor eſt Strabo lib. 3. p. 108. ante Homeri aetatem ab *Hercule*, ac Phoenicibus expeditionem in Hiſpaniam fuiſse ſuſceptam; *Ulyſſem* quoque ad Gades uſque profectum ſuo de *Ulyſſiponi* nomen feciſse; Phoenices vero Africae, & Hiſpaniae optima quaeque cum dominatione uſque ad Romanorum adventum obtinuiſse. Plures quoque a Phoenicibus Colonias in Hiſpaniam deſtinatas fuiſse perhibet Diodorus lib. 9. cap. 9; duplicemque *Herculis* in Gaditanam Inſulam adventum deſcribit Philoſtratus de vita Apollonii lib. 10. cap. 1, cujuſce rei documento eſt praeterea *Herculi* Gadibus tam celebre dedicatum Fanum, quam ex auro, argentoque ſimul fuſo erectae Columnae, queis de Herodotus lib. 1, Strabo lib. 3, ac Philoſtratus loc. cit. lib. 5. cap. 1. Hinc a Phoenicibus in Hiſpaniam ductas ſaepe Colonias oſtendere

Digitized by Google

pergit Bochartus lib. 1. cap. 34. ſqq. p. 598. ſqq., & quidem in *Boeticam*, in hacve Urbes condidiſse *Tarteſſum*, *Gades*, *Calpem*, *Cordubam*, *Hiſpalim*, *Ilipam* &c. circa *Joſue* tempora ex Claudio Julio, aut circa *Codri* aetatem, ante Chriſti natalem anno 1116. ex Vellejo Paterculo colligit. In Inſulas etiam *Erythiam*, ſeu *Aphrodiſiam* haud longe a Gadibus, (quibus e regione oppoſitae ſunt *Elyſiae* Inſulae, ſive *Fortunatae* Poetis adeo celebres); in *Gymneſias*, ſive *Baleares*, ac *Pityuſas* etiam; in *Tarraconenſem* item, ibique conditas Urbes *Caenopolim*, poſtea *Carthaginem* nuncupatam, ex Poliaeno Stratag. lib. 8, Solino, Polybio, Strabone probat; *Setabim*, nunc *Xativam*, *Saguntum*, *Saldubam*, nunc *Caeſaraugustam*, *Dertoſſam*, nunc *Tortoſam*, *Barcinonem* etiam &c. probare ſatagit. In *Luſitaniam* inſuper Phoenicum abductas fuiſse Colonias, ibique Phoenicum opus fuiſse *Ulyſſiponem*, *Baeturiam* &c. argumento, ut plurimum, a Phoenicia nominum originatione petito, ſuadere pergit. Quod argumenti tamen genus vi ſaepe caret, quod tum longe petitur, tum quod Punicos Hiſpaniae Nummos a primaevis Hebraeis, aut Chaldaeis litteris non modo, ſed a Phoenicibus diverſos praeferre Characteres, ſicut Africanos jam ab aetate S. Auguſtini, obſervatum eſt Bernardo Aldreti de Antiq. Hiſpan. &c. lib. 2. cap. 1. p. 177. ſq., ac Spanhemio de Praeſt. Num. edit. Rom. p. 51; quin inſuper a Punicis ipſis longe diverſos in antiquiſſimis Hiſpaniae Nummis, diverſoſque quin etiam inter ſe Characteres adeo conſpici animadvertere Cuperus in epiſt. ad Tentzelium, ac Leibnitius apud Jordanum in Hiſt. vitae, Operumque Crozaei Par. II. p. 266. ſqq.; (quod ipſum nuper pleriſque Veterum Hiſpanicarum Litterarum, quae vel unius e veteris *Iliberis*, hodie Granatae, Urbis ruderibus erutae ſunt, elucubratis Tabulis, quarumve ſpecimen in Praefat. T. I. praefixa exhibitum a nobis eſt, in aprico a Viro doctiſs. Chriſtophoro de Medina Condè poſitum eſt); ut inde ſingulos Hiſpaniae Populos ſuas olim propias habuiſse litteras perſuaſum habuerint: quod argumento eſt Gentibus, praeterquam Phoeniciis, aliis longe diverſis frequentatam olim Hiſpaniam fuiſse, inhabitatamque. Atque *Phocenſes* quidem e Jonia Gades navigaſse ſcribit Herodotus lib. 1, indeque Tarteſ-

ſum

ſum advenientes gratos admodum fuiſse *Arganthonio* Regi in Boetica imperanti ſubjungens, juſsoſque in ſua ditione ſedes deligere, ubicumque illis liberet. *Samiis* quoque navigatione, & commercio frequentatos Gaditanos, ac Boeticos fuiſse idem perhibet Herodotus lib. 4, ex hoc quaeſtu decima ſelecta, ideſt ſex talentis, ahenum, ad exemplum Crateris Argolici, feciſse illos referens, ac in Templo *Junonis* collocaſse, ſuſtinentibus illum tribus Coloſsis, humanis ideſt ſimulacris, ſeptenum cubitorum genu nixis.

LXVIII. Ad haec a Phoenicibus, commercii quoque gratia, ex Hiſpania ſuorum perſaepe Colonias fuiſse transductas in *Caſſiterides*, ſeu *Heſperides* in Britannia Inſulas ſuadere conatur Bochartus in Geogr. Sacr. Par.II. lib.1. cap.39. p.647. ſqq. ex Strabone lib.3. p.175. e Gadibus eò navigatum, plumbi, & ſtanni negotiandi gratia, a Phoenicibus referente; ex Artemidoro apud eumdem lib.4.p.198. in Inſula prope Britanniam *Cereri*, ac *Proſerpinae* Sacra fieri eodem, quo in Samothrace, ritu ſcribente; unde conficit eodem *Cabirorum*, quo Samothraces, cultu a Phoenicibus inſtitutos Britannos olim fuiſse; ex Tacito in Agricola in *Siluram* Inſulam, quae una ex Britannicis Solino cap. 22. notatur, *Iberos* veteres trajeciſse, ibique ſedes defixiſse tradente: (quamquam eodem loci Tacitus *Caledoniam* habitantes Germanicae fuiſse originis adfirmare non ambigit); ex Feſto Avieno in Oris Maritim. *Hemilconem* Poenum Carthaginenſis juſsu Senatus *Herculis* freto tranſmiſso, in *Oeſtrymnides* Inſulas, quae ipſaemet *Heſperides* ſunt, enavigaſse ex ipſius Navigationis deſcriptione referente, eoque ideo tempore peractae, quo ab *Hannone* ſua per Africae littora, ideſt Olympiade 118, Chriſti ante natalem anno 308, confecta navigatio fuit. A Phoenicibus denique in *Hiberniam*, ac in *Orcades* Inſulas Colonias fuiſse deductas alias multis arguere pergit eodem loci Bochartus cap.39.ſq. p.654. ſqq.: quamquam e Celtis eò multos olim tranſmigraſse e Caeſare de Bello Gall. haud incongrue colligit Cluverius Introd. Geogr. lib.2. cap.22. p.107. Longe antehac jam vero ex Hiſpania quidem in *Gallias* ab *Hercule*, non utique Graeco, ſed Phoenicio, non per Pyrenaeos, ſed per Mare Liguſticum, ut multis ſuadere nititur Bo-

Bochartus cap.41. ſq. p.656. ſqq., Colonias fuiſse deductas auctor eſt Diodorus lib.4. p.158, ab eo *Aleſiam* Urbem conditam teſtatus. Teſtes accedunt Suidas in Lex. T.II. edit. Kuſt. p.605, ac Stephanus de Urb. V. Νέμαυσος edit. Holſt. p.221. ab *Herculis* filio conditam, ſuoque de nomine *Nemauſum* dictam Urbem referentes. Ab *Hercule* ipſo *Monaeci* haud procul ab Alpibus, propeque Mare in Liguria Arcem, & portum, ad perennem ſui memoriam, fuiſse conſecratum, indeque in Gallias profectionem fuiſse ſuſceptam, haud parva *Dorienſium*, (haud quaquam e *Doride* Graeca, bene vero e *Doro* Phoenices, ut acute advertit Bochartus), ſecum perducta manu, perhibet Ammianus Marcellinus lib.15. Frequentatas exinde Phoenicum in Gallias fuiſse Colonias, Gallorumque plurimos Phoeniciae fuiſse originis id quoque probat, quod in bellis tam Siculo, quam Punico primo, & ſecundo Gallos ſub Poenis ſtipendia meruiſse diſcimus ex Polybio, Livio, & Appiano in Libycis p. 30. Facere & huc priſcum Gallorum ſermonem, quem Phoenicio in pleriſque fuiſse ſimilem oſtendere pergit Bochartus cap.42. p.660. ſqq., prolatis ex *Deorum* nominibus exemplis; qui namque Gallis olim erant *Taramis* Jupiter Tonans, *Heſus* Mars, *Teutates* Mercurius, *Belenus*, ſeu *Abellio* Apollo, ſive Phoebus, *Onuana* Minerva, *Beliſama* Urania, ſive Luna, *Adraſte*, ſive *Aſtarte* Venus, *Diſpater* Jupiter, *Ogmius* Hercules, ii profecto fuere Phoenicibus *Taram* a רעם, quod eſt *Tonare*, Jupiter, *Taautos* עזוז *Hizzuz*, ſeu *Azizus*, *Bel*, ideſt Sol, qui & *Beelſamen*, *Onga*, ſive Ἀθῆνα, ideſt Luna, *Aſtarte*, ſive Ἀφροδίτη, *Dios*, qui & די *Dai*, ſive *Dis*, *Ogmion*, ſive עגמין *Agemion*, quo *Hercules* peregrinus deſignatur. Miſsas facio ceteras plures alias originis Phoeniciae derivationes, quas eodem loci prolixe Bochartus perſequitur, nominum Dignitatum, & Officiorum, Militarium inſtrumentorum, & Armorum, Veſtimentorum, & Ornatuum, Animalium, & Herbarum, Geographicarum vocum &c.; quae ſi veritate nituntur, non erat ſane, cur adeo vehementer in Perionium, ac Henr. Stephanum inveheretur Scaliger in primis p. 93, ideo nempe quod ille in Tract. de Conformit. Linguae Gall. cum Graeca, hic vero in Dialog. de Linguae Gall. origine,

ne, ejuſque cum Graeca cognatione, Graecae linguae propaginem eſse Gallicam exiſtimarint, a Phoenicibus utpote ſuam acceperint Jones.

LXIX. Sed enim tam Hornium, quam Bochartum linguarum Orientalium peritia abuſos litterarum, vocumque allufionibus, & annominationibus plus aequo perſaepius indulſiſse obſervatum eſt viris Eruditis. Et certe nullam in Orbe linguam eſse, quae non voces habeat a variis linguis alias petitas, ab Hebraea praeſertim; Armenicam Bibliorum ad haec Verſionem vocibus abundare Hebraicis, Perſicis, Arabicis, Syriacis, Chaldaicis, ac Latinis non modo, ſed Graecis, Copticis, Scythicis, Turcicis, Germanicis, Polonicis, Gallicis, Italicis &c. obſervavit Andreas Acoluthus Uratislavien. in Epiſtola ad Ludovicum Picqueſium Doctor. Sorbon. apud Longuerue in Adpend. ad Var. Epochas Vet. p.302. Qui ex indicio linguarum Gentium Origines pariter expiſcari conatus eſt, Leibnitius in Deſignatione Meditat. de Orig. Gent. in Miſcell. Berolin. T.III. p.1. ſqq. non advertere nequivit Hebraeae cognatas Arabicam, Phoeniciam, Punicam &c.; Aramaeae, ac Scythicae affines Perſicam, Armenam, Georgianam &c., quae tamen multum inter ſe diſtant, non ſecus ac ab Aethiopica longe Arabica, & Aegyptiaca diſcrepant. A Scytho-Celtis originem duxiſſe Illyricos, Hungaros, Gallos, Hunnos, Germanos, Ruſsos, Polonos, Bulgaros, Gothos, Langobardos, Britannos, Hiſpanos quinimo, Italoſque, recte quidem, poſtremis duobus exceptis, perſuaſum habet, haud probe tamen ex vocibus Populis hiſce frequentatis id conficit, ut quarum plurimas Tartaris quoque, Arabibus, Graecis, Turcis, Georgianis &c. fuiſse communes non videre nequivit. In *Latium* adveniſse Lydos, Abantes, Phryges, Aborigines, Trojanos &c. liquet, e Latinaque derivatas linguas Italicam, Hiſpanam, Gallicam &c. E Graeca, & Hebraica voces pleraſque Germanicas originem duxiſſe oſtendit Friſchius de Orig. Vocab. Germ. eodem Miſcell. Berolin. T.III. p.55. ſqq. In Codice quatuor Evangeliorum Argenteo, ab Argenteis litteris ſic dicto, Upſaliae ſervato, qui fragmentum Verſionis Gothicae ab *Ulfila* elaboratae vulgo creditur, vocabula quamplurima legi paſſim Graeca, Sarmatica, Scythica, Burgundica, Danica, Latina, Barbarica obſervat, eorumque

que plurima expromit exempla Wachterus de Lingua Cod. Argent. Miſcell Berolin. T.II. p.40. ſqq. E Scytharum propagine oriundos, (ſicuti Germanos, Suecos, Gothos, Danos &c. docuit Salmaſius in Helleniſtica Par.II. cap.2.p.366, indeque haſce originem Linguas hauſiſſe), ſic etiam Gallos propagatos, linguam quoque accepiſſe ſcripſit Boxhornius in Originibus Gallicis. Perſicae linguae cum Germana affinitatem ineſſe magnam obſtupuit, multiſque e vocum derivatione productis in medium exemplis obſervavit Lipſius Cent.III. epiſt.44. ad Henricum Schottium, ubi perinde cum Italica, & Latina majorem Germanicae ineſſe linguae cognationem ex vocabulis oſtendit. Eamdem cum Perſica Germanae linguae convenientiam multis oſtendere adgreſſum fuiſſe Elichmannum, morte praeventum vero perficere nequiviſſe, teſtatur Salmaſius in Praefat. ad Tab. Cebetis; quod linguae utrique teſtimonium praebere, vel invitus, productis exemplis, viſus eſt Bochartus in Phaleg, ſive Geogr. Sacr. Par. I. lib. 1. cap. 15. p.61; atque ad utriuſque linguae affinitatem commonſtrandam exemplis congeſtis magno ſe conatu comparavit Morhoffius in Comment. de lingua, & Poeſi Germanica Par. I. cap. 2. p. 30. ſqq. Ad Cognationem aſt enim linguarum adſtruendam non Vocum tantum quarumdam affinitatem, ſed Grammaticae quammaxime rationem conferre rite docuit Jobus Ludolphus in Comment. ad Hiſt. Aethiop. lib.3. cap. 7. p. 442. ſq. Scythicae etſi originis cum aliis Europae Gentibus Hungaros fuiſſe recte modo docuerit Leibnitius, Hungaricam tamen linguam ab Europaeis longe diſtare omnibus demonſtat Belius de Peregr. Ling. Hung. Miſcell. Berol. T. IV. p.198. ſqq. Conferendus etiam, qui pleraque de Vocabulis in diverſis linguis permixtis habet, Illuſt. Huetius Demon Evang. Prop.IV. cap.13. T.I. p.176. ſqq. Et certe veteris Scythicae, unde Germanos, Britannos, Gallos, Belgas, Danos, Suecos, Hungaros, Polonos, Saxones &c. originem duxiſſe, ac Scytharum fuiſſe Colonos longe veri ſimilior opinio eſt, linguae voces longe plures in Celtica hodiedum obtinere lingua Viris doctiſſ. obſervatum eſt, Pezronio Antiq. Celtic., Leviſio Introd. in Hiſt. Britan. cap.4. ſqq., Cambdeno in Britan., Perionio Orig. Ling. Celt., Brervvodo Inquiſ. in Orig. Ling. Celt., Eduardo
in

Digitized by Google

in Specim., Lloydio in Gram., Wotono in Lex., aliiſque: ita e. g. a *Merc*, Magiſtro *Mercurium*, a *Teut*, Patre Populi *Theutatem*, a *Ker* Urbem, a *Sador*, Forti *Saturnum*, a *Coch* Rubrum, Graecis Κοκκὸν, a *Jou*, Deo *Jovem*, a *Guin*, Pulcra *Junonem*, Veteribus *Jolintam*, a *Dhevu*, Splendido *Dieſpiterum* &c. derivaſſe videlicet obſervant; videndique Wolfangus Lazius de Gentium Migrat. lib. 3. p. 57. ſqq., lib. 5. p. 167. ſqq. &c., ac Scriptores Angli Hiſt. Univ. T. XII. Par. II. cap. 12. edit. Ven. p. 30. ſqq.; queis de originibus ſuſius nos alibi.

LXX. Ad Graecas modo in Aegyptum, in Libyamque Colonias tranſductas gradum reflectendo, regnantibus in Aegypto *Pſammethico*, & poſt ipſum *Amoſi*, Babylone *Nabopolaſſaro*, & poſt ipſum *Evilmerodacho*, Medis *Cyaxare*, & poſt ipſum *Dario* Medo, ante Chriſti natalem anno circiter 660, & 550, non *Judaeos* utique, velut eos adverſus Aethiopes a *Pſammethico* accitos falſo ſcripſit Ariſteas de LXX. Interpret., potius enim *Pſammethicus* Judaeorum infenſus fuit hoſtis, ut qui *Azotum* ipſis eripuiſſe, cum ipſiſque bellum ideo geſſiſſe traditur Straboni lib. 16. p. 770, velut oſtenditur Baſnagio Hiſt. Jud. T. VII. lib. 7. cap. 7. p. 152. ſqq., & Bruckero in Hiſt Crit. Philoſ. Per. II. Par. I. lib. 2. cap. 1. de Philoſ. Jud. §. XI. T. II. p. 684. ſq.; ſed *Jones*, *Cares*, *Mileſios* &c., iſtiſque *Arabes* junctos nonnullos, uti teſtantur Herodotus lib. 2. p. 152. ſqq., ac Diodorus lib. 1. p. 48, navibus in Aegyptum appulſos tam *Pſammethico* in regno recuperando, quam *Amoſi* rebelles adverſus Aegyptios magno fuiſſe adjutorio, ideoque ab utroque amplas ad inhabitandum Regiones ad *Nili* oſtia Bolbitinum, & Peluſiacum impetraſſe, ubi ab iis Munimenta condita ſunt, Urbes etiam *Bubaſtis*, *Memphis*, & *Naucratis* aedificatae, qua in poſtrema celeberrimum exſtructum fuit, maximeque frequentatum, Ἑλληνιον inde dictum, Fanum ab hiſce communiter Graecis Civitatibus *Jonum* Chio, Teo, Phocaea, Clazomenis; *Dorum* Rhodo, Cnido, Halicarnaſſo, Phaſelide; *Aeolum*, ac Mytilene; praeterea *Jovi* ab Aeginetis, *Junoni* a Samiis, *Apollini* a Mileſiis, qui imo *Saitidi* ſuere praefecti, Templa fuiſſe aedificata, fidem abunde faciunt Herodotus lib. 2. p. 152. ſqq., 169. ſq., & 179. ſq., ac Strabo lib. 17. p. 801. Ad haec a Mileſiis *Naucratis*

Digitized by Google

cratis Urbs condita ſpeciatim traditur Straboni loc. cit., Suidae Lex. T. II. p.599, Euſebio in Chron. p. 407, ac Stephano de Urb. p. 219. ſq., quem ſua ex Euſebio deſcripſiſſe obſervant Scaliger n.1265, & Holſtenius ibid. in Not. A *Peleo* Achillis patre *Peluſium* exſtructum perhibent Dionyſius Alex. in Perieg. v. 261, Euſtathius ibid. in Schol., ac Marcellinus lib. 22. *Heliopolim* antehac ab *Acte* Heliade *Solis* filio in Aegyptum e Rhodo profecto conditam, deque parentis *Solis* nomine adpellatam, ab eoque Aegyptios Aſtrologiae ſcientiam accepiſſe refert Diodorus lib.5. p.328, qui *Saim* etiam ab Athenienſibus aedificatam ibidem adfirmat. Adhaec *Archandropolis* non longe ab Alexandria condita ab *Archandro*, *Danai* genero, fertur Herodoto lib.2. cap.98, indeque Stephano. Graecos praeterea in Libyam cum pridem, tum poſtea transfretaſſe, Coloniiſque locum quaeſiviſse, defixiſſeque plura demonſtrant. *Iraſam* namque in Libya locum cum Theraeis appulſus *Battus* ibi *Zoam*, quae Num. XIII. 23, Pſal. LXXVIII. 12. 43, Iſaj. XIX. 11. ſq., & Ezech. XXX. 14. a Graecis Interpretibus, & Chaldaeis Paraphraſtibus *Taneos* vertitur, *Pharaonum* Regia, condidiſse fertur Herodoto lib. 4. cap. 155. p. 313. Ab eodem *Batto* e Lacedaemone Theraeis ductis Olympiade 41, Chriſti ante natalem anno 616, ab Excidio Trojae anno 568, *Cyrenes* in Majore Syrti aedificata traditur Herodoto loc. cit., Solino cap. 30, Pauſaniae in Lacon., ideſt lib.3. cap. 14. p.241, Juſtino lib. 13. cap. 7. p. 173. ſq., Straboni lib. 17. p. 575, Dionyſio in Perieg. v. 213, ac Silio lib. 2. v. 60. Quae ab altera diſtinguenda videtur *Cyrene* Urbe Libyae, cui nomen a *Cyrene*, *Hypſei* Lapitharum in Theſsalia Regis filia, inditum fertur Juſtino loc. cit., Apollonii Rhodii Scholiaſti lib. 2. v. 502, ac Stephano de Urb. p. 179: quamvis eam a *Cyrene* fonte patrio dicta refertur Euſtathio in Dionyſii Perieg. p. 32, & Callimacho hymno in Apollin. v. 88. *Batto* porro in Cyrenaico regno poſt annos 40. ſucceſſit *Arceſilaus* filius annis 26, huic *Battus* II; ſub quo nova, ingenſque Graecorum Colonia, e Peloponneſo, & Creta praeſertim, in Libyam delata eſt, a quibus tum Libyes ſuo cum Rege *Adicrane*, tum Aegyptiorum copiae ab *Aprie* Rege pro Libybus adverſus Graecos miſsae praelio ad Iraſam fuſae, pro-

profligataeque fuere, Herodoto loc. cit. referente. *Battum* II. excepit *Arceſilaus* II, ſub quo a Cyrenaeis *Barces*, deinde *Ptolemais* dicta, condita eſt. *Arceſilao* II. ſucceſſit *Aliarchus* frater, huic *Laarchus* Tyrannus, quo interfecto, regnum obtinuit *Battus* III, *Arceſilai* II. filius, poſt hunc *Arceſilaus* III, a quo *Cambyſi* Perſarum regi regnum vectigale factum refert Herodotus loc. cit, quemque in regno excepit *Battus* IV, qui Pindaro in Pyth. ode 4. ſub init. *Alexibius* cognominatus videtur, iſtumque *Arceſilaus* IV, de quo Pindarus loc. cit., ejuſque Scholiaſtes: quo interfecto, *Cyrenes* regnum, quod annos 200. duraverat, in Reipublicae formam mutatum eſt, atque iſthaec in Popularem ſtatum redacta: quae poſtea in Ptolomaeorum in Aegypto imperantium poteſtatem devenit, Strabone lib. 17. p. 837, ac Diodoro lib. 18. p. 602, & lib. 19. p. 719. teſtibus, ac poſtremo a Romanis, queis una cum Libya teſtamento *Cyrenes* a Ptolomaeo *Apione* relicta fuerat, ante Chriſti natalem anno 76, Appiano teſte de Bello Civili lib. 1. p. 420, juncto Juſtino lib. 39. cap. 5, novennio ſerius referente Eutropio in Breviar. lib. 6. p. 436, junctis Sexto Rufo Brev. p. 285, & Ammiano Marcellino lib. 22, ubi videndus Valeſius in Not., ac Uſſerius in Annal. Vet. Teſt. p. 385, a Romanis, inquam, una cum *Creta* in Provinciam tranſmutata eſt.

LXXI. Reſtat, ut de minoris aliis momenti Coloniis ab *Aſia* Majore in *Minorem*, indeque in Graeciam, Italiamque deductis, ante obiter agamus, quam ad earumdem demum Menſes, & Annos pertractandos, enucleandoſque ſe noſtra transferat oratio. Atque primum, ut temporis prioritas, ratioque poſtulat, *Italicis* locum faciendo Coloniis, in *Italiam* porro, cui primum inditum *Tyrrheniae* fuiſſe nomen, ab Hebraeo תירה *Tirath*, qua *Turris* ſignificatur, ut nempe a Turris Babelicae confuſione in Italiam diſperſi aliqui, id Regioni nominis indiderint, voce derivatum opinatus, a *Cetibim* *Javanis* filio, quo de Geneſ. x. 4, omnium primo Colonos olim fuiſse tranſcriptos pugnat Cl. Mazochius in Sylvis Phaleg. Par. I. Sect. 5. p. 249. ſqq., & in Auctario cap. 1. p. 253. ſqq. *Ceteos* nempe in Macedoniam, ac Cyprum, in Myſiam, ac Ciliciam, indeque in Italiam transfretaſſe conjecturis ſuadere

multis enititur: quas & confirmare magis verborum etymologiis, quas Hetruſcas inter, ac Hebraeas voces intercedere multis oſtendit, in differt. 1. de Orig. Tyrrhen., adjunctiſque Diatribis x. Acad. Corton. T. III p. 1. ſqq. ſatagit. Aſt enim a *Jano* omnium primo, (cui a pleriſque extremus alioqui fere locus ſit), & quidem ante Trojae excidium anno 321, juxta calculum Thalli de *Saturni* aetate apud Theophilum Antioch. lib. 3. ad Autolycum §. 29. inter Opera S. Juſtini edit. Pariſ. Maur. p. 399, Bibl. PP. Lugd. T. II. Par. II. p. 194; (quam attamen *Saturni* aetatem, ideoque *Jani*, longe retrotrahendam, annis ideſt 612. circiter amplius bellum ante Trojanum, ad annum hoc eſt ante Chriſtianam Aeram 2000. circiter, ſequentia facile ſuadebunt); quemve non e *Jonis*, *Xuthi* filii, *Hellenis* nepotis progenie ortum, velut ex Herodoto lib. 7. p. 413. contendunt Seldenus in Not. ad Marm. Oxon. p. 154, ac Vindingius in Hellene Antiq. Graec. T. XI. p. 150; nec eumdem cum *Noacho*, velut perſuaſum fuit Annio Viterbienſi, quem ideo reprehendit Gyraldus in Hiſt. Deor. Syntag. 4. Oper. T. I. p. 157, ubi multa de *Jano* congerit; Bolduco de Eccleſia ante legem lib. 2. cap. 7. p. 220, ubi *Janum*, hoc eſt *Noachum* cum *Japheto*, filioque *Javane* poſt Diluvium annorum 100. ſpatio in Armenia manſiſſe ſcribit, inde poſt diviſionem Linguarum in Meſopotamiam transfretaſſe, ibique per annos 175. demoratum, poſtinde in Cyprum Inſulam profectum, ibi poſt annos 75. fini conceſſiſſe ſuo, atque *Japheto*, filioque *Javani* de profectione in Italiam adornanda fuiſſe auctorem; *Janum* vero dictum, atque bicipitem ideo pingi conſueviſſe ſubjungit, quod tam anteriora, quam poſteriora, ante ideſt, poſtque Diluvium, vidiſſet Secula, quodve ſapientia Orientales, & Occidentales rexiſſet partes; Huetio quoque Demonſt. Evang. Prop. IV. cap. 10. §. 6. p. 160, qui ſuper. cap. 9. tamen *Janum* cum *Moyſe* confundere maluit Oper. T. I. edit. Ven. p. 144. ſqq., quos pone ſequi neque dubitavit Henricus Scharbau in Obſervat. Sacr. Par. III. Obſer. 4. de Sacrificio odoris Noachico §. 9. p. 512. ſq.; ſed ex *Javanis*, *Noachi* nepotis, unde *Jonibus* nomen inditum viſum eſt Joſepho Antiq. lib. 1. cap. 7, Euſebio, S. Epiphanio Anacephalaeoſis p. 131, S. Hieronymo, aliiſque,
quos

quos e veſtigio ſequuntur Voſſius de Orig., & progr. Idol. lib. 1. cap. 36. ſqq., Bochartus in Geogr. Sacr. Par. I. lib. 3. cap. 3. p. 153. ſqq., ac Blanchinius Hiſt. Univ. Dec. III. cap. 21. n. 7, & 11. p. 259. ſqq., ſtirpe prognatum contendit cum Voſſio loc. cit. cap. 18. ſqq. Blanchinius cap. 26. n. 5. p. 301. ſq., a *Jano* primum, inquam, e Perrhaebia, in Theſſalia, ſeu Epiro Regione poſita, ductam in *Italiam* fuiſſe Coloniam ex Xenone Hiſtorico apud Macrobium Saturn. lib. 1. cap. 9., & Dracone Corcyraeo apud Athenaeum Dipnoſ. lib. 15. p. 692. colligunt eodem loci Voſſius, ac Blanchinius; quibus ante jam pridem in ſententia praeiverant Goropius Becanus de Origin. Antuerp. lib. 4, ac Roſinus Antiq. Rom. lib. 2. cap. 3. Nempe auctor eſt Xenon a *Jano* omnium primo, qui reapſe *Deorum Deus* in Carminibus Saliaribus vocatus legitur, in *Italia* erecta fuiſſe Templa, & Sacrificiorum ritus fuiſſe inſtitutos: quod argumento eſt *Saturno*, cujuſce de nomine *Saturnia* primum *Italia* dicta legitur Virgilio Geogr. 2. v. 174, & Aen. 8. v. 326, ideſt *Noacho* avo Idololatricum cultum a *Jano* fuiſſe primo delatum. Similia de *Jano* ſcribunt apud Macrobium Q. Fabius Pictor, atque Herodianus in Commodo lib. 1. cap. 18, *Janum* antiquiſſimum Italiae Regem fuiſſe, ab eoque *Saturnalia* inſtituta referens. Draco vero teſtis accedit *Janum* bifrontem fuiſſe, ejus de nomine adpellatum fluvium, ac Montem ab ipſo inhabitatum, ab eoque *Rates* primum inventas. Jam vero *Janiculum* Montem de *Jani* nomine dictum adhuc conſtat, in veteribus vero in Italia, ac Sicilia Nummis excuſis *Ratis* effigies conſpicitur apud Blanchinium p. 296.

LXXII. Atque cum hiſce facili componi negotio queunt Romanarum, atque Italicarum originum, antiquitatumque Scriptores alii, quod difficile alioqui viro doctiſſ. Corradino de Veteri Latio Sacro, & Profano lib. 1. cap. 3. p. 24. ſq. viſum eſt. Nempe Virgilius Aen. 12, v. 529, ibique Servius, eiſque inhaerens Alexander ab Alexandro Genial. Dier. lib. 1. cap. 2. ſcribunt *Murranum* in Latio omnium primum regnaſſe, eoque deinceps de nomine Latinorum Reges *Murranos* fuiſſe denominatos. Virgilius iterum Aen. 7. v. 178. *Sabinum* Latinorum antiquiſſimum Regem adpellat. Sed enim Auctor Originis Gentis Roman., qui Aure-

lius

lius Victor creditur Andreae Schotto, primum in Italiam advenifſe *Janum* perſuaſum habens, Virgilium loquutum explicat de *Saturno* primo Italiae Rege, non qui omnium primus Rex fuerit utique, ſed qui primus e Trojanis advenerit oris: quae de *Saturno* interpretatio verius in *Murranum* quadrat, qui ſcilicet aut primus ex Arcadibus, poſt Epirotarum adventum, in Italiam advenerit, aut in Latio primus omnium, poſtquam in Agrum Romanum pedem *Janus* jampridem intulisset, ſedem defixerit. Atqui praeter Scriptores paullo ſupra laudatos, Plinius lib. 34. cap. 7, & Macrobius Saturn. lib. 1. cap. 9. perhibent *Janum* a Numa ita expreſſum fuiſſe, ut in manu dextera numerum 300, in ſiniſtra 65. tenere conſpiceretur, quod nempe, velut explicat uterque, ac poſt ipſos Roſinus, ac Dempſterus Antiq. Rom. lib. 2. cap. 3. interpretati rite ſunt, anni formam apud Latinos *Janus* omnium primus invexerit, quodque genere Epirota e Perrhaebia in Italiam profectus linguae, vitaeque rationem, quam ipſe a Majoribus acceperat, primus introduxerit, novoſque Colonos ad hominum dignum vitae genus traduxerit, adque Agriculturae, Civiliſque inſtitutionis amuſſim rite compoſuerit: quamvis aliis rationes hujuſce rei aliae proferri ſolent, quas fuſius perſequi non otium eſt. Aſt enim Macrobius iterum Saturn. lib. 1. cap. 7. ex Protarcho Tralliano, & Hygino refert una cum *Jano* pari regnaſſe poteſtate *Cameſem* in Italia, ita ut ab iſto *Cameſene* dicta Regio fuerit, ab illo Oppidum denominatum *Janiculum*, ad quem unum poſtea redactum fuerit regnum. Hiſce paria de *Cameſe* habent Q. Fabius, & Cato, cum *Saturno* Regem facientes *Cameſem*, apud Arnobium, ac Gyraldum in Hiſt. Deor. Syntag. 4. p. 153. ſq., *Janum* vero *Caeli*, & *Hecatis* filium adfirmantes. Haec omnia tamen vel in *Janum* probe quadrant, namque ab eo *Saturno* avo, ſive *Noacho* inſtituta *Saturnalia*, ac duodecim Arae ſunt erectae, quot in anno Menſes inſunt, ejus de ſtirpe deſcendens, *Urani*, ſive *Caeli*, ſive *Solis*, promiſcue namque iſthaec accipi nomina perhibet ibidem Macrobius, & *Hecatis*, ideſt *Lunae*, ſive *Dianae*, quam appoſita D. littera, ex *Jana* effectam poſt Nigidium adnotat Macrobius Saturn. lib. 1. cap. 9, cognominatus eſt filius, ab imperio nempe

in

Digitized by Google

in Italos, quod importat *Hecates* a radice Aramaea אֶחָד *Achad* deſumpta, qua *Dominari* ſignificatur; velut eo nomine Iſajae LXVI. 17. Idolum אחד *Hecatem* deſignatum ab hac radice, qua *Dominium* indicatur, derivato *Achad* vocabulo, ideo quod *Hecates*, ſive *Luna* in Inferiora potiſſime imperium exerceat, perſuaſum habuit David Millius in Diſſert. Select. in Var. S. Script., & Antiq. Orient. capita diſſert. 5. de Idolo אחד §. 6. p. 143. ſq. Vel nihil omnino iſthaec officiunt, quominus in *Janum* dicta probe congruant: Expeditionis enim comes *Cameſes*, de quo *Cameſene* Regio adpellata dicitur, & ipſe genere Epirota, e *Noachi* ſtirpe procreatus reputari tam facile poteſt, quam rite debet: quamquam apud Gyraldum loc. cit. *Cameſem* non Regem, ſed *Jani* ſororem, & conjugem ex vulgata Graecorum opinione refert Leonicus, ex eaque *Janum* filiam *Cliſthenem* ſuſtuliſſe. Sicuti vero a *Sabo*, a quo Lacedaemone in Sabinam educta Colonia fuerat, omnium primo denominati *Sabini* Populi ſunt, ipſorumque perinde Reges; ſic a *Morgete* Latii in parte Rege, ex *Oenotri* ſtirpe, cognominatos poſt ipſum fuiſſe in quadam Latii Regione imperantes Reges *Marganos*, ſive, uti Virgilio placuit, *Murranos*, pronum eſt putare: quos ſecundo tamen loco poſt Epirotas, pedem in Italiam ex Arcadia intuliſſe, ſecundaeque Italorum Regum Dynaſtiae locum feciſſe, confeſtim oſtendere adgredior.

LXXIII. Omnium primos viciſſim *Italiae* partem a Terracina, & Circejo, quo vetus terminabatur *Latium*, ad Campaniae Sinueſſam inhabitaſſe *Auſones* Graecis, *Auruncos* Latinis dictos, *Auſone* duce, ex Servio ad Aen. 7, v. 38, Phavorino apud Gellium Noct. Attic. lib. 1. cap. 10, Feſto V. *Auſonia*, Dio Coccejano apud Iſaacium Tzetzem in Lycophron., Curio, Fabritio, Coruncano, aliiſque apud Macrobium Saturn. lib. 1. cap. 5. colligunt Bochartus in Geogr. Sacr. Par. II. T. II. lib. 1. cap. 33. p. 589. ſq., & Ryckius in diſſert. de Primis Italiae Colonis ad calcem Stephani Byzant. de Urb. cap. 2. p. 409. ſeq. *Auſonem* porro, non *Ulyſſis*, veluti Feſto p. 257, & Marciano in Periplo p. 10. viſum, ſed *Atlantis* Promethei fratris filium cum Stephano apud Euſtathium in Dionyſium Alex. Perieg. v. 78, ideoque Trojano bello annis 384. anteriorem, credidit Ryckius, *Auſones* vero ab eo in Italiam e Scythia eductos ſuſpicatur, conjectura,

ctura inde ducta. quod *Auſones* olim *Opicos*, ſeu *Oſcos* etiam adpellatos obſervat Antiocho Syracuſano apud apud Strabonem lib. 5. p. 242, & Ariſtoteli Polit. lib. 7. cap. 10, ab *Opicis* vero prognatos *Sidicinos*, *Sabinos*, & *Samnites*; a Sabinis vero *Picentes*, *Veſtinos*, *Marrucinos*, *Pelignos*, *Marſos*, *Aequos*, & *Hernicos*; a Samnitibus *Lucanos*, *Hirpinos*, *Campanos*, & *Ferentanos*; a Lucanis *Bruttios*; a Campanis *Mamertinos*: *Opicam* vero linguam, qua Siculos aliquando uſos conſtat ex Platone in epiſt. 8. ad Dionis propinquos, ac Stephano de Urb. V. Γέλα p. 82, (conferendo quoque V. Ὀπικοὶ p. 237, ubi ex Eudoxo refert *Auſones*, *Auruncos*, & *Opicos* unam, eamdemque inter ſe tam lingua, quam habitatione confuſam Gentem, permixtamque fuiſſe, quocumque faciunt Ariſtides Quintilian. de Muſica lib. 2. p. 72. *Opicos* cum *Lucanis* confundens, & Servius ad Aen. 7. v. 730. *Oſcos*, & *Opicos* poſtea *Capuenſes* adpellatos perhibens a Serpente, qui Graecis Ὄφις dicitur, quod illic plurimi abundarent: quamvis Gellio lib. 13. cap. 9. ex Tyrone Ciceronis liberto, & lib. 11. cap. 16. *Opicus* pro *Ruſtico* poſitus legitur, qua de *Opici* voce plura Cluverius Ital. Antiq. lib. 3. cap. 9. p. 1056, & Holſtenius in Not. ad Steph. loc. cit. p. 237.), *Opicam*, inquam, linguam nihil cum Hebraea, Phoenicia, & Graeca habuiſſe commune, ex Grammaticis eodem loci Ryckius multis oſtendit. Quod vero Scytharum genus fuiſſe *Cyclopas*, ac *Laeſtrygonas*, quos in Sicilia, & Italia habitaſſe adfirmant Plinius lib. 3. cap. 5, & lib. 7. cap. 2, Solinus cap. 8, Marcianus lib. 6, Silius lib. 14. v. 127, Tzetzes ad Lycoph. v. 662, & Horatius lib. 3. ode 17, ubi *Lami* Regis Laeſtrygonum ex Homero meminit: quodque denique genere Scytha *Prometheus* ſiquidem fuerit, Herodoto, & Agroeta teſtibus apud Scholiaſtem Apollonii lib. 2. v. 121, inde colligit, quod Scythicae pariter originis fuerint *Promethei* frater *Atlas*, filiuſque *Deucalion*, atque *Atlantis* quoque filius *Auſon*. Verum fieri potuit, ut quo ab *Atlante* in Africam, a *Deucalione* in Theſſaliam, & ab *Auſone* in Italiam eductae Coloniae ſunt, eodem tempore a *Prometheo* in Scythiam altera deducta Colonia ſit, indeque a mora ibi defixa, atque a Scythico ibidem Regno inito *Scytha* dici *Prometheus* exinde potuerit, indeque errandi anſam ceperint Scriptores illi, *Auſones* ideſt Scythas genere exiſtimandi. Enim vero ab Aegypto, ſeu Arabia, ſive Aethiopia a *Deucalio-*

Digitized by Google

calione Coloniam delatam fuiſſe veri longe ſimilius, aut ego fallor, ſuper. §. XIII. oſtendimus; *Laeſtrygones* vero genere potius Libycos fuiſse docent liquido Diodorus lib. 20. p. 778, Euripides de *Lamia*, Scholiaſtes Ariſtophanis ad *Pacem* p. 680. ſq., & ad *Veſpas* p. 504. ſq., Heſychius, ac Duris lib. 2. Rerum Libycar. apud Suidam in Lex. V. Λαμία T. II. p. 412. ſq., ubi *Lamum* Ἀνθρωπόφαγον Regem, ac *Lamiam* Monſtrum humanae carnis avidum effictum Libycae originis eſse condocent, quam etiam *Beli*, ac *Libyes* filiam tradunt Phavorinus, & Alciatus in Parergis lib. 8. apud Gyraldum in Hiſt. Deor. Syntag. 15. Oper. T. I. p. 447. Scythas adhaec navigationis expertes longo terrarum, qui a Boſphoro Cimerio ad inhabitandum ſponte patebat, relicto tractu, in Italiam facto agmine ſe effudiſse quis credat? Quiſve non videat *Jaones*, *Auſones*, *Jones* voces inter ſe eſse ſimillimas, ideoque *Auſones* eoſdem prorſus ipſos fuiſse *Jones*, quos e Jonia, ſeu Epiro e *Javanis* poſteris *Janus* in Italiam deduxit? Junge, quod Ariſtoteles Polit. lib. 7. cap. 10. auctor eſt ab *Oenotriis* exortos eſse tam *Chaones*, qui Italiam inhabitabant ad Japygiam, ac Jonium, quam *Opicos*, quos & *Auſones* dictos adfirmat, *Italos* deinde ab *Italo* Rege *Oenotriae*, qui ad Hetruriam incolebant: quamquam & *Chaones* eoſdem, ac *Auſones*, diſtinguendos vero ab *Oenotris*, hiſque antiquiores habendos, ex dicendis mox adparebit.

LXXIV. Quemadmodum ergo, qui primi in Italiam ex Epiro, ſive Jonia, ſive Theſſalia a *Jano* deducti ſunt, indiſcriminatim ii *Chaones*, *Auſones*, *Jaones*, *Jones*, *Opici*, *Oſci* &c. dicti ſunt, ſic qui poſtea ex Achaja, ſeu ex Arcadia in Italiam, *Oenotro* duce, tranſmigraſſe feruntur, promiſcue *Arcades*, *Aborigines*, *Japyges*, *Oenotrii*, *Itali*, *Morgetes* ſunt denominati. Nempe *Pelaſgi* I. Arcadiae Regis ex *Lycaone* patre nepos *Oenotrus* ante bellum Trojanum anno 459. juxta Cluverium Ital. Antiq. lib. 4. cap. 16, aut 322. juxta Ryckium de Primis Ital. Colon. cap. 4. p. 418, ex Arcadia Colonos in Italiam eduxiſſe fertur Antiocho Syracuſano, Pherecydi Athenien., Varroni, Portio Catoni, & Cajo Sempronio apud Dionyſium Halicar. lib. 1. p. 8. ſqq., quibus jungendi Pauſanias in Arcad., ſive lib. 8. cap. 3. p. 603, eam Italiae partem, quam *Oenotrus* inter

Lametinum, & Scyletinum ſinum occupavit, ipſius de nomine *Oenotriam* adpellatam fuiſſe adfirmans; falſo tamen ſubjungens hanc primam a Graecis deductam fuiſſe Coloniam, quae poſterior ſane fuit ea; quam a *Jano* ſuperius eductam vidimus; ac Nicander apud Anton. Liberalem cap. 30. ſq. ab *Oenotriis*, ſive a *Japygibus* veteres *Auſones* ſedibus fuiſſe pulſos referens. Horum teſtimonio ſuffultus Dionyſius ab *Arcadibus* in Italiam deductis ab *Oenotro* non alios fuiſſe veteres Italiae Incolas *Aborigines* exiſtimat; ab Arcadibus Urbes in excelſis aedificatas *Arces* denominatas adfirmat, quarum rudera ſua adhuc aetate quaedam in Apennino, qua Latium reſpicit, conſpicua refert, hodieque dum qua Reatinum ſpectant agrum, conſpicienda ſe praebent; ab excelſis item locis initio ad inhabitandum delectis *Aborigines* nomen accepiſſe ſubjungit: quem ideo haud recte reprehendit Ryckius capp. 1, 3. ſq., quod ab *Arcadibus* indiſtinctos *Aborigines* reputaverit, nihilque profert, quo in Dionyſii ſententia abſurdi quidpiam indicetur, ab eaque nos abſcedere cogat. Quin ex eodem Antiocho Syracuſ., qui anno circiter U. C. 350, Chriſti ante natalem 404. ſcribebat, ut notavit Voſſius, referunt Dionyſius Halic. p. 7. ſq., Ariſtoteles Polit. lib. 7. cap. 10, Strabo lib. 6. p. 255. ſqq., ac Stephanus de Urb. p. 3. ab *Oenotro* eum primum in Magna Graecia occupatum fuiſſe tractum, qui inter Lametinum, & Scyletinum ſinum extenditur, ſuo de nomine *Oenotriam* inde vocatam; poſtea ſub *Italo* ejuſdem *Oenotriae* ſtirpis Rege extenſis uſque Tarentum, ac Poſidoniam, ſive Paeſtum terminis, de ſuo deinceps *Italiam* nomine indigitatam, qui tractus poſtea *Bruttii* cognomen ſub *Dionnyſio* Tyranno obtinuit; poſt *Italum* regnum obtinuiſſe *Morgetem*, eodem *Oenotri* genere prognatum, a quo plane amplificatum Regnum uſque Samnium, ac in Siciliam docent nos tam *Margantiae*, Stephani Epitomatori *Morgentiae*, nec non *Morgentium* Urbis dictae, in Samnio conditae, Livio teſte lib. 10. cap. 17. ſq., & *Murgentii*, Diodoro lib. 14. cap. 96. *Morgantinae* denominatae, ſupra oſtium Symaethi prope Mare conſitae, Strabone lib. 6. p. 186, Diodoro loc. cit., ac Plinio lib. 3. cap. 8. tradentibus, nomen a *Morgete* dubio procul derivatum; quam novum ſub *Morgete* inditum *Siciliae*

no-

nomen; ad *Morgetem* quippe, novis in Italiam cum Colonis poſtquam adveniſset *Siculus*, hunc Roma profugum, (inde ſcilicet a veteribus *Auſonibus* ibi degentibus expulſum intellige), veniſse, eique ad inhabitandum a *Morgete* locum conceſsum, atque de *Siculi* nomine deinceps *Siculos* fuiſse denominatos ex Antiocho Syracuſano tradit Dionyſius Halic. lib. 1. p.44: quo loci ex hujuſce fide obſervat antiquam quamdam Trojana ante tempora *Romam* jam extitiſse, utrum autem eodem loco ſita fuerit, ubi nunc habitatur, ignorare ſe fatetur. Atque hanc ex Arcadibus ſecundam Latinae Gentis originationem confirmant adhuc tam Oraculum *Pici* antiquiſſimum, quod e Columna lignea a *Pico* ave, ſive *Grypho* edi in Triora, quae a Reate verſus Latinam viam ſtadiis 40. abeſt, alias *Matiera* dicta, conſueviſse ferunt apud Dionyſium Halic. lib. 1. p.9; quod Oraculum non abſimile Jovi *Dodonaeo*, ubi e Quercu *Columba* vaticinari ſolita ferebatur, adfirmat ibidem Dionyſius, quod potius ex Epiro ab Arcadibus, (niſi prius a *Jaonibus* quis putet), translatum videri poteſt; quam ſimile aliud *Fauni*, alias *Pani* dicti, ac *Silvani* Servio ad Aen.6, Calpurnio Eclog.1.v.33, Lactantio de Falſa Relig. lib.1.p.81, & Auctori orig.Gen.Rom., Oraculum in Laurentino Agro, eidemque *Fauno* in colle Palatino fanum ab Arcadibus erectum, cultuſque a *Pane* apud Arcades antiquiſſimo eò translatus, ut fidem abunde faciunt Dionyſius Halic. lib.1. p.19, Livius lib. 1. cap. 3, Varro de Ling. Lat. lib.4, Juſtinus lib.43. p.373. ſq., & Macrobius lib. 1. Satur. cap.22, comprobatque Lapis apud Ligorium in Mſs. Othobon., ubi *Silvano Sancto Fauno, & Pico Sacrum*, dicatus ideſt locus legitur. Quo ſane fit, ut cum Lactantio loc.cit. tam *Picum*, quam *Faunum* ex Graecorum *Jove Dodonaeo*, ac *Licaeo Pane* confictum apud Latinos exiſtimaverit Voſſius de Idolol. lib. 1. capp.9,& 12; ante quem imo pridem *Panem* eumdem cum *Fauno*, atque *Jove*, ejuſque Religionem ex Arcadia in Italiam fuiſse inlatam adnotatum eſt Probo in Virgil.Georg., ac Servio ad Aen. 6, videndique Gyraldus in Hiſt.Deor. Syntag. 15. p.451, Huetius Demon. Evang. Prop. IV. cap.9. §.4. T.I. p.147. ſq., Roſinus Antiq. Rom. lib.2. cap.20, & lib.3. cap.2, ibique Dempſterus p.270. ſqq., Caſalius de Urbe Rom. lib. de Sacrif. cap.2, &

Ortelius de Deor., ac Dear. capitibus lib.2.fig.33. Antiq. Graec. T. VII. edit. Ven. p. 281.

LXXV. Paullo retro nunc flectendo veſtigia, a *Pelaſgis* occupata Peloponneſo, inde poſtea Coloniae per univerſam Graeciam diffuſae leguntur, in Doridem, Theſſaliam, & Aeolidem, apud Herodotum lib. 1. p. 23, & lib. 7. p. 470, Strabonem lib. 5. p. 220. ſq., ac Dionyſium Halic. lib. 1. p. 6. ſqq., 10. ſqq., in Thraciam, Boeotiam, & Atticam, teſtibus Strabone lib. 9. p. 397, 401. ſqq., Diodoro lib. 19. p. 696, & Herodoto lib. 8. p. 542. Qui ex Attica pulſi in Lemnum Inſulam, Helleſpontum, Placiam, Lariſſam, Jonicam Oram, viciniaſque Inſulas Samothraciam, Cretam, Samum, Imbrum &c. ſe ſe effundentes gentilibus eas ubique replevere: queis de Herodotus lib. 1. p. 23, lib. 2. p. 123, lib. 7. p. 432. ſq., & 470, Strabo lib. 5. p. 221, lib. 13. p. 620. ſq., Thucydides lib. 4. p. 325, ac Dionyſius Alex. Perieg. v. 534. Poſthac ab Haemonia, poſtea Theſſalia dicta, pulſos a *Deucalione* Pelaſgos, ex his alios Cyclades Inſulas petiiſſe; Haeſtiotidem, Olympo, & Oſſae ſubjectam hoc eſt Regionem, invaſiſſe quoſdam; alios Boeotiam immigraſſe; Phocidem, & Euboeam quamplures occupaſſe; multo plures in Aſiam penetraſſe, inque Maritima circa Helleſpontum loca, praecipue Lesbum irrupiſſe; partem vero longe maximam Dodonam ad conſanguineos commigraſſe, ſed poſtea, creſcente multitudine, ſe ibi conſiſtere non poſſe videntes, *Italiam* petiviſſe, ac primo Hadriaticum Mare tranſgreſſos, ad *Spinetium* unum e Padi oſtiis VII. extremum, quod prope Ravennam exit, quo de Strabo lib. 6. p. 148, ac Plinius lib. 3. cap. 16, *Spina* condita a *Diomede*, (videnduſque Mazochius Spicileg. Bibl. diſſert. 2. de ſeptem Maribus Hetruriae ſect. 3. p. 186, de ſeptem Padi oſtiis prolixius agens, ſicut & in Diatriba I. adnexa diſſert. I. de Orig. Tyrrhen. Acad. Corton. T. III. p. 21. ſqq.); Urbe, ſuperatis poſtinde Apenninis, *Umbrorum* regionibus incubuiſſe, ſed ab his rejectos contuliſſe ſe in *Aboriginum* terras, atque ab his in Agri partem fuiſſe receptos; tumque demum junctis utrinque armis, viribuſque *Siculos* Italia pepuliſſe, iſtoſque ſedibus excedere compulſos, in *Siciliam* transfretaſſe, auctores ſunt Antiochus Syrac., Hellanicus, Varro,

Lu-

Lucius Mamilius apud Strabonem lib.6. p.257, Dionyſium Halic. lib.1. p.10. ſqq., & Macrobium Saturn. lib. 1. cap. 7. Quo tamen id factum tempore, neque convenit, neque liquido conſtat: id namque ex Thucydide multis poſt res Iliacas annis; ex Philiſto Syracuſ. ante bellum Trojanum anno 80; ex Hellanico Lesbio Trojanum ante bellum aetate tertia, *Alcyonis* apud Argos Sacerdotii anno 26, ante bellum Trojanum anno 150. circiter ideſt, conſignat Dionyſius Halic. loc.cit. p.13. ſq. Verum longe ante ſub *Deucalionis* Diluvio id contigiſse, ideſt ante Trojae excidium anno, vel 344, ut ipſe Dionyſius, & Euſebius ſtatuunt, vel 320, veluti Vetus Chronographus apud Clementem Alex. habet, vel 300, uti verius Thucydides lib.6. p.412. decernit. *Siculos* hoſce porro Italia pulſos genere fuiſse *Auſones* ſcripſit Hellanicus; fuiſse *Ligures* verius habent Philiſtus, ac Dionyſius: *Siciliam* vero tum inhabitantes *Sicanos*, a quibus *Sicania* dicta eſt, quae prius *Trinacria* dicebatur, genere fuiſse *Hiſpanos* a Liguribus paullo ante fugatos: qui *Ligures* & ipſi a *Pelaſgis*, & *Umbris* expulſi, in *Siciliam* profugi, *Siculorum* adſumpto nomine, de ipſo perinde *Siciliae* adpellationem feciſse leguntur apud Dionyſium Halic. eodem loci. Quamquam veteres *Siculos*, qui poſt ex Italia pulſi in Sicaniam irrupere, *Sicelos* tum adpellatos, non alios fuiſse, quam *Cilices*, qui veteribus e *Ceteis* & ipſi prognati, e Myſia una cum *Ceteis* aliis in Italiam tranſmigrarint, ibique ex *Cilicum* vocabulo *Siceli* effecti fuerint, opinatus eſt Vir Doctiſs. Mazochius in Sylvar. Phaleg. auctario de Cetthim Italicis cap. 1. p.253. ſq.

LXXVI. Eadem ſub aetate *Deucalionem* ingenti Cataclyſmo relictum, una cum uxore *Pyrrha*, fuiſse in altiſſimo Siciliae Monte *Aetna* refert ex Nigidio Commentator Germanici Caeſaris in Arati Phoenom. inter Aſtronomicos Vet. p.118, & apud Fabricium Bibl. Graecae T.II. p.456. Quae ſi veritate nititur narratio, conjecturam inde capere liceret, e Theſsalia jam tum Coloniam, ingruente diluvio illo, a *Deucalione* in Siciliam fuiſse tranſfuſam, atque Siculis illis fuiſse permixtos, qui Italiae finibus a Pelaſgis, & Aboriginibus fuerant abacti. Sub idem ferme tempus e *Lydis* rurſus, quos cum Pelaſgis multi

ti permiſcent , *Tyrrheno*, qui *Atys* Lydiae Regis ſexti poſt *Lud* Semi filium fertur filius, ac *Lydi* frater Straboni lib. 5. p.219. ſq., *Manae*, ſive *Maeonis*, qui poſt *Lud* ſecundo in Lydia regnavit loco, filius traditur Herodoto lib. 1. cap. 94, *Cotys*, qui *Maeonis* filius, & *Atys* pater fuit, dicitur filius, ac *Maeonis* nepos Dionyſio Halic. lib. 1. p.16.ſq., ubi aliis *Tyrrhenum Herculis* filium, aliis filium *Telephi* fieri, veniſſeque poſt Trojam captam in Italiam refert, Marciano in Περιηγ p.9, ac Dionyſio Alex. Perieg. v.348. ſqq., *Tyrrheno*, inquam, duce in Italiam eductam fuiſſe Coloniam, quae ex Graecanicis quarta haberi debet, in eamque, quae utraque parte Apennini ad dexteram exporrigitur Tiberis ripam, perhibent Scriptores modo laudati, queis jungendi Xanthus Lydius apud Athenaeum lib. 12. p.515, quamvis is Dionyſio Halic. loc. cit. nihil hacce de re litteris tradidiſſe dicatur, Hellanicus, & Varro apud eumdem Dionyſium ibid., Timaeus Siculus apud Tertullianum de Spectac. cap.5, Scymnus Chius in Fragm. v. 224. ad Stephani calcem de Urb., Plutarchus Quaeſt. Rom. p. 277, Appianus in Punicis p.35, Silius lib.4. v. 721, Virgilius Aen. 2. v.781, & 8. v.478, Servius ibid., Plinius lib.3. cap.5, Vellejus lib. 1. cap.3, Tacitus Annal. lib.4. cap.65, & Macrobius Saturn. lib. 1. cap.7, ac lib.5. cap. 18, ubi ab illis erectas primum *Diti*, ac *Saturno* Aras, feſtaque *Saturnalia* primum inſtituta fuiſſe, atque ex Hygino lib.2. de Urbib. *Hernicos* a Pelaſgicae, (cum Pelaſgis, ut vides, Lydos, ſive Tyrrhenos confundit Macrobius, ſicuti Tyrrhenos promiſcue Hellanico Pelaſgos, Myrſilo Pelargos fuiſſe vocatos adnotavit Dionyſius Halic. lib. 1. p. 17.), Coloniae duce *Hernico* progenitos, adpellatoſque refert: quam in rem conferendi Bochartus in Geogr. Sacr. Par.II. lib. 1. cap.33. p.582, ubi hanc Hetruſcorum & ipſe agnoſcit originem, ac Fullerum in Miſcell. Sacr. lib. 1. cap. 11. eorum Phoenicium eſſe genus opinatum refellit; atque Mazochius in Diſſert.I. de Orig. Tyrrhen., & diſſert.5. ad Gen. x, ubi Tyrrhenos origine Chananaeos facit. Ut vero miſſa faciam, quae de Hetruſcis antiquitatibus, & originibus litteris demandarunt Annius, Poſtellus, Inghiramius, Baldus &c., quibus a *Japheto* originem Hetruſcos traxiſſe, Hetruſcaſque litteras ex He-

braicis

braicis derivatas perſuaſum eſt, a quibuſve producta Fragmenta pro figmentis habuere Leo Allatius, Richardus Simonius Bibl. Crit. T. II. cap. 4. ſq. p. 87. ſqq. &c., pro germanis vero recipere haud dubitaverunt Paſſerus, Bourguetius, Olivierius, Gorius &c., queis de Proleg. I, a Fulleri, qui Crit. Sacr. edit. Francof. T. VII. p. 24. ſq. ab Aſſyriis *Tyrrhenos* originem traxiſſe ſentit, opinione haud procul abſuit Vir Clariſs. Scipio Maffejus in Origin. Hetruſcis, ac Latin., ex Italico Latine factis a Joh. Georg. Lottero Lipſ. 1731, ubi cap. 4. p. 19. e *Chananaeis* exortos inde cenſet *Hetruſcos*, quod veteri utriſque in more poſitum fuerit Divinationibus operam dare: (quamquam quae de arte Divinandi apud Hetruſcos, deque ejuſdem inventore *Tage* Hetruſcis tradi ſolebant, ad fabulas amandare haud dubitarunt Plinius lib. 28. cap. 2, & Ammianus lib. 21, videndique Dempſterus ad Roſini Antiq. lib. 3. cap. 8. ſqq. p. 276, ac Bruckerus Hiſt. Crit. Philoſ. T. I. lib. 2. cap. 10. de Philoſ. Hetruſc., & Rom. p. 342. ſq.); cap. 6. p. 22. quod Chananaeae, & Hetruriae tam inter fluvios *Arnones*, quam inter Urbes *Ethroth* Num. XXXII. 34. ingens cognatio intercedat, & cap. 7. p. 24. quod inter utramque linguam concentus, & affinitas conſpiciatur: (quamvis hoc argumenti genus ex linguarum vocibus affinibus petitum, quod etiam fuſe proſequutum fuiſſe Mazochium ſupra diximus, exigui eſse ponderis ſuperiori §. palam eſt factum); cap. 20. ſq. p. 35. ſqq. quod Gentem inter utramque conſonantia magna adpareat in Ritibus, in Moribus, Inſtitutiſque, atque in iis quammaxime, quod Hetruſci pridem in duodecim Populos fuerint diſtributi. Hiſce porro Maffei conjecturis utraque plaudere haud ambegit palma Henr. Scharbau in Obſerv. Sacr. Par. II. Obſerv. XIV. de Collatione Palaeſtinae cum Atlantico Platonis §. 10. p. 414. ſq., hoc ipſo interpretandi genere valdequam & ipſe delectatus.

LXXVII. Prolixiori ſed enim in Hetruſcas origines, antiquitateſque opera impenſa Franciſcus Marianus Viterb. Vaticanae Bibl. Scriptor Graecus lib. de Hetruria Metropoli cap. 2. ſq. cum Aegidio Viterb., Guillelmo Poſtello, Paulo Merula, & Athan. Kirchero, queis adjungendum Nicol. Fullerum indicabam, *Hetruſcorum* originem ab Aſſyria petendam autumat. E Lydis quidem Hetruſcos poſt etiam profectos haud inficiatur,

a *Lud*

a *Lud* ideſt poſteris, ab Hebraeo לוד *Lud*, ſive ילד *Illed*, quod in *Pibel* eſt *Obſtreticari*, derivato verbo, ſed *Hetruriam*, dictam olim *Athuriam*, mutato A in E, ac E, ſeu A omiſſo, *Turrheniam*, ac *Tyrrheniam*, unde *Hetruſci* denominati *Turrheni*, ſive *Tyrrheni*, ſive *Tirribini*, Straboni lib. 16, Dioni in Trajano, ac Suidae V. Νίνος, *Aſſyriam* ideſt primo adpellatam pugnat, ita ut ab *Aſſure* nempe *Lydi* fratre, dicto etiam *Thura* Auctori Chron. Alex. edit. Pariſ. p. 37. ſq., Ven. p. 31, Joh. Malalae in Chronog. lib. 2. edit. Ven. p. 7, Cedreno in Comp. Hiſt. Byzant. T. VII. p. 15. ſq., Suidae Lex. T. II. p. 200, ac Etymologico Magno, uti viderunt Hornius in Sulpit. Sever. §. 84, Salmaſius in Solinum p. 1235, Bochartus in Geogr. Sacr. Par. I. lib. 2. cap. 4. p. 73, ac Sevinus in Monum. Acad. Inſcript. T. IV. p. 479, quem *Thuram* etiam ab *Italo*, unde *Italiae* nomen inditum, indiſtinctum credit Marianus, accepto nomine, (quod neque tamen ab *Atys*, ſive *Atuis* Lydi derivari nomine potuit), ab *Aſſure*, inquam, omnium primo e Chaldaea ducta in Hetruriam Colonia fuerit, inditumque Regioni *Athuriae*, ſeu *Hetruriae* cognomen. A *Tyrrheno*, Herodoto *Turſeno*, Xanti, ac Stephano *Torebo* dicto, Lydo poſtea novam perductam Coloniam ultro concedit, deque ſuo novum inditum Hetruſcis nomen. E *Tyrrheni* perinde Lydi ſtirpe progenitum *Atlantem* Italum pergit oſtendere cap. 25. ſq. patrem *Electrae*, e qua procreati a *Jove Jaſius*, & *Dardanus*, poſtea vero a *Jaſio* ex *Cybele* genitus *Corybans*, inde poſtmodum in Phrygiam transfretaſſe traduntur Virgilio Aen. 8. v. 134, & Diodoro lib. 6. cap. 11; quae conjectura inde firmari videtur, quod *Atlantis* frater *Heſperus* fertur, de quo *Italia* pridem *Heſperia* nuncupata notatur Servio ad Aen. I. v. 531. Confirmare rurſus iſtud e Lydis Hetruſcorum genus inſigne Aeneum Monumentum Hetruſcum apud Sponium in Miſcell. Erud. Antiq., & Montfauconium in Antiq. Explic. T. I. Par. I. Tab. LIII. p. 105, in quo figurae *Iſidis*, & *Oſiridis*, ſive *Apollinis*, ac *Cybelis*, ſive *Solis*, & *Lunae*, (ita namque promiſcue horum Idolorum apud Aegyptios, Graecos, atque Romanos tam nomina, quam figuras, ac ſymbola fuiſſe accepta ex Plutarcho de Iſid., Diodoro, Apulejo de Aſino lib. 10, Horoapolline, Macrobio Satur. lib. 1. cap. 11. &c. oſten-

dunt

dunt Gyraldus in Hiſt. Deor. ſyntag. 12. p. 383. ſq., Sponius in Rei Antiq. ſelect. Quaeſt. diſsert. 21. Antiq. Graec. Suppl. Poleni T. IV. p. 527. ſqq., Jablonskius in Panth. Aegypt. Par. I. lib. 2. cap. 1. p. 122. ſqq., & Par. II. cap. 1. p. 2. ſqq., noſque fuſius alibi), conſpiciuntur, atque Inſcriptio legitur, quam *Pelaſgam*, ex linguaque Pelaſga interpretatus eſt Ludovicus Bourguetius Neocomenſis profeſsor Bibl. Ital. T. III. Art. 8. p. 174. ſqq., ac T. XIV. Art. 1, de eadem ſuſpicatus etſi valde ſit Annibal Olivierius in Explicat. Monum. quorumdam Veter. Pelaſgorum Piſauri 1735.

LXXVIII. Atque hae quidem ingenioſae utique Mariani conjecturae in tanta rerum, ac temporum obſcuritate, ac vetuſtate, non erat ſane, cur Anonymo Mediol. Ital. Med. Aevi ſtomachum adeo moverent, neque niſi unius Annii Viterb. fabulas ſaperent. Quamquam ego quidem Viro doctiſs. de Orig. Hetruſcorum, ſive Tyrrhen. p. 9. ſqq. adverſus aemulum in Adpend. ad Hetruriae Metrop. diſputanti, ubi *Camesen*, quem cum *Jano* adveniſse in Italiam Protarchus, & Hyginus apud Macrobium Satur. lib. 1. cap. 7. ſcripſere, eumdem cum *Chamo*, non ſecus ac *Pane* eſſe, atque Sabinorum *Samum*, *Deum Fidium* autumat, *Janum* vero indiſtinctum ab *Oenotro*; neque ex Arcadia in Italiam, ſed ex *Achad* Babyloniae Urbe adveniſſe cenſet, ut non aſſentiar, ea ſane efficiunt, quae ſupra de *Jano*, *Camese*, & *Oenotro* diſputavi; quam ipſam conferendus in rem Cl. Blanchinius in Hiſt. Univ. cap. 26. p. 340. ſqq., & cap. 32. p. 550. ſqq. de Hetruſcis originibus abunde diſputans: neque perſuaſum habere queo, ut ampliſſimis, vacuiſque derelictis Aſſyriae Regionibus, longiſſimis itineribus *Chamus* Italiam petere voluerit. *Panem* quod attinet, eum non in Aſſyria, ſed in Aegypto cultum eximie fuiſse, eique Urbem in Thebaide *Panoplim* dedicatam tradunt Herodotus lib. 2. cap. 91. Diodorus lib. 1. cap. 18, & Plutarchus de Iſid. p. 356, *Oſiridis* in expeditione ſocium *Panem* fuiſſe referentes; *Panoplim* vero Graece, *Chemmim* Aegyptiace dictam adfirmantes. Quamvis autem a *Panopli* diſtinguendam eſſe *Chemmim* ex Herodoto loc. cit., inter *Panoplim*, & *Chemmim* Nomum Coptitem interjeciſse, *Chemmi* vero *Perſeum* cultum indicante, ac Ste-

phano utramque ſeparatim Urbem exponente, haud fruſtra pugnet Cellarius in Geogr. Antiq. T. II. lib. 4. cap. 1. §. 14. p. 823, *Panoplis* attamen a *Chemmi* etſi detur indiſtincta, veluti datur Marshamo in Can. Chron. Seculo XV. p. 401, ac Jablonskio in Panth. Aegypt. lib. 2. cap. 7. §. 10. p. 290, non inde fit ſane, ut cum *Chamo* idem fuerit *Pan*, quem Idolum fuiſſe, non *Lunae*, uti ſcripſit Stephanus de Urb. p. 242, ſed *Solis* oſtendunt Pocockius Obſervat. de Aegypto lib. 2. cap. 2. p. 77, ac Jablonskius loc. cit. p. 292. ſq. Auctores nempe Scriptores Arabes ſunt Macriſius apud Vanslebium in Hiſt. Itin. Aegypt. p. 5, Murtadius in Admirandis Aegypti edit. Vattierii p. 116, Gellaleddinus apud Kircherum Oedip. T. I. p. 28. ſq., ac Leo Africanus in Deſcript. Africae p. 724. quatuor a *Mizraimo* procreatos fuiſſe filios, *Iſchem*, *Atrib*, *Sa*, & *Copt*, e queis totidem nomen Urbes, Nomique in Aegypto tulere; *Iſchemo* vero inter eos a *Mizraimo* eam teſtamento Regionem fuiſſe tributam, quae a Copto ad Memphim uſque extenditur, in qua caput olim erat ejus de nomine dicta Urbs Graecis *Panoplis*, Aegyptiis *Chemmis*, ſive *Eſmunis*, ſive *Iſchemunis*, hodie Coptice *Achmin*, ſive *Ichmin* denominata. *Eſmunem* jam vero iſtum, cujus cultum ab Aegypto in Phoenicem, exindeque in Graeciam inlatum oſtendunt De Vignolius in Chron. Sacr. T. II. p. 29, ac Baratierius in Diſſert. Hiſt. Crit. ad Benjamini Tudel. Itiner. p. 356. ſqq., Graecos *Aeſculapium* fuiſſe interpretatos refert Damaſcius in Vita Iſidori Philoſ. apud Photium in Bibl. Cod. 242. p. 1074, & ante ipſum Sanchoniathon apud Euſebium Praep. Evang. lib. 1. cap. 7. verſ. Geogr. Trapez. Illud vero notatu dignum, quo tota haec difficultas explanatur, quod eo loci ſubdit Damaſcius a Phoenicibus Εσμοινον ὠνομασμένον ἐπὶ τῇ θέρμῃ τ̃ ζωής *Eſmunum vocatum ob calorem vitae*; aliis vero Graecis ideſt Εσμȣνον Ὄγδοον ἀξιȣ̃σιν Ἑρμενεύειν *Eſmunum Octavum interpretari*. Siquidem ergo apud Aegyptios primos inter Deos ſeptem pridem adcenſiti *Planetae* fuerint, quos Diodorus lib. 1. p. 13. ita recenſet, *Solem*, *Saturnum*, *Rheam*, *Jovem Ammonem*, *Junonem*, *Vulcanum*, *Veſtam*, octavo vero loco *Mercurium* Diodorus, *Panem* vero Herodotus lib. 2. capp. 46, & 145. adnumeret, ideo apud Aegyptios *Hermopolis*

Urbs

Digitized by Google

Urbs *Hermeti*, ſive *Mercurio* dicata erat, ibique octavo cultus loco *Mercurius*, Urbsque altera *Panoplis* conſecrata *Pani*, ibique octavus inter Deos is habebatur: indeque factum, ut apud Graecos *Eſmunus*, ſive *Iſchmunis* octavo Deorum loco habitus ſit, iſque *Aeſculapius* aliis, aliiſque *Mercurius*, univerſimque *Sol* aeſtimatus, unde vitae calorem emanare cunctis perſuaſum erat. Conferendus, qui plura hanc in rem congerit, Jablonskius in Panth. Aegypt. lib. 2. cap. 7. §. 14. p. 300. ſqq., ad Colonias namque noſtram retrogredi orationem jam oportet.

LXXIX. Altera porro aetate, Trojanam ante expeditionem, *Pelaſgorum* in Italia res deficere cepiſse, ac partim mortalitate exinctos, partimque ſponte pro ingenio ad migrationes proclivi, Italia praecipitim excedentes Pelaſgos, Terras a vicinis *Tyrrhenis*, quos e Lydia Colonos in Italiam a *Tyrrheno*, iſtius de nomine deinde Graecis ita dictos, Latinis deinde *Tuſcos*, ſeu *Hetruſcos*, undeque Mari, *Auſonio* ante denominato, *Tyrrheni* deinceps adhaeſit etiam nomen, fuiſſe deductos ſuperius vidimus, occupandas reliquiſse; qui vero remanſere, *Crotonae* praeſertim in Hetruria, poſt *Cortonae* dictae, ut nempe a *Crotone* in Bruttiis diſtingueretur, velut adnotavit Dionyſius Halic. lib. 1. p. 15, ſerviles in colendo agro Tyrrhenis operas praeſtitiſſe tradunt Dionyſius eodem loci p. 20, 25. ſq., atque Stephanus de Urb. p. 357. Jungenda duplex altera, quae eadem ferme ſub aetate Graecorum in alteram Italiae partem transducta Colonia perhibetur. Harum prior *Japyge*, Oenotri fratre, ductore in extremam Italiae Peninſulam, ubi Tarentum, ac Brunduſium, inde *Japygia* denominata, Colonia tranſplantata fertur Straboni lib. 6. p. 279, Euſtathio in Dionyſ. Perieg. v. 379, ac Nicandro apud Anton. Liberalem cap. 31. Poſterioris in eamdem Italiae plagam e Creta deductae Coloniae dux *Meſſapus*, unde *Meſſapia* poſtea dicta *Japygia* eſt, ante Trojae excidium anno 40. circiter traditur Herodoto lib. 7. cap. 170, Cononi Narrat. 25. apud Photium Cod. 186. p. 435. ſq., ac Straboni lib. 9. p. 405; qui lib. 6. p. 282. alteram jam ante a Cretenſibus, qui cum *Theſeo* ex Urbe *Gnoſio* advenerant, Coloniam Brunduſium fuiſſe deductam ſcripſerat. Eadem in Calabria Urbem *Salenti*-

nam conditam ab *Idomeneo*, qui e Creta bello Magnenſi pulſus ad Regem *Clinicum* primo venerit in Illyricum, ubi Locrenſium ingenti accepta manu, in Japygiam ſe contulerit, ibique praeter *Salentinam*, Urbes alias, inter quas *Hyriam*, aedificaverit, auctor eſt Varro apud Valerium Probum ad Eclog. 6. Virgilii. *Hydruntum* Cretenſium Coloniam ſimiliter facit Stephanus V. Βίεννος; de altera *Tarentum* e Lacedaemone ducta Colonia dicam infra. Jam vero *Tyrrhenis* Italiae partem Inferiorem tenentibus, qua Liguriam reſpicit, unde haud recte ſcripſit Strabo lib. 5. a Tyrrhenis ex Urbibus XII, quas inhabitabant, unam fuiſſe, ceterarumque caput *Capuam* inde ita nuncupatam, in ſuperiori, qua inter Tiberim, & Lirim extenditur non modo, quae *Latium* fuit Vetus, ab occaſu Tiberi, & Hetruſcis, a ſeptentrione Aniene, & Sabinis, ab ortu Ufente fluvio, & Volſcis, a meridie Tyrrheno Mari concluſum, definitumque, de quo Sigonius de Antiq. Jure Ital. lib. 1. cap. 3, & Corradinus de Vet. Latio Sacr., & profano lib. 1. cap. 1. ſq., ſed qua imo ultra Circejos in ortum exporrigitur uſque Capuam nedum, qua *Latium* Novum olim finiebatur, ſed uſque in Siciliam; & qua inſuper Sabinos, Reatinos, Veſtinos, Pelignos, Marſos &c. verſus ſeptentrionem, & qua ad occaſum Samnites, Umbros, Picentinos &c. complectebatur, qua de re Auctor Orig. Gent. Rom., Ligorius in Mſs. Othobon. V. *Latini*, & Kircherus de Veteri, & Novo Latio, ex *Oenotri* familia poſt *Morgetem* regnare perrexere, ut mihi quidem videntur, *Sterces*, *Picus*, *Faunus*, & *Latinus*, quo de poſtremo *Latium* inde dici Italiae pars illa cepit, in qua Urbes jam tum aedificatae duae ſupra viginti dinumeratae ſunt Dionyſio Halic. lib. 1. p. 9, 11. ſq., longe plures vero Plinio lib. 3. capp. 5, & 8, ubi Latii Veteris Populos 53. recenſet, quocum faciunt Livius, Scriptoreſque rerum Romanarum alii apud Sigonium, & Corradinum.

LXXX. Jamvero ſub *Fauno* novam, quae reputari quinta Coloniae inter Italicas debet, Graecorum Claſſem in eam, quam *Aborigines*, ſeu veteres *Arcades* obtinebant, Italiae partem, *Latium* ideſt, appulíſſe, & quidem bellum ante Trojanum annis fere 60, a *Pallantio* Urbe Arcadica, *Evandro* Mercurii filio duce, eoſque a *Fauno*, veluti gentiles, agrorum, quam ipſi vel-

vellent, portione liberaliſſime fuiſse donatos, elegiſse autem *Evandrum* agros, ubi *Roma* nunc eſt, ac Montem, qui *Palatinus* dicitur, ibique Oppidum condidiſse *Pallantii* a veteri patria, impoſito nomine, ab eiſdemque viciſſim Graecas litteras, ac Muſica Inſtrumenta Latinos accepiſse, optimiſque imbutos fuiſse legibus refert Dionyſius Halic. lib. 1. p. 18. ſq.; qui ſq. p. 20. ſqq. ſubjungit, cuique ſimilia regerunt Livius lib. 1. cap. 3, Varro de Ling. Lat. lib. 3. p. 14, & Ariſtoteles de Mirab. Auſcult., paucos aliquot poſt annos Graecorum manum alteram in Italiam applicuiſſe, ductu *Herculis*, a quo tum Hiſpania, totaque recens Heſperia vi, armiſque domita fuerat, eoſque locum, qui tum *Saturnius*, poſtea *Capitolinus* dictus eſt, primos inhabitandum ſuſcepiſſe. Atque *Evandrum* quidem cum Arcadum Colonia antiquum incoluiſseLatium confirmant Livius loc. cit., Strabo lib. 5. p. 159, Solinus cap. 1, Plinius lib. 3. cap. 5, ac Plutarchus Probl. cap. 56, & in Romulo. A *Pelaſgis* tamen jampridem litteras inlatas in Latium fuiſse perhibent Macrobius Saturn. lib. 1. capp. 7. ſq., ac Plinius lib. 7. cap. 56: quibus de plura contra Cluverium docte perſequitur Ryckius in diſſert. de Primis Ital. Colon. cap. 7. p. 425. ſqq. Poſt *Herculis* ſe Latio digreſſum aetate circiter altera, hoc eſt anno quinto ſupra quinquageſimum, Aboriginum Rege *Latino* Fauni filio, ſed *Herculis* ſatu prognato, regnante, regni videlicet anno 35, Troja exciſa, Trojanos cum *Aenea* e clade profugos in Macedoniam primo veniſſe, inde ſedes ad inhabitandum quaerentes in Siciliam appuliſſe, ſed exinde claſſe delatos Laurentem Agrum non longe ab oſtio Tiberis tenuiſſe ſcribunt Cato in Origin. apud Servium ad Aen. 11. v. 316, Livius lib. 1. cap. 1. ſq., ac Dionyſius Halic. lib. 1. p. 1. p. 26. ſqq.; etſi paullo aliter *Aeneae* fata apud eumdem Hellanicus, Sophocles, Menecrates, Cephalon Gergithius, Hegeſippus, Agathyllus, &c. enarrent. A *Latino* Rege in partem agri Trojanos libenter admiſſos Urbem condidiſſe, de *Aeneae* uxoris nomine *Lavinium* adpellatam, ſubjungunt; *Alba* deinde, una cum Oppidis aliis, aedificata, Latini regni, quod *Latino* defuncto *Aeneas* injit, deinceps ibidem ſedem fuiſse defixam, indeque ſextadecima poſt Ilii excidium aetate Colonia miſſa in *Saturniam*, & *Pallantium*, ubi prima

Digitized by Google

ma ab Arcadibus domicilia fuerant defixa, locoque muris cincto, Urbis formam tum primum inditam fuiſſe, eique *Romae* nomen impoſitum, quod *Romuli* ductu miſſa fuiſſet Colonia, qui ſeptimus decimus ab Aenea deſcendebat: ſed de *Romae* natalibus ſuo infra loco. Alterius ab Aeginetis in Umbriam inlatae Coloniae unus meminit, ut ſciam, Strabo lib.8. p.376; de altera quoque, quae octava fuit, e Lacedaemone in Sabinam, *Lycurgi* ſub aetate, Colonia tranſducta, eodem Dionyſio teſte, dicam infra.

LXXXI. Rei nunc Chronologicae rectus poſtulat ordo, ut de prioribus e Lacedaemone alias in Regiones effuſis Coloniis dicamus. *Leleges* itaque, poſt *Lacedaemonii* denominati, Urbibus in Laconica centum conditis, in Megaram, Locridem, Boeotiam, Acarnaniam, Cariam, Piſidiam &c. Colonias paſſim deduxiſſe leguntur apud Heſiodum in Theogon., Euſtathium in Iliad. Y, Strabonem lib.7. p. 321, & lib. 12. p. 570, Dionyſium Halic. lib.1.p.11. &c. Poſt *Heraclidarum* in Peloponneſum regreſſum, Lacedaemone potiti *Ariſtodemi* ulii *Euryſthenes*, & *Procles*, (e quibus geminae inde dictae Lacedaemoniis imperarunt familiae *Euryſthenidarum*, quae in *Cleomene*, Ptolomaei *Lagi* juſſu interfecto, extincta eſt; & *Proclidarum*, qua e ſtirpe reliquis poſtea repulſis, Regiaque poteſtate abrogata, in Reipublicae Popularis formam ſub *Lycurgo* redacta Lacedaemon eſt, Pauſania in Corinth., hoc eſt lib.2. cap.9. p.131. ſq., & Juſtino lib.29. cap.1. p.283. teſtibus, queis de videndus Vindingius in Hellene p. 84. ſqq.), *Euryſthenes*, inquam, & *Procles* fratres tum Lacedaemone, tum aliis in Urbibus, quae incolentium hominum penuria laborabant, peregrinos quoſvis inquilinos recipi permiſere, Ephoro teſte apud Strabonem lib.8.p.364. Sed & eoſdem avunculo *Therae* in deducenda in Inſulam Calliſtem Colonia auxilio adfuiſſe teſtes accedunt Herodotus lib. 4. p.308, & Pauſanias in Lacon., ſive lib.3.cap.1. p.205. Ad haec *Polydoro*, Alcamenis filio regnante circa Olympiadem 9, non 1. ut Euſebius perperam habet, a Lacedaemoniis Coloniae in Italiam, Crotonem, & Locros, *Evanthe* duce, deductae leguntur apud Pauſaniam in Lacon., ſive lib.3. cap.3.p.209. Longe antehac ab *Herculis* fratris filio *Jolao* Thebano Athenienſes, ac Theſpien-

ſpienſes in Sardiniam fuiſse deductos ſcribit Pauſanias in Achaic., ideſt lib. 7. cap. 2. p. 524. Trojano bello profligato, Boeotos domi relictos, (reliquis ad Trojam militantibus), a Thracibus, Pelaſgis, aliiſque Barbaris vi patria expulſos, in Theſsaliam profectos ibi cum *Arnaeis* domicilia fixiſse; ſed inde anno poſt Trojae excidium 60. a Theſsalis ejectos ad priſtinas in Boeotia ſedes regreſsos, quin & Orchomeniam occupaſse, atque Thraces, & Pelaſgos inde viciſſim expuliſse referunt Strabo lib. 9. p. 401, ac Diodorus lib. 19. p. 696. Bello Trojano confecto, e Trojanis pleroſque in Italiam profugos, una cum Achaeis, *Typhone* Aegienſi duce, Bruttios applicuiſse, ibique *Cauloniam* aedificaſse ſcribit Pauſanias in Eliac. poſter., ideſt lib. 6. cap. 3. p. 459; quocum conferendi Strabo lib. 6. p. 261, & Marcianus in Periplo p. 13. Alios *Egeſto*, & *Elymo* ducibus, Siciliam appulſos, *Egeſtam*, deinde *Segeſtam* dictam, & *Elymam* condidiſse perhibent Feſtus, Lycophron in Alex. v. 961. ſq., ibique Tzetzes, Dionyſius Halic. lib. 1. p. 31, ac Servius ad Aen. 1: quam tamen Urbem a Phocenſibus cum *Philoctete* reducibus conſtructam volunt Strabo lib. 6. p. 254, & 272, ac Thucydides lib. 6; eamque poſt Urbem Olymp. 118. anno 2. ab *Agathocle* Syracuſarum Tyranno *Dicaeopolim* adpellatam, Incolis expulſis, inhabitandam transfugis datam refert Diodorus lib. 20. p. 802. ſq. Quoſdam, ut Cretenſes, exciſo Ilio, e patria ejectos, ac in Siciliam profugos ſimiliter, ab Incolis *Minoae* Urbis, poſt *Heracleae* dictae, prius de *Minois* Cretae Regis, a quo eò ducta Cretenſium fuerat Colonia, denominatae nomine, fuiſse receptos tradit Diodorus lib. 4. p. 279. Ab eadem Trojana expeditione reduces, & cum *Neſtore* in reditu errantes, ex *Pyliis* alios *Metapontum* in Lucania attigiſſe, Urbemque condidiſſe teſtantur Strabo lib. 6. p. 264. ſq., & Euſtathius ad Dionyſ. Perieg.; quamvis a *Metabo* Siſyphi filio, Aeoli nepote prius extructam Urbem, ac *Metabum* vocatam ſcribunt Antiochus Syrac. apud Strabonem ibid., ac Stephanus de Urb. p. 206. Alios vero ad agrum Piſanum delatos *Piſam* aedificaſse ſcribunt Strabo lib. 5. p. 222, ac Juſtinus lib. 20. cap. 1. p. 222: quamvis antea *Piſas* ab Achaeis, (e quibus *Peruſinos* quoque originem duxiſſe agnoſcit eodem loci Juſtinus), e Peloponneſo egreſſis, vel ab his, qui

cum

cum *Pelope* in Elidem venere, conditas fuiſſe tradit Servius ad Aen. 10. v.180. A *Diomede*, qui *Pythicos* in honorem *Apollinis* Ἐπιβατηρίου ludos primus inſtituiſſe fertur Pauſaniae in Corinth., ſive lib. 2. cap. 32. p.186, a *Diomede*, inquam, Argivorum duce cum Graecis aliis ab expugnatione Trojae redeuntibus, ad Caphareum fractis navibus, e naufragio in Italiam appulſo, Urbes *Canuſium*, *Arpi*, & *Sipontium* fuiſſe conditas, ab ipſo *Diomedeae* nomen Inſulas, in Adriatico Mari ex adverſo Apuliae ſparſas, accepiſse, ibique eum poſtremo tumulatum tradunt Strabo lib. 6. p. 284, Ariſtoteles, ſive Auctor de Mirab. Aud., ac Plinius lib. 3. cap. 26. Lacedaemonios vero, ductis in Aſiam Colonis, *Magneſiam*, Cretenſium olim Coloniam, occupaſse refert Vellejus Paterculus lib. 1. edit. Amſt. Janſſonii p. 92. Eo demum tempore, quo *Lycurgus* nepotis ſui *Eunomi* tutor Spartanis leges condidit, (ante Chriſtianam Aeram anno 884, primam ante Olympiadem 108.), Lacedaemoniorum pleroſque Legum illarum ſeveritate pertaeſos, *Sabo* duce ſeceſſione a ceteris facta, Urbeque prorſus derelicta, longo enavigato Maris tractu, ad *Pometinos* Italiae campos appuliſse, quae ſeptima ex iis, quae a Graecis in Italiam tranſductae fuere, Colonia aeſtimari debet, agrumque, quem primo attigerant, *Feroniam*, quod huc illuc per Mare ferri ipſos contigiſſet, Templumque *Feroniae* Divae aedificaſſe; horum praeterea haud paucos in *Sabinam* profectos ibi ſedes defixiſſe, atque *Sabinos* inſtitutis Laconicis, praecipue quod ad belli ſtudia, vitaeque duritiem attinebant, imbuiſse tradit Dionyſius Halic. lib. 2. p. 83, id ex hiſtoriis Sabinorum ſe hauſiſſe teſtatus. Quocum faciunt Scholiaſtes Juvenalis Satyr. 13, Gellius lib. 2. cap. 13, Plutarchus in Romulo p. 26, ac Silius Ital. de bello Punico lib. 2, a Lacedaemoniis pleraque optime inſtituta Sabinos, Latinos, ac Romanos accepiſſe confirmantes. Sed & *Sabinos* Lacedaemoniorum Colonos adfirmat Plutarchus loc. cit., queis Campanos, Bruttios, Tarentinos, ac Samnites adjungit Juſtinus lib. 20. p. 222, ac Servius ad Aen. 8. ex Hygino hanc Sabinis originem tribuens; ex Catone vero, ac Gellio a *Sabo* Lacedaemonio Sabinos ortos, adpellatoſque ſubjungens: qua de origine plura Voſſius de Idol. lib. 1. cap. 12, Boxhornius

in

in Plutarchi Quaeſt. Rom. 30, Barthius Adverſ. lib. 31. cap. 15, Pitiſcus in Lex. Antiq. T. III. p. 303, &c.

LXXXII. Profligato Lacedaemonios inter, ac Meſſenios bello, in Italiam tam a Lacedaemoniis victoribus *Parthenios* Tarentum Colonos, *Phalantho* duce, fuiſſe deductos referunt Strabo lib. 6. p. 279, Juſtinus lib. 3. cap. 4. p. m. 57. ſeqq., ac Pauſanias in Phoc., ideſt lib. 10. cap. 10. p. 822. ſqq., quam a Meſſeniis victis in Naupactum profugis, aliis ſub Olympiade 14, duce *Alcidamida*, in Rhegium Coloniam fuiſſe translatam, ubi primus Tyranni nomine idem *Alcidamida* rerum potitus eſt; aliis ab *Anaxilao*, qui ab *Alcidamida* quartus, ejuſque de ſtirpe Rhegii tyrannidem exercere perrexit, arceſſitis, Coloniam, *Gorgo*, & *Manticlo* ducibus, fuiſſe deportatam, ubi *Zanclem* Urbem a Piratis Cumaeis primo conditam, poſtmodum a Chalcidenſibus inhabitatam, & *Himeram* ipſis dictam, his expulſis, occupatam, ſuo deinceps de nomine *Meſſenem*, quae poſt *Meſſana* denominata eſt, adpellaviſſe ſcribunt Thucydides lib. 6. ſub init., & Pauſanias in Meſſen., ideſt lib. 4. cap. 23. p. 336. ſq. Contigiſſe id Olympiade undetriceſima ſubdit Pauſanias; ſed eum oppido falli, inque temporum rationem turpiter offendere, ſecumque in errorem Scaligerum Animad. in Euſeb. p. 21. traxiſſe, ex Herodoto, Thucydide, ac Diodoro lib. 1. p. 37, qui *Anaxilaum* bellis Perſicis vixiſſe, ideoque ſub Olympiade 72. perhibent, mortuumque Olympiadis 76. anno 1. oſtendit Eraſmus Vindingius in Hellene Antiq. Graec. T. XI. p. 129. Sub primum circiter Meſſeniacum bellum, Olympiadis 18. hoc eſt, triplex e Corintho deducta fertur Colonia, ab *Archia* e Bacchidarum ſtirpe una in Siciliam, ubi conditae *Syracuſae*, (Olymp. 18. anno 1, Chriſti ante natalem 708, vel ut alii volunt, Olymp. 17. anno 4, ante Chriſtianam Aeram 709, juxta Marmora Oxon. Epocha xxx. an. 758, vel ut aliis viſum, Olymp. 12. anno 1, Chriſti ante natalem 733), Thucydide lib. 6. p. 412, Strabone lib. 6. p. 269. ſq., & Pauſania in Eliac. prior. lib. 5. cap. 7. p. 390. teſtibus, a quo pridem Olymp. 2. anno 4, ideſt ante annos 70, *Ortygia* Inſula fuerat occupata, cujuſque poſteri deinceps *Ariſtocratia* Syracuſis potiti ſunt: quibus deinde pulſis, *Gelo* ab anno Chriſti ante natalem 484, ipſiuſque poſteri diu Syracuſis tyrannidem exercuere, qua de Herodotus

lib.7. cap. 155, ac Strabo lib.6. p. 170. A *Cherſicrate* genere Heraclida in *Corcyram* Inſulam altera, ut fidem abunde faciunt Strabo lib.6. p.269, Apollodori Scholiaſtes Argon. lib.4. Herodotus lib.3. p.205, ac Thucydides lib. 1. p. 18. ſqq.; *Eretryenſes* vero Corcyra expulſi in Thraciam navigantes Regionem occuparunt, iique a finitimis Ἀποσφενδόνητοι adpellati, Plutarcho teſte Quaeſt. Graec. 11. A *Corcyraeis* viciſſim Colonia in *Illyricum*, duce a Corinthiis *Phalio* e ſtirpe Heraclidarum accepto, miſsa, ibique *Epidamnus* Urbs aedificata, cujuſce Navale fuit *Dyrrhachium*, fertur Thucydidi lib.1. p.17; in *Apolloniam* item in Mari Jonio traditur a Pauſania in Eliac. prior., ſive lib.5. cap. 22. p. 435. Tertia e Corintho educta Colonia in *Potidaeam* Thraciae Urbem fertur Thucydidi lib.1. p.37, Diodoro lib.12. p.93, & Marciano in Periplo p.26: cui Urbi quotannis *Epidemiurgum* Magiſtratum a Corinthiis miſſum adfirmat Thucydides p.38; qui lib.2. p.145. cum Diodoro lib.12. p.102. alteram ex Athenis *Pontidaeam* accepiſſe Coloniam confirmat. Eodem tempore Chalcidenſes, (quorum Urbs *Chalcedon* in oſtio Pontico a Megarenſibus ante Chriſti natalem anno 675. condita traditur Euſebio in Chron. p.430, Straboni lib.12, *Archia* duce, Melae lib.1. cap.19, duce *Dineo*, Heſychio), ex Euboea navigantes tum in Chalcidem Thraciae perveniſſe, ſuoque de Regioni nomen feciſſe; cui poſtea leges *Androdamas* Rheginus tuliſse legitur, teſtibus Thucydide lib.1. p.38, ejuſque Scholiaſte ibid., & Ariſtotele Polit. lib. 2. cap. 12; tum *Hippocle*, ac *Megaſthene* ducibus, Colonos in Campaniam deduxiſse, ibique *Cumas* condidiſse, earumque Navale fuiſse *Dicaearchiam* a Samiis conditam, quae poſtea Romanis, deducta eò Colonia, *Puteolos* dicta eſt, perhibentur Marciano in Perieg. p.10, Straboni lib.5. p.243. ſqq., Vellejo lib.1. p.92; tum *Theocle* Coloniae alterius deductore, *Naxum*, *Apollini* dedicata Ara, in Sicilia condidiſse traduntur Thucydidi lib.6. p.412; altero nempe ante Syracuſas anno, juxta Marm Oxon. Epocha xxx, Olymp. 2. anno 3, juxta Euſebium in Chron. p. 414. anno 1. Olymp. 11, cujus computum, non poſtponendum utique, ut Vallarſio in Notis ad Euſeb. ibid. videtur, ſed præferendum imo Marmori Arund. puto; tum eodem *Theocle* duce, *Catanam* etiam quarto abhinc anno,

no, a Syracuſis conditis quinto, condidiſse ſcribuntur Thucydidi loc.cit., notanti tamen ab Incolis Urbis conditorem fieri *Evandrum*. Sed & Chalcidenſes cum Meſseniis Colonia in Lucaniam tranſducta *Rhegium* aedificaſse teſtes accedunt Heraclides de Politiis Graecor. apud Gronovium Antiq.Graec. T.IV. edit.Ven. p.2831, Strabo lib.6. p.215, & 257, e Meſseniis duces Rheginorum delectos adfirmantes, Diodorus lib. 14. p.267, ac Marcianus in Perieg.p.13: quamvis *Rhegium* conditum a *Jocaſto* Aeoli filio uno e Callimacho tradit Iſac.Tzetzes in Lycoph.

LXXXIII. Quo tempore ab *Archia* Syracuſas, eodem ipſo *Sybarim* altera a *Myſcello* ex Achaeis ducta Colonia, indeque haud procul *Croton* in Bruttiis condita dicitur Antiocho Syrac. apud Dionyſium Halic. lib.2. p.88, annoque quidem 3. Olymp. 17, Straboni lib.6. p.262, Marciano in Perieg. p.14, & Ovidio Metam. lib.15. v.19. ſqq.; quo ipſo anno *Cherroneſi* fundatio ab Euſebio in Chron. p.422. conſignatur, quam ipſammet *Mylaem* Urbem fuiſse obſervat Scaliger ibid.; annoque ſuperiori, aut inſequenti a Megarenſibus fundata *Aſtacus* in Bithynia fertur, quae aliquibus *Nicomedia* videtur, ut Pauſaniae in Eliac.prior. cap.12, Trebellio Pollioni in Galliero cap.4, & Ammiano lib. 22. cap.12, diſtincta vero Ptolomaeo lib.5. cap. 3, Stephano de Urb. p.54, Plinio lib.5. cap.ult., Straboni lib.12.p.388, Euſtathio in Dionyſ. v.377, & Conſtantino Porphyrog. de Them. lib. 1. cap.5. De *Sybari*, *Crotone*, ac *Syracuſis* qui plura diſputat, deque illarum Urbium Regibus, atque fatis, adeundus Vindingius in Hellene Antiq. Graec. T.XI. p.378. ſqq., & p. 553. ſqq.; de *Aſtaco* vero, ac *Nicomedia* Salmaſius ad Trebellium Pollion. loc.cit., Hölſtenius in Not.ad Steph., Cellarius in Geogr.Antiq. T.II.lib.3. cap.8: p.243. ſq., ac Vallarſius in Not. ad Euſeb. loc. indic. Antehâc vero in *Lucaniam* a Dorienſibus Colonia ducta, *Poſidonia*, ſive *Neptunia* condita fertur Straboni lib.5. p. 251, ac Solino cap. 8: quae poſtea Moenibus a Sybaritis adaucta ſuit, quave de Marshamus in Can. Chron. Seculo XVII. p. 547. *Sybaritarum* etiam Colonia fuit *Lajus* Urbs in Lucania altera, Strabone teſte lib. 6. ſub init.; *Aetolorum*, qui *Thoantem* ſequuti ducem ſunt, *Tempſa* in Brutiis, quae poſtea *Copia* dicta Romanam accepit Coloniam anno U.C. 560, Chriſti ante natalem 194, opus fuit, non *Auſonum*, uti Straboni lib.6.p.176. traditur.

Pandoſia quoque in Bruttiis *Achaeorum* Colonia dicta eſt Marciano loc. cit., Scylaci in Periplo p. 111, Straboni lib. 6. p. 256, ac Stephano de Urb. p. 240, nomine a cognomine Urbe Caſſopeae in Epiro deſumpto. *Scylacium* etiam in Bruttiis *Athenienſium*, duce *Meneſtheo*, Colonia fuit, uti tradunt Strabo lib. 6. p. 180, ac Plinius lib. 3. cap. 10. Sequenti aetate *Sicilia* frequentata Sicanis, ac Phrygibus, ex Italia pulſis illis, his a Scamandro fluvio, ac Troade profectis, legitur apud Pauſaniam in Eliacis prior., hoc eſt lib. 5. cap. 25. p. 443, ac Dionyſium Halic. lib. 1. p. 13, ac 31: quò deinde Colonos Libyes, ac Poenos e Carthagine fuiſse traductos ſubjungit ibid. Pauſanias. A *Naxiis* anno poſt adventum ſexto conditum *Leontium* in Sicilia traditur Thucydidi lib. 6. p. 413; a *Dionyſio* vero Tyranno deinde Olymp. 94. anno 2. exciſa *Naxo*, ejus ager Sicanis eſt contributus; a quibus anno 1. Olymp. 96. *Tauromenium* aedificatum, ibique exulum Naxi reliquias fuiſse congregatas ſcribunt Diodorus lib. 14. cap. 60, p. 403, & lib. 16. cap. 7. p. 513, ac Strabo lib. 6. p. 288; *Dionyſium* vero, qui Naxios oppreſſit, *Leontinos* relicta patria, agroque, (quem olim *Xutiam* a priſco Domino *Xutho* dictum auctor eſt Diodorus lib. 5. cap. 8, a *Laeſtrygonibus* olim inhabitatum referunt Plinius lib. 3. cap. 8, ac Silius lib. 14. v. 126.), Syracuſas Olymp. 94. anno 2. commigrare coegiſse tradit Diodorus lib. 14. p. 245. ſq. Sub *Auguſto* poſtea Romana Colonia *Tauromenium* deducta notatur Plinio lib. 3. cap. 8, ac viſitur in Nummis apud Goltzium p. 238, & Harduinum in Num. Popul. illuſt. p. 166, Tauromenitis e patria tranſmigrare compulſis. Antehac vero anno 1. Olymp. 76. *Hiero* etiam Gelonis filius, *Catana* expugnata Urbe, ejectiſque Indigenis, novos *Catanae* incolas impoſuiſse, Urbemque *Aetheae* nomine vocari deinceps imperaſse, quo tamen defuncto, priſci Cives patrias ſedes armis repetiviſse Olymp. 79. anno 4, poſtea vero *Dionyſius* anno 2. Olymp. 94. Civibus venditis, *Catanam* inhabitandam Campanis dediſse, quae poſtremo Romanorum Colonia facta eſt, referuntur Straboni lib. 6. p. 268, ac Diodoro lib. 11. p. 37, 67, lib. 14. p. 246, & lib. 16. p. 411.

LXXXIV. Ad haec jam vero *Megarenſes*, quos ſane Colonos *Bacchiadarum* fuiſse refert Stephanus Byzant., quin imo con-

ſta

flatos ex *Heraenſibus*, *Piraenſibus*, *Cynaſarenſibus*, & *Tripodiſcaeis* ex Plutarcho Quaeſt. Graec. p. 295. obſervat Holſtenius in Not. ad Steph. de Urb. p. 201, *Megarenſes*, inquam, in Siciliam etiam ſub eodem tempore Colonia ducta, duceque *Lamide*, primo *Trotilum* ad Pantagiam fluvium, poſtea *Thapſum* in Peninſula haud procul a Syracuſis, tandemque, permiſſu *Hyblonis* Regis Siculi, *Hyblam* in littore, quam a patria *Megaram* adpellari voluere, indeque Sinus *Megarenſis* dictus eſt, condidiſſe ſcribunt Thucydides lib. 6. p. 476, Strabo lib. 6. p. 185, ac Stephanus de Urb. p. 334, tres in Sicilia *Hyblas* diſtinguens, indicatque Virgilius Aen. 3. v. 688. A *Megarenſibus* praeterea anno poſt centeſimo, auctore *Pammilo*, condita *Selinuntes* traditur Thucydidi lib. 6. p. 412, qui ſubdit annos poſt 245. Megarenſes ipſos a *Gelone* expulſos fuiſſe. Anno 45. a conditis Syracuſis nova e Rhodo educta ab *Antiphemo*, & e Creta ab *Entimo* Colonia, deductaque in Siciliam, communi opera condita *Gela* eſt, a flumine dicta prope locum decurrente, ubi prius Urbs *Lindium* erat poſita, traditur eidem Thucydidi: quo etiam anno in Pamphylia a *Lacio* condita *Phaſelis*, (quae tamen inter Doricas Herodoto lib. 2. cap. 178. ponitur), traditur Philoſtephano apud Athenaeum lib. 7. cap. 13, Lindium fuiſſe *Lacium* ſcribenti, Ariſteneto apud Stephanum de Urb. p. 82, *Antiphemi* fratrem *Lacium* tradenti, ac Euſebio in Chron. p. 430, videndique Uſſerius in Annal. Vet. T eſt. p. 59, ac Vallarſius in Not. ad Euſeb. ibid. A *Syracuſanis* jam vero tum anno poſt Syracuſas conditas 70. *Acrae*, tum poſt anno 90. *Caſmenae*, tum anno poſt 135. *Camarina* conditae; a *Gelenſibus* autem, (quos genere Rhodios, & Cretenſes ab *Antiphemo* Rhodio, & ab *Entimo* Cretenſi eò ductos ſcripſit etiam Artemon Pergamenus apud Scholiaſtem Pindari in Olymp. ode 2. ant. 1, confirmant vero Herodotus lib. 7. p. 493, Thucydides lib. 7. p. 533, ac Stephanus de Urb. p. 82.), ab Urbe ſua *Gela* condita anno prope 108. *Agrigentum*, a flumine ſic denominata Urbs, aedificata, feruntur apud Thucydidem lib. 6. p. 413, ac Strabonem lib. 6. p. 187, ſive 270. Atque hiſce de Graecorum Coloniis in Orientali Siciliae latere poſitis, quae namque ad Auſtrum reſpiciunt, inferioris ſunt aevi, videndi, ſi placet, qui prolixe diſputant, Marshamus in Can. Chron.

Chron. Seculo xvi. p. 491. ſqq., & Seculo xvii. p. 546. ſqq., Buddeus in Hiſt. Eccl. Vet. Teſt. Par. II. Per. II. Sect. 4. p. 595. ſq., ac Vindingius in Hellene Antiq. Graec. T. XI. p. 543. ſqq.

LXXXV. Eo ipſo, Olympiadis 30. ideſt anno 3, Chriſtianam ante Aeram 658, quo a *Cypſelo* Corinthi tyrannis arrepta eſt, anno, vel inſequenti, *Byzantium* in Thracia, (Europaea nempe; namque *Thracia* fuit alia trans Aemum, ad Iſtri ripam, qua de Herodotus lib. 4. cap. 93. ſqq., ac Strabo lib. 7. p. 295. ſq.; alia in Phocide, Thucydidi lib. 2. ſect. 29. ac Straboni lib. 7. p. 321. indicata; in Aſia Minori alia, de qua Strabo lib. 1. p. 59, Herodotus lib. 1. cap. 28, & lib. 3. cap. 90, ac Xenophon de Exped. Cyri lib. 7. p. 408: quam in poſtremam, Aſiae Minoris ideſt, *Thraciam*, hoc eſt in Troadem, a *Thira Japheti* filio Gen. x. 2. omnium primo Coloniam fuiſſe tranſcriptam, quae ſequiori deinde ſub aetate in *Thraciam* item Europae fuerit transfuſa, multis ſuadere nititur Vir doctiſs. Mazochius in Sylvis Phalegicis Par. I. cap. 6. p. 260. ſqq.), *Byzantium*, inquam, in Thracia, quam de *Thracis* Regis nomine dictam ſcripſit Conſtantinus Porphyrog. de Them. lib. 2. Them. 1; a Nympha *Titanide* nomen ſortitam tradit Stephanus de Urb. p. 139; à *Thira* vero nomen habuiſſe arguit Mazochius modo laudatus; conditum ſcripſit Euſebius in Chron. p. 438, cujus Urbis origo a diverſis diverſimode narratur. A Spartanorum Rege *Pauſania* namque eam fuiſse conditam perhibent Juſtinus lib. 9. cap. 1, & Oroſius Hiſt. lib. 3. cap. 13. Mileſiis hanc conditae Urbis laudem tribuit Vellejus lib. 2. cap. 15. Athenienſibus Marcellinus lib. 22. cap. 12; Argivis Heſychius, qui de Rebus patriis Conſtantinopolit. Megarenſium etiam duci *Dinaeo*, a quo annis 17. ante conditam e regione Boſphori fuiſse *Chalcedonem* refert, quocum facit Herodotus lib. 4. cap. 144; Megarenſibus item Strabo lib. 7. p. 221, & Marcianus in Perieg. p. 29, quo loci Megarenſium etiam Coloniam fuiſse *Selymbriam* in Thracia, & *Hyllam* in Illyrico Urbem p. 17. ſubjungit; Megarenſibus, Lacedaemoniis, & Boeotis Conſtantinus Porphyrog. de Themat. lib. 2. Them. 1. Byzant. T. XXII. p. 20. edit. Pariſ., Ven. p. 16. ſq. Megarenſium duci *Byzanti*, e quo nomen accepit, Euſtathius ad Dionyſii Perieg. v. 803. ſq.,

Digitized by Google

ſq., Philoſtratus in Sophiſt. vitis lib. 1. in vita Marci Soph. Byzant., ac Stephanus de Urb. p. 76, eum *Neptuni* filium faciens: quod confirmant Nummi cum *Byzantis* effigie, galeataque Προτόμή ſcalpti apud Goltzium in Graecia Tab. XXVII., Harduinum in Num. Popul. illuſt. p. 37, ac Ducangium in Diſquiſit. Urb. Conſtantinopolit. p. 7, & in Conſtantinopoli Chriſt. lib. 1. cap. 15. Hiſt. Byzant. T. XXI. p. 16. ſq. edit. Pariſ., Ven. p. 21. ſq., cujus etiam Statuam, ejuſque conjugis *Phidaleae* in Baſilica dedicaſse perhibetur *Calliades* Byzantinus dux in Antologia lib. 4. cap. 4. Quae diverſae inter ſe opiniones ita demum Juſtino, & Oroſio loc. indic. componuntur, ut a Megarenſibus primo condita, poſt Lacedaemonum juris effecta, Athenienſibus poſtinde fuerit poſseſsa, ſub Romanis quin etiam proprii juris, ac liberae poteſtatis, conditioniſque permanſerit, teſte Plinio lib. 4. cap. 11. Quin inſuper *Byzantium* deinde Colonos tuliſse *Medos*, ſive *Perſas* a *Dario* introductos, a quibus pulſi, ultroque profugi cum Chalcedoniis Byzantini Cives, in Pontum Euxinum ſecedentes *Meſembriam*, qua de infra, ibi condiderint, Mediſque viciſſim expulſis, *Jones* Byzantium obtinuiſſe tradit Herodotus lib. 5. p. 338, & 373; poſt hos vero ſucceſſiſse *Athenienſes* ſcribit Thucydides lib. 1. p. 63, 74. ſqq; ubi ſublata Oligarchia Populo Urbem adminiſtrandam traditam a *Thraſybulo* Athenienſi teſtatur Xenophon lib. 2. p. 423. In Thraciam deinde Colonia *Gallorum* ducta, regni ſedem *Tulae* prope Byzantium defixit *Comontorius*; donec ſub *Clyaro* Gallis ejectis, in priſtinam ſe libertatem Byzantini adſeruere, Polybio teſte lib. 4. p. 313. ſq. A Byzantinis poſtea Aegypti Regi *Ptolomaeo Philadelpho* Templum excitatum fuiſse, divinoſque tributos honores referunt: qua de Urbe plura oppido Petrus Gyllius de Topograph., & Antiq. Byzant. lib. 1. cap. 1. ſqq. Antiq. Graec. T. VI. p. 322. ſqq., & Byzant. T. XXII. p. 259. ſq. edit. Pariſ., Ven. p. 221. ſq., Ducangius in Conſtantinopoli Chriſtiana lib. 1. de Orig. Byzantii Veter. §. 15. Byzant. T. XXI. edit. Ven. p. 21. ſq., ac Bandurius Comment. in Antiquitates Conſtantinopolit. lib. 1. Byzant. T. XXII. p. 450. ſq. edit. Pariſ., Ven. p. 349. ſq. *Megarenſium* adhaec Coloniam etiam fuiſse *Meſembriam* in Moeſia inferiori Urbem tradunt Marcianus in

Peri-

Digitized by Google

Periplo p.12, & 30, ac Strabo lib. 7. p. 221, (quod de Byzantinis origine Megarenſibus intelligi debere modo ex Herodoto indicavimus). *Odeſsum* Urbem alteram haud procul ſitam *Mileſiorum* fuiſse Coloniam ſubjungit loc.cit.Strabo p.319, quocum faciunt Plinius lib.4. cap.11, ac Stephanus de Urb. p.230; ſicut & in *Calatim* in Moeſia inferiori Urbem alteram Coloniam fuiſſe deductam a *Mileſiis* tradit Mela lib. 2. cap. 2, ab *Heracleotis* Strabo lib. 7. p. 319. In Ponto, Myſia, & Helleſponto Colonias inhabitaſse pleraſque qua *Mileſiorum*, qua *Jonum*, qua *Dorienſium* teſtes accedunt locupletes Herodotus lib. 7. p. 470, Plinius lib. 4. cap. 11, Strabo loc. cit., lib. 13. p. 587. ſq., 590. ſq., & lib. 14. p. 635, Arrianus in Periplo Ponti &c., quales *Iſtria*, *Tomis*, *Calantra*, *Tetriſiades*, *Dionyſopolis*, *Anchialus*, *Apollonia*, *Cius*, ſive *Pruſias*, *Cyzicus*, *Parion*, *Priapus*, *Abydus* &c.; in Cherſoneſo etiam, Ponto Euxino, & Colchide, quales fuere Urbes inter alias inſigniores *Theodoſia*, *Heraclea*, *Olbia*, *Dioſcurias*, *Phaſis*, *Trapoezus*, *Sinopis*, *Amiſus*, *Cytorus*, *Seſamus*, *Ceraſus*, *Amaſtris* &c., de quibus Arrianus loc. cit., Strabo lib. 7. p. 508, & lib. 12. p. 545. ſqq., Herodotus lib. 4. p. 261, Mela lib. 1. cap. 20. ſq., Diodorus lib. 14. p. 260. ſq., & 413, Euſtathius ad Dionyſ. p. 102, Xenophon Exped. Cyri lib. 6. p. 273, & 290, videnduſque Vindingius in Hellene Antiq. Graec. T. XI. p. 409. ſqq.

LXXXVI. Ita & in Lydia, Aeolide, Myſia &c. Coloniae fuere *Magnetum*, ~~duce~~ *Menalopo*, Cuma, Herodoto in vita Homeri teſte; *Pelaſgorum* Lariſſa, teſte Strabone lib. 13. p. 621; *Colophoniorum* Notion apud Thucydidem lib. 3. p. 191. ſq.; *Thracum* Trallis ad Maeandrum apud Strabonem lib. 14. p. 649; *Mileſiorum* Sceps̄is, de qua Strabo lib. 13. p. 607; *Chiorum* Atarneus, qua de Herodotus lib. 1. p. 74. E *Paro* Inſulæ Olymp. 19. anno 2. eductae Coloniae *Parum* Urbem, de *Pario* Jaſonis filio dictam, in Helleſponto, *Pharum* in Adriatico Inſulam, ac *Thaſum* Inſulam Thraciae inhabitaſſe traduntur Marciano in Perieg. p. 18, ac Stephano de Urb. p. 123, & 341. E *Delo* ab Athenienſibus ſub *Piſiſtrato* ſubmoti Incolae Coloniam *Adramytteum* in Aſia deduxiſſe feruntur apud Thucydidem lib. 5. p. 344, & Pauſaniam in Meſſen., ſive lib. 4. cap. 27. p. 346.

p. 346. Coloniae ita fuiſſe quoque feruntur *Cimmeriorum* Antandrus, uti tradit Ariſtoteles apud Stephanum de Urb. p. 36; *Mytilenorum* Sigeum, teſte Strabone lib. 13. p. 599; *Aeolum* Aſſus, de qua Pauſanias in Eliac. poſt. lib. 6. cap. 4. p 462, Strabo lib. 13. p. 610, & Mela lib. 1. cap. 18; *Aeolum* iterum Gargara Troadis Urbs, Mela lib. 1. cap. 18. teſte; *Mytilenorum* etiam Troadis Urbs altera Ariſba, teſte Stephano p. 46: quamquam *Mileſiorum* Coloniam Ariſbam facit Anaximenes Lampſacenus apud Strabonem lib. 14. p. 635; *Aeolum* rurſus Abyda in Troade, regioque uſque ad Cumam reliqua Colonia fuit, uti rem teſtatam facit Ephorus Straboni relatus lib. 13. p. 600. *Tenedus* etiam una e Sporadibus Inſula, eò Colonis a *Piſandro* Spartano ductis, teſte Pindaro in Nem. ode 11. ſtrophe 3, quocum faciunt Dionyſius in Περιηγ. v. 536. ſq., ac Thucydides lib. 7. p. 532. *Lesbus* item, unde Colonias in Troadem ductas tradit Strabo lib. 13. p. 599, *Penthilo* Oreſtis filio duce, uti refert Pauſanias in Lacon., ideſt lib. 3. cap. 2. p. 206. ſq. *Mytilenorum* rurſus in Lesbo Colonia fuit Achilleon in Troade vicino ab *Achillis* tumulo nuncupata Urbs, Plinio teſte lib. 5. cap. 30. *Mileſiorum* denique Colonias Olymp. 19, 24, 31. in Inſulas *Lerum*, & *Icarum*, in Cherſoneſo *Limnes*, in Troade *Poeſum*, & *Abydum*, in Myſia *Cyzicum*, *Artacem*, & *Lampſacum*, in Ponto Euxino *Iſtrum*, & *Boryſthenem*, ac Olymp. 37. anno 2. *Sinopem* ſcribunt Anaximenes Lampſac. apud Strabonem lib. 14. p. 635, Herodotus lib. 4. cap. 18, Strabo ipſe lib. 12. p. 545, ac Plinius lib. 5. cap. 29. a *Mileſiis* Colonias in Urbes ſupra 70. deductas ſcribens. A *Mileſiis* demum, ac *Erythraeis* in *Parion* oram Helleſponti deducta Colonia anno dein ante Chriſti natalem 709. inſtaurata eſt, Euſebio teſte in Chron. p. 426, videndique Uſſerius in Annal. Vet. Teſt. p. 58, ac Simpſonius in Chron. ad annos M. 3387, 3497, & 3557. In Aegeo Mari etiam hac ſub aetate tranſplantatae Coloniae leguntur, conditaeque Urbes *Acanthus*, & *Stagira* Olymp. 31, qua de poſteriori ante Ariſtotelem ignobili Nunneſius in libello de hujuſce Philoſophi vita; in Thracia *Abdera* a Tejis, & Clazomeniis eadem Olymp. 31, teſte Solino cap. 15; quamvis ab *Hercule* condita dicatur Apollodoro lib. 2, a *Diomedis* Sorore, proprioque de nomine

Abdera nuncupata Melae lib. 2. cap. 2, qua de re Scaliger in Not. ad Euſebium n. 1362; in Thracia etiam *Perinthus* a Samiis Olymp. 44. inſtaurata, quae poſt *Heraclea* dicta eſt, Marciano in Perieg. ſub fin. p. 29. teſte, quam apud Urbem *Heraeum* fuiſse tradunt Herodotus lib. 4. cap. 90, ac Demoſthenes in Orat. ad Philippi epiſt. p. 65; *Biſanthes* quoque in Propontidis ora, poſtea *Rhoedeſtus* dicta, Samiorum Colonia ſcribitur Melae lib. 2. cap. 2, ac Stephano de Urb. p. 68, quam male in Macedonia ponit, ad Thraciae vero Regem *Seuthen* pertinuiſse tradit Xenophon Exped. Cyri lib. 7. p. 402, & 411, ut obſervat Holſtenius ibid. in Not., queis de Urbibus Euſebius in Chron. p. 442. ſq., & 462, ac Marshamus in Can. Chon. Seculo XVII. p. 551. ſq.

LXXXVII. Sicuti vero inter Graecos, ob egregia in bello, & pace geſta, emicuere jugiter *Athenienſes*, ita perinde a deductis in Regiones alienigenas diverſo tempore Coloniis inſigne prae Graecis aliis nomen ſibi pepercre, quas ut brevi perſtringam modo ſermone, locus heic ſe nobis aperit opportunus, ampluſque. Ab *Athenienſibus* itaque, quorum Regio Urbibus XII. definita a *Cecrope* fuerat, *Cecropia* inde dicta, ideſt Tetrapoli, Epacria, Decelea, Eleuſi, Aphydna, Thorico, Braurone, Cythero, Sphetto, Cephiſia, Phalero, Cecropia, veluti refert Philochorus apud Strabonem lib. 9. p. 274, alias 397, imperio amplificando impenſe incumbentibus Colonia prima inlata perhibetur, *Theſeo* regnante, a quo Urbibus his XII. Civibus exhauſtis, in unamque Athenas Civitatem abductis, Reipublicae forma, Statuſque Popularis inſtitutus fertur in Marm Arund. Epocha XX. Aerae *Atticae* anno 323, ab initio *Cecropis*, ideſt ante Chriſtianam Aeram anno 1582, Periodi Julianae 3132, quo *Attica* conſignari Aera ſolet ab Auctore Parii Marmoris Arundel., uti obſervant Seldenus ibid. in Not., Marshamus in Can. Chron. in Προκατασκευη p. 15, & Seculo VIII. p. 114, Pridaeus in Not. &c., uſque ad *Theſeum*, qui regnum injit Periodi Jul. anno 3455, Chriſti ante natalem 1259, qua de re Meurſius de Fortuna Attica cap. 3. Antiq. Graec. T. V. p. 1690. ſq., & de Populis Atticae Antiq. Graec. T. IV. p. 748, inlata prima, inquam, perhibetur in *Sardiniam*, duce *Jolao* Iphiti

Digitized by Google

Iphiti *Herculis* fratris filio Diodoro lib. 5. p. 296. ſq., Straboni lib. 5. p. 225, ac Pauſaniae in Achaic. lib. 7. cap. 2. p. 524, & in Phocic. lib. 10. cap. 17. p. 836. ſqq. Quo loci ſcribit primos in Sardiniam *Libyes*, duce *Sardo* Maceridis filio, apud Aegyptios, ac Libyes *Herculis* cognominati, tranſmigraſse; aliquos poſt annos e *Boeotia* novos in Sardiniam, *Ariſtaeo* Apollinis filio ductore, Colonos adveniſse; eodemque tempore e Creta *Daedalum* ſuorum quoque manum illuc intuliſse; poſthac ex *Hiſpania*, duce *Norace* Mercurii filio, copioſam in Sardiniam appuliſse Claſsem, primamque ejus de nomine conditam fuiſse *Noram* Urbem; quartam Inquilinorum Cohortem a *Jolao*, quo de modo, ex *Attica* fuiſſe invectam; poſt Ilium everſum itidem e *Trojanis* profugis tempeſtate actam partem in Sardiniam applicuiſſe; ſed multis poſt annis *Libyes* iterum majori Claſſe in Sardiniam appulſos, ingenti Graecos clade affeciſſe, adeo ut pauciſſimi ex his reliqui fuerint in Montana profugi. E *Corſica* praeterea ſeditione pulſos haud parva manu in Sardiniam pleroſque ſe recepiſſe, Montibuſque occupatis ibi Oppida aedificaſſe ſubjungit. Occupatam poſtinde Inſulam a *Poenis*, ab iiſque, praeter Ilienſes, & Corſos in praeruptis Montium jugis inhabitantes, ceteros Inſula fuiſſe pulſos, efficere tamen nequiviſſe, quominus ex Libybus, & Hiſpanis plerique & ipſi Montium jugis occupatis ſedes ibi defigerent, ac retinerent. Qua porro in narratione cum Pauſania faciunt Silius Ital. lib. 12, Salluſtius apud Servium, ac Solinus cap. 10, ab *Ariſtaeo* Urbem *Caralim* conditam adfirmans. Verumtamen in narratione hacce fabulas permiſceri multas perſuaſum habuit Bochartus in Geogr. Sacr. Par. II. lib. 1. cap. 31. p. 572. ſqq. *Ariſtaeum* in Sardiniam haud adveniſſe, ſed ex Attica migraſſe in Arcadiam ex Servio Georg. 4, Trogo lib. 13, Apollonio lib. 2, & Nonno lib. 13. oſtendens; inficiatus etiam *Hiſpanos* in Sardiniam fuiſſe profectos, nec ab illo *Caralim*, nec ab his *Noram*, ſed utramque a *Poenis* Urbem conditam, ſicut & *Charmim*, ac *Sulchim* ex Pauſania, & Claudiano pugnans. *Joalenſes* ad haec Diodoro, & Straboni dictos, *Ilienſes* Pauſaniae, Livio, Plinio, ac Melae, non e Graecia, aut Troja utique, ſed ex Africa in Sardiniam penetraſſe vir Doctiſſ. cenſet; ſicut & *Cor-*

ſos in Sardinia ita dictos fuiſſe ab חוֹרֶ שְׁאִי *Choreſci*, *Sylvis*, nequaquam vero a *Corſica*, unde in Sardiniam venerint. Parum hinc abfuit opinione Palmerius in Exercit.ad Diodori lib.5. edit.Henr.Steph.p.205, L.Rhodom. p.295,ubi *Calarim* Urbem in Sardinia a Phocenſibus conditam refert. Locum enim in mendo cubare pugnat, atque pro Κάλαριν, quam a Poenis fuiſſe conditam Claudiani de bello Gildonico teſtimonio contendit, legendum Ἀλαλίην *Alaliam* in Cyrno, ſive Corſica Urbem, quam Phocenſium opus revera fuiſſe prolato Herodoti lib.1. teſtimonio probat.

LXXXVIII. Ut ut haecce de *Sardiniae* Antiquitatibus, Originibuſque ſe habeant, queis diutius immorari non vacat, ad *Athenienſium* Coloniis gradu reflexo, ſecundam, quae hancce ſubſequuta legitur, ex *Attica* expeditionem ſuſcepiſſe fertur *Codri*, qui poſtremus Regis nomine Athenis imperavit, atque imperare ante Chriſti natalem anno 1095. deſiit, filius *Nileus*, qui cum *Jonicae* Claſſis, qua de ſupra dictum, ducibus aliis in Aſiam appulſus Chriſtianam ante Aeram anno 1077, ut habent Marmora Oxon. Epocha XXVI, aliis alios occupantibus *Joniae* fines, *Epheſo*, *Erythris*, *Clazomenis*, *Colophone* &c., ipſe ſua cum manu *Miletum* tenuit, Pauſania teſte in Achaic., hoc eſt lib.7. cap.2 p.524, juncto Herodoto lib. 9. p. 625. Coloniae poſthac longe plures ex Attica eductae referuntur; atque *Solone* adhortatore quidem in *Salaminem* in Cypro, Diogeni Laertio in Solone, Juſtino lib.2. p.38, & Aeliano Var. lib. 7. cap. 19. In *Cherſoneſum* Thraciae *Miltiade* duce, non *Cimonis*, ut Pauſaniae viſum, ſed *Cypſeli* filio, Herodoto teſte lib.6. cap.38, quod ante Chriſti natalem anno circiter 560. factum probe obſervat Freretus in Defenſ.Vet.Chron. adv. Newtonum Par. I. ſect. 3. p. 88. ſq.; ac *Sardes* in Cilicia eodem *Solone* auctore, Laertio loc. cit. In *Delum*, & *Naxum* Inſulas a *Piſiſtrato* Tyranno Olymp. 54. anno 4, Chriſti ante natalem 651, aut inſeq. miſſa, Herodoto lib.1. p.24, & 27, ac Thucydidi lib. 3. p. 242. In *Euboeam* ſub *Cliſtene*, Herodoto lib. 5. p. 358. ſq. Poſt annos 30. in *Chryſen* Inſulam Aegei Maris, duce *Miltiade* Cimonis filio, qui, ut obſervat Palmerius Exercit. in Pauſaniae Eliac. p.409, prioris illius *Miltiadis* filii *Cypſeli*

ex

ex uterino fratre *Cimone* nepos erat, Herodoto lib.6. p.432. In *Cyprum*, & *Helleſpontum*, inde Perſis ejectis, ducibus *Ariſtide*, ac *Cimone*, Thucydidi lib. 1. p. 63. In *Scyrum* Aegei Maris Inſulam, *Cimone* duce, Pelaſgis, ac Dolopibus exinde pulſis, Thucydidi lib. 1. p.65, Pauſaniae in Lacon., ideſt lib.3. cap.3. p.210. ſq., ac Diodoro lib.2. p.45. In *Cariae*, ac *Lyciae* Urbes Maritimas, eodem *Cimone* ductore, Diodoro ibid. In *Thaſum* Inſulam, Thucydidi ibid. p.66. Eodem *Cimone* duce, Perſis navali, terreſtrique ad Eurymedontem Pamphyliae fluvium praelio fuſis, profligatiſque, eaque celebri obtenta pace, qua Graecis omnibus in Aſia Civitatibus A'υτονομία a Perſis confirmata eſt, qua de Diodorus lib. 2. p.47, & Plutarchus in Cimone, Colonia *Amphipolim* in Macedonia alia deducta traditur Diodoro lib.2. p.54, Thucydidi lib. 1. p. 66, ac Plutarcho in Cimone p.482. In *Lemnum* Atho monti adverſam Inſulam, Pelaſgis inde pulſis, *Miltiade* Cimonis filio duce, Herodoto lib. 6. p. 434. ſq. In *Boeotiam*, & *Phocidem*, ductore *Myronide*, Diodoro loc. cit. p. 61. ſqq., & Thucydidi lib. 1. p.70. In *Aeginam* duce *Leocrate*. In *Zacynthum*, *Cephaleniam*, & *Naupactum* Inſulas, *Tolmide* duce, Thucydidi loc. cit. p.71, ac Diodoro p.64. In Aegypto *Meraphim*, & in *Proſopitidem* Inſulam, e quibus annos poſt 6. a Perſis expulſi fuere, Diodoro lib. 1. p. 58. ſq., ac Thucydidi loc. cit. In *Peloponneſum*, & *Acarnaniam* ſub *Pericle*. In *Cherſoneſum* iterum, *Euboeam* item, *Cytheram*, *Naxum* Inſulas, & *Chaeroneam* in Boeotia ſub *Tolmide*, Diodoro loc. cit., Thucydidi p.72. ſqq., & Pauſaniae in Attic. lib. 1. cap.27. p.65: ſed a Boeotis ad Coronaeam, (quo gravi Athenienſes, ac Boeotos praelio ab *Ageſilao* pridem ante Chriſti natalem anno 957. profligatos referunt Nepos in Ageſ. cap.4, & Diodorus lib. 14. cap. 85.), praelio Athenienſes proſtrati Boeotiam relinquere coacti fuere, Thucydide teſte p.73, qui p. ſq. Peloponneſi Urbes praeterea *Niſeam*, *Achajam*, *Pegem*, & *Troezenem* Lacedaemoniis Athenienſes reſtituere compulſos refert; qua de re quoque Diodorus p.76, ac Pauſanias in Eliac. prior. lib.5. cap.23. p.437. Sub *Pericle* itidem in *Samum*, *Corcyram*, *Aeginam*, & *Cephaleniam*, Aeliano Var. lib.2. cap.9, ac Thucydidi lib. 1. p. 74.

ſq.,

ſq., & lib.2. p.117. ſqq. In *Lesbum* iterum *Pachete* duce, Thucydidi lib.3. p.172. ſqq., 192. ſqq., ac Straboni lib. 13. p.600. In *Cytheram* Inſulam rurſus, inque *Niſeam*, duce *Nicia*, Thucydidi lib.4. p.286, & 298. ſq. In *Melum* Cycladum Inſulam, Thucydidi lib.5. p.409. ſq. In *Cyzicum* in Myſia, & *Chryſopolim* in Chalcidonia, *Alcibiade* duce, Xenophonti Hellen. lib.1. p.234. ſq. *Adramyttium* in Myſia Straboni lib.13. p.606. *Achillaeum* in Troade, Plinio lib.5. cap. 30. In *Corcyram* iterum, duce T*imotheo* Cononis filio, Xenophonti Hellen. lib.5. in fine. In *Cherſoneſum* tertio, ac *Seſtum* in Helleſponto, *Charete* duce, Diodoro lib.16. p.344. Donec Athenienſium Reſpublica a Macedonum potentia oppreſſa, in Romanorum deinde poteſtatem devenit, facta ei tamen propriis utendi legibus, Popularique agendi forma facultate, qua de Strabo lib.9. p.398, ac Plinius lib.4. cap.7, noſque fuſius ſuo infra loco.

LXXXIX. Aſiaticas, Graecaſque alias confertim modo perſtringendo Colonias, quae earumdem Chronologiae lucem adfundere queant aliquam, a *Lelegibus* in Joniam ductam olim fuiſse Coloniam diſcimus; quibus deinde pulſis, Regio tota, ubi poſtea conditae fuere *Epheſus*, olim T*rachia*, item *Ortygia*, ac etiam *Ptelea* vocata, imo Σάμορνα, teſtibus Heſychio, ac Stephano de Urb. p.122, *Epheſus* poſtea ab *Epheſo* Dianae Miniſtra, ac *Smyrna*, antea *Naulochus* dicta, poſtea vero de uxoris T*heſei* nomine *Smyrna*, conditae ſunt, a *Jonibus* duce *Androclo* Codri filio eſt occupata; ab *Aeolibus* viciſſim, T*heſeo* duce, ſed iis rurſus ejectis, a *Jonibus*, qui *Colophonem* tranſmigrarant, regreſſis eſt recuperata, in *Aeolum* poteſtate tamen reliquis *Joniae* Civitatibus XI. remanentibus: qua de re Herodotus lib.1. p.69. ſq., Strabo lib.14. p.634, & Pauſanias in Achaic., ideſt lib.7. cap.2. p.525. ſq., & cap.5. p.532. ſq., ubi de nova dein ab *Alexandro* M. condita *Smyrna* ad Nemeſium Fanum, eòque Colonis tranſductis *Smyrnaeis* agit. Eodem *Androclo* duce *Epheſia* inducta in *Samum* Inſulam Colonia traditur Straboni lib.14. ſub init., ac Pauſaniae in Achaic. capp.2, & 4. p.526, & 530, inde pulſis *Smyrnaeis*, a quibus duce *Procle* Epidaurii in Inſulam Coloni tranſplantati fuerant: qui decimo poſt anno, *Leogero* Proclis filio ductore, pulſis inde

inde Epheſiis, *Samum* recuperarunt. E *Samo* ab Epheſiis viciſſim expulſos *Samios* in Dardaniam, poſt *Samothraciam* nuncupatam, abiiſſe, Coloniſque repleviſſe tradunt Pauſanias loc. cit., Strabo lib. 10. p. 457, & Marcianus in Perieg. p. 28. In *Maeoniam* etiam ducta ab *Epheſiis* Colonia memoratur Straboni lib. 13. p. 622. *Epheſo* poſtea a *Lyſimacho* inſtaurata, eò Colonos *Lebedios*, & *Colophonios*, eorumdem Urbibus everſis, translatos tradit Pauſanias in Attic., ſive lib. 1. cap. 9. p. 23. Tenuere primum *Lebedum* Cares, & *Colophonem* Cretes duce *Rhacio*, ac deinde Argivi *Therſandro* duce. Verum poſtea *Caribus* ejectis, *Colophonem* obtinuere, *Mopſo* Rhacii filio auctore, *Cretes*, duce vero *Andraemone* Codri filio, *Lebedum* occuparunt Athenienſes. *Teon* etiam Urbem *Cares* initio, *Athamante* Aeoli pronepote ductore, obtinuere, quò poſtea *Jones* Coloni ab *Apoeco* Melanthi pronepote, deindeque *Athenienſes*, ac *Boeoti* a *Damaſo*, & *Naoclo* Codri filiis, ac *Gerete* Boeoto deducti ſunt, velut habent Strabo lib. 14. p. 633, Stephanus de Urb. p. 321, ac Pauſanias in Achaic. lib. 7. cap. 3. p. 527. ſq. A *Tejis* poſtea Colonia in *Thraciam* ducta, conditam *Abderam* ex Herodoto lib. 1. p. 77. ſuperius audivimus. E *Creta* vero ab *Erythro* Rhadamanti filio ducti Cives *Erythram* incoluere in Aeolide, quò deinde Coloni *Jones* deducti a *Cleopo* altero *Codri* filio, fuere. Sed & inde profecti *Jones* duce *Parphoro* tum *Clazomenam* in Lydia occuparunt, tum *Scipium* in Jonia condiderunt, uti refert Pauſanias loc. cit. p. 529. *Myus* etiam, & *Prienes* Joniae Urbes, *Caribus* olim inhabitatae erant; quibus poſt inde pulſis, utraque *Jones* Urbe potiti ſunt, *Myunte* duce *Cyarato* Codri filio, *Priene* duce *Aepyto* Nelei filio, teſte Pauſania loc. cit. p. 526. Poſtquam autem *Cares*, Olympiadis 15. anno 1. non utique, ſicut habet Euſebius in Chron. p. 418, bene vero annos 12. ante, ideſt Olymp. 12. anno 1, Chriſti ante natalem 732, velut ex Thucydide lib. 1, ac Strabone lib. 14. p. 734. notatum eſt Scaligero n. 1284, ac Vallarſio ibid. in Not., Maris imperio, (quod anno poſt 1. Olymp. 27, aut 29, prout Euſebii Chronica cum Edita, tum Mſs. variant, obtinuere per annos 68. *Lesbii*), potiti *Cares*, inquam, ſunt, Colonias in Cyclades Inſulas *Symen*, & *Cnidum* a Rhodo

do non longe, *Diam* in Creta, quae *Naxus* poſtea de *Naxi* ducis nomine dicta eſt, *Niſyrum*, & *Calydnam* circa Cretam deducendas curarunt. In *Rhodum* etiam, Phoenicibus, illò primum a *Cadmo* inlatis, exinde pulſis, veluti Conon Narrat. 47. apud Photium Cod. 186. p. 454. ſq. auctor eſt. Poſthac vero *Caribus* ipſis qua inde pulſis, qua alicubi manere permiſſis, eorumdem in locum Coloniae qua a *Dorienſibus*, qua a *Cretenſibus* inductae ſunt, Conone loc.cit., ac Diodoro lib. 5. p. 325. ſq. teſtibus. E *Cnido* quoque Inſula, (quam *Cypro* perperam a Joh. Meurſio adtributam, liquidis Pauſaniae in Attic. lib. 1. cap. 1. p. 4, ac Strabonis lib. 14. p. 451. teſtimoniis in *Cherſoneſi* Caricae Peninſula conſitam oſtendit Cellarius in Geogr. Antiq. T.II. lib. 3. cap. 3. p. 82. ſq., & cap. 7. p. 237. ſq.), e *Cnido*, inquam, Colonos, qua in *Corcyram*, qua in *Liparam* Inſulas, *Pentathlo* duce, fuiſſe transductos tradit Pauſanias in Phocic lib. 10. cap. 11. p. 824. In *Termilas* ad haec, quae poſt *Lycia* dicta eſt de *Lycio* Pandionis filio, teſte Mela lib. 1. cap. 15, e *Creta*, ductore *Sarpedone*, inde poſt a *Minoe* pulſo, longe ante Colonos advenifse perhibent Herodotus lib. 1. p. 79, Strabo lib. 14. p. 667, & Pauſanias in Achaic. lib. 7. cap. 3. p. 529. E *Troezene* vero a *Pelopis* poſteris Colonos *Halicarnaſſum*, ac *Myndum* nobiles in Caria Urbes fuiſſe tranſductos memoriae tradidere Herodotus lib. 7. p. 472, ac Pauſanias in Corinth., ideſt lib. 2. cap. 30. p. 182: quo patet *Argivorum* Coloniam fuiſſe *Halicarnaſſum* ſcripſiſſe haud recte Melam lib. 1. cap. 16. Qua ex *Argivis* tamen, qua ex *Megarenſibus* item ab Ilio pridem reductis ab *Amphiloco*, & a *Calchante*, profectos fuiſſe *Pamphylios*, atque praeſertim *Amphylochios*, Herodotus lib. 7. p. 470, ac Pauſanias in Attic. lib. 1. cap. 43. p. 103, in Corinth. lib. 2. cap. 18. p. 150, & in Achaic. lib. 7. cap. 3. p. 529. auctores ſe praebent. In *Ciliciam* quoque *Argivorum* ductas tum primo a *Triptolemo*, tum poſt ab *Amphilocho* Colonias fuiſſe teſtatam rem faciunt Strabo lib. 14. p. 673. ſqq., & Euſtathius in Dionyſ. Περιηγ.; quo ipſo fere tempore a duobus Argivis fratribus aliis *Lacio* in Pamphylia *Pharſalum*, & ab *Antiphemo* in Sicilia *Gelam* fuiſſe conditas ſupra vidimus apud Pauſaniam in Arcad. lib. 8. cap. 46. p. 694, Athenaeum lib. 8, ac Stepha-

num

num de Urb. p. 82. Sed & *Soloem* in Cilicia, quae poſtremo Piratis a *Pompejo* adſignata, *Pompejopolis* exinde nomen tulit, *Rhodiorum* fuiſſe Coloniam; Coloniaſque praeterea *Samiorum* geminas Urbes *Natidum*, ac *Celendrem*, quae poſterior prope *Sarpedum* Promontorium, quo *Sarpedonis* Lyciae olim Regis, qui Trojanis adverſus Graecos auxilio fuiſſe fertur, Regnum finiebatur, poſita erat, fuiſſe refert Pomponius Mela lib. 1. cap. 13.

XC. Ut unde cepit, eò demum noſtra jam deſinat oratio, de quadruplici *Judaeorum* deportatione ſub *Salmanaſare*, ac deinde ſub *Nabuchodonozore* II. in Aſſyriam, Mediam, ac Babyloniam, geminaque altera ſub *Alexandro Magno*, ac *Ptolomaeo Lagi* filio praeſertim in *Aegyptum* facta, paucis, quoad ejus fieri poterit, ſupereſt, ut dicamus, deque ſequutis deinde aliis, dictiſque de Colonis hactenus ita colophonem imponamus. Atque prima quidem e Chaldaea in Meſopotamiam a *Thare* Geneſ. xi. 28. ſqq., ac Joſue xxiv. 2. ſq.; inde ſecunda cum in Chananaeam, tum in Aegyptum ab *Abrahamo* Gen. xii. 5. ſqq., & Actor. vii. 3. ſq.; a *Jacobo*, filiiſque in Aegyptum altera poſtea Gen. xlvi. 5. ſqq., & Act. vii. 15; ab *Eſau*, ac *Iſmaele*, una cum poſteris, & *Abrahamo* ex *Cetura* prognatis aliis in Arabiam Gen. xxv. 16. ſqq., & xxxvi. 8. ſqq., ac Joſue xxiv. 3. ſq.; ex Aegypto quinta in Palaeſtinam a *Moyſe* Exodi xiii. 3. ſqq., & Joſue i. 2. ſqq. tranſplantata *Hebraeorum* Colonia pervulgata adeo eſt, quam ut ſermone proteri nobis adhuc indigeat. Poſthac itaque *Phacee* Regis Iſrael xviii. anno regni 12, Chriſti ante natalem 744, juxta Daudaeum in Chron. Sacr. Bibl. T. I. edit. Ven. p. 224; vel regni 19, ante Chriſtianam aeram 740, juxta Uſſerium in Annal. Vet. Teſt. p. 51; vel regni anno 2, Chriſti ante natalem 752, juxta Tourneminium in Tab. Chron. Oper. Menochii T. II. p. 373, ab Aſſyriae rege *Theglathphalaſare*, Ninive regnante, qui Aeliano Hiſt. Anim. lib. 12. cap. 21. *Thilgamus* dicitur, *Ninus Junior* Caſtori Rhodio in Chron. apud Euſebium in Graec. Fragm., regni anno 8, *Achazo* Rege Judae ipſius auxilium implorante adverſus *Raſin* Syriae, & *Phacee* Iſrael Reges, Galaaditide; Nephtalitide, & Galileae parte occupatis, Tribus Ruben, Gad, Za-

Zabulon, Nephtali, ac dimidia Manaſſis Tribus in Aſſyriam deportatae leguntur IV. Reg. xv. 29, & I. Paralip. v. 26. *Oſee* deinde Iſraelis Regis xix, ac ultimi, quocum Iſraelis regno, poſtquam annis 254, minus vere 235, menſibus 7, ac diebus totidem, ut Witſius vult de Decem Tribub. cap. 2. §. 9. p. 253, ſtetiſset a Regno Judae ſejunctum, finis impoſitus eſt, Regni anno 9, Chriſti ante natalem 721, juxta Uſſerium Annal. p. 54, ſive 718. juxta Daudaeum Bibl. T. I. p. 226, ac Tourneminium loc. cit., poſt tres obſidionis annos a *Salmanaſare* Aſſyriae Rege, qui poſt *Theglathphalaſarem* in Ninive regnavit, quemque cum *Nabonaſſaro* Chaldaeae Rege Babylone regnante perperam confundit Syncellus in Chron. p. 204. edit. Pariſ., Ven. p. 163, qui & *Enemaſſarus* in Graeco Tobiae dicitur, ac *Shalman* Oſeae x. 14, regni anno 8, capta Samaria, & in vincula *Oſea* conjecto, reliquae Iſraelis Tribus Iſachar, Aſer, Dan, Ephraim, ac Manaſſis reliqua in Aſſyriam, ac Mediam translatae ſunt IV. Reg. xvii. 4. ſqq., ac xviii. 9. ſq., & Tob. 1. 2; reliquiis poſtea, quae ex proletario genere, ac praeſertim ex Tribu Ephraim Iſajae vii. 8, juncto IV. Reg. xxiii. 19. ſq., & II. Paralip. xxxiv. 6. ſqq. 33, & xxxv. 18: queis ex locis conſtat Iſraelitas adhuc in Regno Samariae reliquos fuiſse pleroſque, Iſraelis reliquiis, inquam, poſt annos 44, una cum *Manaſſe* Rege Judae captivo, in Aſsyriam abductis ab *Aſſarbaddone* filio *Sennacheribi*, nepote *Salmanaſaris*, qui *Aſſaradinus* Theoni in Can. Reg. Aſtron. dictus legitur apud Dodwellum in Adpend. ad diſsert. Cyprian. p. 163, a quove Ninives regnum Babylonico denuo conjunctum fuerat, II. Paralip. xxxiii. 11, ac I. Eſdrae iv. 2, junctis Judaeis Rabbinis in *Seder Olam Rabba*, R. Davide Kimchio in Ezech. iv, ac Talmudiſtis apud Jacobum Cappellum in Chron., ac Uſſerium in Annal. Vet. Teſt. Aetat. M. V. p. 59.

XCI. Atque haec *Iſraelis* ſane fata, queis *Judae* fuere ſimillima, Dei indignationem in ſe provocante utriuſque Populi impietate. Nam *Joachimi* patris Judae regis anno ult., Chriſti ante natalem 600, a *Nabuchodonozore* II. Aſſyriae Rege anno 7. Judaea vaſtata, Rege capto, interfectoque, captivi Babylonem Judaei 3023. abducti ſunt. *Joachimi* filii deinde anno 1,

Digitized by Google

no 1, ante Chriſtianam Aeram 599. ab eodem Aſſyriae rege anno 8, una cum Rege capta Jeroſolyma, in captivitatem inde Judaei decem mille, Bellatorum ſeptem mille, praeter gregarios, alioſque promiſcui generis innumeros, Babylonem deportati ſunt IV.Reg. xxiv. 2. ſqq., & 10. ſqq., II. Paralip.xxxvi.6. ſqq., & Iſaj. xxxix. 6. Anno denique *Sedeciae* 9, Chriſti ante natalem 589, obſeſſa Jeroſolyma, biennioque poſt, *Nabuchodonozoris* anno 19. capta denuo, deſtructaque, una cum *Sedecia* rege in captivitatem reliquum vulgus Babylonem abductum eſt IV. Reg. xxv. 1. ſqq., & II. Paralip. xxxvi. 17. ſqq. Ita Judaei Babylonem deportati ſunt ab initio Regni *Davidis* anno 468, a decem Tribuum diſtractione 388, ab Iſraelitici Regni excidio, Tribuumque decem deportatione 134. IV.Reg.xxv. 21, ac Hierem. lii. 27. ſqq. De Populo, qui pro colendis agris reliqui fuerant, paullo poſt *Johannane* duce arrepta e patria fuga plerique in Aegyptum profecti ſunt. At enim anno poſt 16, Chriſti ante natalem 571. a *Nabuchodonozore*, invaſa Aegypto, Regeque *Aprie* victo, cum ex Aegyptiis, tum ex Judaeis alii gladio interfecti, captivi alii Babylonem abducti ſunt, juxta Prophetias Hier. xlii. 15. ſqq., xliii. 10. ſqq., xliv. 26. ſqq., & xlvi. 2. ſqq., ac Ezech. xxix. 19. ſqq., xxx. 10. ſqq., xxxi. 10. ſqq., & xxxii. 2. ſqq. Ad rem nunc ante meam, quam me accingo, concordandi obiter ſecummet *Iſajas*, ac cum *Amoſo S. Stephanus* ſunt. Iſajas enim cap. vii. 8. decem Tribuum deportationem poſt annos 65. futuram praedixit, quo tamen a praedictionis tempore annos 23. non amplius effluxiſſe inde oſtenditur, quod praedictio haec ſub *Achozo* facta eſt verſ. 1, decem Tribuum deportatio vero *Oſee* anno 9, *Ezechiae* 6. contigit IV. Reg. xvii. 6, & xviii. 10: quo patet ab *Achazi* anno 1, qui annis 16. dumtaxat regnavit, ad *Ezechiae* annum 6. effluxiſſe annos 23. non amplius Quocirca difficultati huic ut occurreret Grotius Crit. Sacr. T. II. edit. Francof. p. 2323. ſq., Textum ſollicitare non eſt veritus, atque Jſajae loco cit. ם male additum ad שש exiſtimat, unde legendum vult, non utique שִׁשִּׁים וְחָמֵשׁ *Sciſcim Vechameſc*, *Sexaginta*, *& quinque*, ſed שֵׁשׁ וְחָמֵשׁ *Sciſc Vechameſc*, *Sex*, *& quinque*, ideſt *Undecim*: quo e numero anni duo ad ultima *Phacee* Regis tempora, reliqui novem ad tempus *Oſee* perti-

 neant,

neant, ut ipſe putat. Verum ita contra Sacrorum Codicum fidem agere rem eſſe temeritatis plenam, culpaeque quis abneget? Hebraeis deinde loco undecim dinumerare ſex, & quinque inſolens eſt ſane, nullibi loquutionis iſtiuſmodi exemplo extante, qua de re Buxtorfius in Vind. verit. diſſert. 2. cap. 13, ac Pollenus in Synop. Crit. Sacr. T. III. p. 72. Nec ulla conjectura ſatis firma praedictio iſthaec *Phacee* anno 2. facta ſuaderi poteſt, ſed computus hic ex ingenio potius confictus adparet. Itaque Vatablo, Caſtalioni, Clario, Forerio Critic. Sacr. T. II. p. 2307. ſqq., Sanctio, Poleno, Kimchio, Cornelio a Lap., aliiſque poſt ipſos, viſus eſt Iſajas reſpexiſſe ad prophetiam Amoſi II. 6, IV. 2. ſq., & V. 27, a quo decem Tribuum deportatio fuerat denuntiata, qua a prophetia Amoſi uſque ad Tribuum decem exſilium anni 65. ſic colliguntur. Etenim vaticinatus eſt Amoſus *Jeroboami* anno 17, qui a vaticinio adhuc regnavit annos 24: quibus additi *Manahem* anni 10, *Phacejae* anni 11, *Phacee* 20, & *Oſee* 9. efficient annos 65, praeter menſes 7. *Sellum*, & *Zachariae* Regum Iſrael. Idem etiam annorum 65. aliter colligitur numerus, inito Regum Judae calculo. Vaticinatus namque Amoſus eſt *Oziae* anno 25, qui regnavit annis 52, quibus 27. adjunctis *Joathani* annis 16, *Achazi* 16, & *Ezechiae* 6. fient anni 65. Verum praeter quam quod nulla aſſequi conjectura poteſt, quod ad *Amoſi* prophetiam, ejuſque potius, quam ad prophetiam *Ahiae* Silonitae, quae antiquior eſt III. Reg. XIV. 15, quin ad antiquiſſimam *Balaami* Num. XXIV. 22. reſpexerit Iſajas, incertum eſt, quod Amoſus *Oſiae* anno 25. prophetare ceperit; quin antea incepiſſe inde ſuadetur, quod ſub *Jeroboamo* pariter incepiſſe legitur, qui cum *Oſea* annos nonniſi 14. regnavit. Coccejus itaque, Witſius de Decem Tribub. cap. 2. §. 17. p. 255. ſq., & Hottingerus de Incolis Samar. Adpend. 1. §. 8. p. 365. ſq. Iſajae Vaticinium a *Jeroboami* II. obitu incundum exiſtimant, in quo Iſraelis regnum abolitum aeſtimari debeat: qui poſt enim regnaſse videntur, *Zacharias*, *Sellum*, *Manahen*, *Phaceja*, *Phacee*, & *Oſee*, potius quam Reges, invaſores, ac Tyranni rite aeſtimandi ſunt: a *Jeroboami* II. vero obitu *Oſiae* anno 15. ad *Joathamum* anni 37, a *Joathamo* ad *Oſee* 19, *Oſee* 9. additi annos 65. conficiunt. Neque vero *Amoſo* v. 27, ubi decem Tri-

Tribus ultra *Damaſcum* tranſportandae praedicuntur, adverſatur S. *Stephanus* Actor. VII. 43, ubi trans *Babylonem* eas fuiſse translatas adfirmat: quod enim indefinite Tribus illas ultra *Damaſcum* abducendas vaticinatus eſt *Amoſus*, definite ultra *Babylonem*, in fines Mediae ideſt, deportatas adfirmavit S. *Stephanus*, velut eventus demonſtravit. Altero cum *Amoſo* compoſuit S. *Stephanum* modo Petitus, eumque pone ſequutus Witſius loc. cit. cap. 2. §. 12 p. 253. ſq. Nempe cum Rege Damaſci *Raſin* contra *Achazum* Judae Regem conſpiraverat *Phacee* Rex Iſrael IV. Reg. XV. 37, XVI. 5. ſqq., II. Paralip. XXVIII. 6. ſqq., & Iſaj. VII. 1. ſqq. Ab *Achazo* itaque exſtimulatus *Theglathphalaſar* Aſſyriae Rex, primo capta Damaſco, & *Raſin* interfecto, Damaſcenos tranſtulit *Cyrenem*, ea ſive Urbs Mediae fuerit, quod Bocharto viſum, ſive Albaniae, quod Grotio, ſive Aſsyriae, quod Coccejo, ſive Babyloniae, quod Petito: poſtea vero Galaaditide, Nephtalitide, & Galilaea occupatis, Iſraelitas tranſtulit in Aſsyriam, ac Mediam. Hoc ſenſu itaque *Amoſus* praedixerat Iſraelitas tranſportandos fore ultra Damaſcum, ideſt longius, quam antea Damaſceni fuerant deportati: quem optime ſenſum aſsequutus S. *Stephanus* explicavit tranſplantatos ideſt Iſraelitas fuiſse trans *Babylonem*, in Mediam ideſt; ac longius, quam Damaſceni pridem fuerant tranſportati.

XCII. Hiſce praehabitis, tam primo a *Theglathphalaſare*, quam poſt a *Salmanaſare*, ac poſtremo ab *Aſſarhaddone* decem Iſraelis Tribus in Aſſyriam, ac Mediam fuiſſe tranſplantatas liquido patet ex IV. Reg. XV. 29, & XVII. 23, ideſt in Lahela, & in Habor, & Ara, & fluvium Gozan, Civitates Medorum, ut explicatur IV. Reg. XVII. 6, XVIII. 11, & I. Paralip. V. 26. Quandoquidem vero Sacrae Litterae ſic diſerte loquuntur, decem Tribus ideſt in Aſſyriam, ac Mediam fuiſſe deportatas, jure mirari valdequam ſubjit Grotio, Bocharto, Witſio, Baſnagio, Hottingero, & Baratierio fuiſſe, qui in Colchidem, aut Iberiam, Albaniam, Mingreliam, aut Armeniam, aut Scythiam deportatos Iſraelitas crediderint. Hinc ſera vel ſub aetate R. Petachias patria Ratiſponenſis, Seculi XII. Scriptor in Itiner. apud Wagenſeilium in *Sotah Miſchna*,

& apud

& apud Baſnagium in Hiſt. Jud. lib. 9. cap. 9. p. 246. ſqq. in Tartaria ſe quidem Judaeum neminem reperiſſe ſcribit, at multos oppido in Aſſyria, ac Media, eò olim tranſductos, ac *Ninive* ad Tigrim ſex mille, *Bagdadi* mille, in *Perſide* ſexcentos mille: in quo tamen figmenta pleraque deprehendit, caſtigavitque Baſnagius loc. cit. Benajamin etiam Tudelenſis in Itin. p. 59. ſqq., edit. Baratierii cap. 11. p. 129. ſqq., cap. 12. p. 136. ſqq., & cap. 13. ſq. p. 155. ſqq. loca Perſidis, Mediae, & Aſſyriae diſtinctius expreſſit, ubi decem Tribus olim domicilia habuere, ſuaque adhuc aetate Millenarii Jud. V. anno 933, qui fuit annus Aerae Chriſtianae 1173, in Urbe *Baſſora* in Tigris Inſula, uti Baſnagio videtur, verius in *Gezira* Urbe ab *Homaro* condita, velut oſtendit Baratierius in Not. p. 129. ſq., Iſraelitas quatuor mille repeꝛiſse ſcribit; in *Almoſal*, ſive *Mouſul*, quae vetus eſt *Ninive*, ad Tigris ripam, ſeptem mille; in *Robobod* duo mille; in *Karchemis*, ubi Aegypti Rex *Necao* de Aſsyriae Rege victoriam retulit IV. Reg. XXIII. 29, & II. Paralip. XXXV. 20., ſqq., ante Chriſti natalem anno 610, ad Euphratem quingentos; in *Pundebita*, ubi celebris olim Judaeorum Academia, hodie *Aliobar*, duo mille; in *Harda* 15. mille; in *Obkera* decem mille; in *Babylone* 20. mille, uti legendum vult Baratierius p. 157, non mille dumtaxat, ut Baſnagio viſum; in *Reſen* Urbe ad fluvium Chobar quinque mille; in *Hila* decem mille; in *Coupha* ſeptem mille; in *Naphcha* 500; in *Alkorzonath* 300; in *Hamadan* Urbe in Parthia ad occidentem poſita quinquaginta mille; in Urbibus *Tanai*, ac *Tilimaſa* centies mille, totidemque in Urbe *Thema*. Quamquam ex his multa exaggerata, commentaque ſunt, ut quae de Itineribus a ſe confectis refert, in quibus falſa pleraque infarta obſervat Baratierius p. 136. ſqq.; quae de decem Judaeorum in una Babylone Urbe Academiis, ſive Conſiſtoriis jactat, quorum inter Principes R. *Tſemach* genealogiam a *Samuele* Propheta trahere dicitur, quique omnibus praeeſt, R. *Daniel* Captivitatis Princeps, *Adonenu*, ideſt *Dominus Noſter*, & *Roſch Haggolah*, ideſt *Caput Captivitatis* Judaeis, Mohammedanis *Saiedna ben Davvovd* adpellatus dicitur, a *Davide* originem ducere fertur, poteſtatemque gerere in Synagogas omnes, quae ſunt in Chaldaea, Perſide, Chorasai-

raſaina, Scheba, ſeu Al-Jemen, ideſt Arabia Felice, in Diarbech, hoc eſt Meſopotamia, in kut ad Montem Ararat, in Alania, Sicaria, ideſt Circaſſia, ſive Scythia, ſeu Albania, ac in Aſania, & Gergenia uſque ad fluvium Gihon, ſeu Oxum, ac Regiones Tibethi, Indumque fluvium; quae de *Rechabitarum* regno inter duos fratres e ſtirpe *David* bipartito *Annam*, & *Salomonem* refert, in poſterioris dominio Urbes 40, Oppida 200, Arces 100, Subditos 300000. extitiſſe ſubjungens. Cum Judaeis e Captivitate poſt annos 70. regreſſis Iſraelitas quoque ingenti equidem multitudine rediiſſe non dubium eſt, eorumque ſane duodena ſaltem millia regreſſa fuiſſe inde conficit Lightfootus in Horis Hebr. in Addendis ad I. Corinth. xiv. cap. II. Oper. T. II. p. 929. ſq., quem pone ſequitur Witſius de Decem Trib. cap. 5. §. 5. p. 271. ſq., quod I. Eſdrae II. 64. Populi e Babylone reducis ſumma totalis computata legitur 42360; Familiarum tamen, quarum eodem loci adtexitur cenſus, numerus ad ſummam ultra 30000. non adſurgit: quo fit, ut numerus 12000, qui Familiarum extra cenſum eſt, fuerit aut proletarii genus, qui genealogiam derivare ſuam nequiverint, aut potius ex Iſraelitis haud oppido paucis. Potiorem attamen Iſraelitarum partem in loco Captivitatis remanere maluiſſe, inde arguit ibidem Lightfootus, quod I. Eſdrae I. 5. reducum profectionem *Eſdras* deſcribens, praeter Principes ex *Juda*, & *Benjamin*, cum Sacerdotibus, ac Levitis, expeditionis ſocios, ducéſque alios ex aliis Tribubus nullos commemorat. Quod argumento eſt recte ſcripſiſſe Joſephum Antiq. lib. 9. cap. 10. majorem Iſraelitarum partem domicilia, queis aſſueverant, relinquere noluiſſe; qui perinde lib. 11. cap. 5. ſq. ſubdit Judaeos per Aſiam Minorem, ac Europam diffuſos ex duabus Tribubus *Judae*, & *Benjamin* in patriam regreſſis originem duxiſſe. Jungit & illud, quod in Talmude Hieroſ. Tract. *Taanith* fol. 68. I. obſervant Talmudici ex I. Eſdrae II. 36. ſq. quatuor Sacerdotum dumtaxat ex Ephemeriis vigintiquatuor regreſſas fuiſſe: quod indicio eſt haud obſcuro Iſraelitarum longe potiorem in Aſſyria partem remanere delectatam fuiſſe; quam inde longe, lateque fuiſſe propagatam veri ſit valde quam ſimile.

XCIII. Tam pura, putaque figmenta ſunt quidem Judaeorum

rum Babyloniorum in Talmude Babyl. Tract. *Kiddushim* fol. 66. ſq., ubi referunt nobiliores Judaeorum familias Babylone remanſiſſe, ac *Davidis* genealogiam quammaxime, neque niſi Populi foecem, proletariique genus multitudinem ab *Eſdra* in Judaeam fuiſse abductam, quae ficta, reficta que ad nauſeam uſque legere fas eſt a R. Serira Gaon ex *Sanhedrin* cap. 1. in *Juchaſin* fol. 15. p. 2, & a R. Salomone Jarchi ad Talmudi locum ex Gen. XLIX. *Non auferetur ſceptrum* &c. apud Morinum in Exercit. Bibl. exercit. 4. cap. 2. p. 267; cujuſmodi poſt ambitio Judaeos quoque *Hiſpanos* invaſit, ut ſuam e Tribu *Juda* originem jactarent; quam fabulis ſimilia, ac ineptientium deliria ſunt Agyrtarum pleraque, quae de Iſraelitarum propagatione ſcripturire plerique non erubuere. Quem in cenſum referenda procul dubio, quae de Iſraelitis in *Laponia* quaerendis, quò nempe fuerint deportati, ſcripſit Olaus Rudbequius. Quae de Iſraelitis in *Americam* tranſplantatis ineptiſſime nugati ſunt Aharon Levi Monteſinius in Relatione an. 1644, ac R. Menaſſe ben Iſrael in futili libello inſcripto מקוה ישראל *Spes Iſrael* p. 83. ſqq., & 114. ſqq., anno 1650. Amſtel. cum Monteſinii libello edito, dicatoque Senatui Britannico: queis fidem adhibere, Judaeoſque pridem in Americam penetraſse non dubitarunt Thomas Thorowgood in lib. de Judaeis in America eodem an. 1650, Penius Anglus alter in epiſt. de Statu praeſenti Anglici Dominii in America p. 143. ſqq., Acoſta lib. 1. cap. 16, Zarata *Decouverte du Perou* T. II. cap. 10. ſqq., Laetius de Orig. Gent. Amer. p. 83, Leſcarbot Hiſt. Nov. Franc. T. I. cap. 3, a *Noe* ipſo Coloniam in Americam tranſmiſſam, alteramque deinde ex Chananaeis a *Joſue* loco fugatis ſcripturiens, Hennepinus in Itin., aliique Fabricio in Bibliogr. cap. 1. p. 17. ſq. memorati. Fabulis pariter deputanda, quae ex pſeudepigrapho IV. Eſdrae XIII. 41. ſqq. commenti plerique ſunt, veluti Falgenhaverus, de terra *Arſareth* incognita trans Euphratem; in quam Iſraelitarum pars haud exigua tranſmigrarit. Quae Joſephus Goronides de *Alexandri M.* itinere ad Montes חשך *Choſthec Tenebroſos*, ultra quos inhabitaſse *Jonathami*, & *Rechabi* poſteros adfirmat. Quae Eldadus Judaeus Itinerator alter in epiſt. ad Judaeos Hiſpanos apud Bartoloccium in Bibl. Rabb.

T.I.

T. I. p. 128. ſq., Latine verſa a Genebrardo in fine Chronolog. Hebr. p. 53, anno Mundi non utique 43, quinti ideſt Millenarii, juxta computum Hebraeorum, ut Bartoloccius putat, qui reſpondet Aerae Chriſtianae anno 1283, ſed anno M. 4640, qui Chriſti fuit 880, uti refert apud eumdem Bartoloccium ibid., probaturque Baſnagio in Hiſt. Jud. lib. 7. cap. 3. p. 44. ſq., R. Ghedalias Aben Jachiae in lib. *Scialſcel Hakab* p. 37. 6. ex R. Iſaaco Gahone in מר צמח *Mar Tzèmach*, Eldadus, inquam, ſcripſit de Tribu *Dan* ſub *Jeroboamo* profecta in Aethiopiam, ubi rerum potita ſumma fuerit, quò poſt etiam ſequutas Tribus *Nephtali*, *Gad*, & *Aſſer* ſubjungit; quas inter quatuor Tribus per quatuor anni tempora belli expeditiones fuerint diſpertitae; quaeque ita propagatae deinde fuerint, ut duplo majori numerum illorum, qui ex Aegypto egreſſi ſunt, facile ſuperaverint, atque poteſtatis in Aethiopia ſumma vicatim apud ipſas ſteterit. Quae R. Abraham Peritſolius Judaeus Ferrarienſis in ſuo ארחות עולם *Orchoth Olam*, Epiſtola de *Semitis Mundi* an. 1525. cap. 9. ſq. p. 63. ſqq., cap. 14. ſq., & cap. 23. ſqq. p. 148. ſqq. apud Bartoloccium in Bibl. T. I. p. 120. ſqq., ubi Judaeos ultra Gangem, quo nempe *Gozan* fluvium interpretatur, diffuſos, amplas *Perichae* Regiones *Schataniae* Aſſyriae inhabitare refert; in deſerto quoque Arabiae *Cabor* reges habere proprios; domicilia inſuper in Bengala, & Inſulis Philippinis, in Regnis Mogulis, Calicuth, Malabariae &c.; *Davidem* item Aethiopiae Regem ex *Judae* Tribu, ſtirpeque *David* procreatum; (quo falſo ſane eumdem ſe titulo in Legatione ad *Clementem* VII. inſcripſiſſe probat Ludolphus in Hiſt. Aethiop. lib. 2. cap. 1, & lib. 3. cap. 9.), cuique ſimilia tradit R. Ghedalias apud eumdem Ludolphum ibid., qui tamen haud inficiatur, quin in Aethiopia frequentes olim Judaei fuerint: quos capta a Sarracenis Aethiopia frequentes in Abyſſiniam ſeceſſiſſe obſervat Hottingerus in Hiſt. Orient. lib. 1. cap. 2. p. 214.

XCIV. In huncce quoque fabularum, ineptiarumque Judaicarum cenſum referenda certe ſunt, quae R. Judas Levita in libro *Cozri* Par. I. §. 1. ſqq. apud Baratierium Itin. R. Benjamini T. II. diſsert. 7. p. 286. ſqq., Joſeph Ben Gorion lib. 1. cap. 1, R. Abraham Bar-Chija in Sphaera Hebr. cap. 8. apud Buxtor-

Buxtorfium Praefat. in *Cozri*, R. Juda Muſcati apud eumdem Comment. in *Cozri* Par. I. §. 19, R. Abraham Ben-Dior in Sepher Hakkab. fol. 32. col. 3. apud Buxtorfium in Praef. ad *Cozri*, R. Judas Hallevy Poeta Hiſpanus Seculi XII. in Itin. R. Benjamini Tudel. Arabice ab ſe edito, ac poſt ipſum R. Petachias Itin. apud Buxtorfium in Praef. ad *Cozri*, R. Iſaac ben Abraham in libro Kol Mebaſſer apud Buxtorfium in *Cozri* Par. II. cap. 75, 83, & 92, R. Chaſdai Hiſpan. Seculi XIV. ſub fin. in epiſtola ad *Joſephum* Regem *Cozar* apud Bartoloccium Bibl. Rabb. T. II. p. 852. ſqq., R. Judas ben Tybon in Benjamini Itinere ex Arabico R. Hallevy translato in Hebraeum anno M. 4927, ac R. Aben Dana Ulyſſip. in eodem Itinere Hiſpanice reddito Amſtel. an. 5923. de Rege *Cozar* tradunt: quem e *Japheti* poſteris alii, alii ex *Thogarmae* ſtirpe progenitum faciunt, regni ſedem in Regione ad Maris Caſpii ſeptentrionem conſita denxiſse, a Tartaria haud procul diſſita, ibique ſeram uſque in aetatem, anno ideſt Aerae Chriſtianae 740, Judaico Populo Judaeos imperaſſe Reges fingunt. E quibus *Joſeph* Rex litteras de Religione dediſse ad R. Chaſdai fertur, ubi tradit *Cozarenos* e progenie *Togarmae* filii Japhet deſcendiſse; *Togarmae* filios decem fuiſse *Agiorem*, *Tirum*, *Ouvarem*, *Uginum*, *Biſalem*, *Tarnam*, *Cozarem*, *Sanurem*, *Balgadem*, *Savirem*; a Cozarenis veteres loco pulſos Indigenas fluvii *Donai* ripas prope Conſtantinopolim inhabitandas ſuſcepiſse; ampliſſimas vero Regiones ad fluvium prope Mare Caſpium a *Cozarenis* inhabitari; his ad ortum innumeras adjacere Gentes, ad meridiem Nationes quindecim, ad occaſum tres ſupra decem, ad aquilonem longe plures, omneſque Regi *Cozar* vectigales eſse; in Regno *Cozar* tres praecipuas eſſe Urbes, quarum prima, ubi Regina degit, tam in longitudine, quam in latitudine Paraſangas 50. habere, ideſt Itineris horas 60; (Judaeis namque Paraſangam conſtare paſſibus 4000, ideoque Leucae Germanicae aequalem eſse obſervat Baratierius in Not. ad Benjamini Iter cap. 1. T. I. p. 7, qui T. II. diſsert. 1. p. 42. adnotat Paraſangis Judaicis 15. conflari gradum 1, Paraſangas vero apud Perſas olim conſtitiſse paſsibus 3333, gradumque 1. Paraſangis 18, hodie vero Paraſangam 1. aequalem eſſe paſſibus

bus 3000, gradumque I. confici Paraſangis 20.); Urbem alteram, in qua Regia defixa ſedes eſt, Paraſangas 3. in longum, ac latum habere; tertiam denique Paraſangas 8. Suum adhaec deceſſorem *Bulanum* Regem ab Angelo admonitum, una cum Gente, Judaicam amplexum Religionem fuiſse; eodemque deinde Rege coram diſputatione de Religione habita inter Mohammedanum, Chriſtianum, ac Judaeum inita, viciſſe Judaeum. *Bulano* in Cozar Regno ſucceſſiſſe *Obadiam*, *Ezechiam*, *Manaſſem*, *Enochum*, *Iſaacum*, *Zabulonem*, *Manaſſem* II, *Niſſim*, *Menachem*, *Benjaminum*, *Aharonem*, Judaicae omnes Religionis ſtrenuos propugnatores, quos ipſe demum *Joſephus* excepit. Quae commenta eſse Seculo XII. a Judaeis conficta nemo non videt, non tam refutatione, quam riſu, contemptuque digna habita ex Judaeis ipſis R. Azariae de Rubeis in *Meor Enaim* cap. 42, & Davidi Gantz in *Tzemach David* fol. 36. 6; e Chriſtianis vero Baſnagio in Hiſt. Jud. lib. 9. cap. 1. §. 14. p. 16. ſqq., ac Baratierio in Itin. Benjam. T. II. diſsert. 7. p. 310. ſqq., ubi vitio vertit tam Hottingero Bibl. Orient. p. 96, quod Schariſoli ben Edriſi, & Achmedo ben Joſeph Geographis Arabibus fidens fabulam hancce pro hiſtoria habuerit, quam Buxtorſio Comm. in *Cozri*, quod a R. Juda Levita fabulam hancce primo confictam fuiſse crediderit, cujuſce primum auctorem fuiſse R. Chaſdai, quem floruiſſe in Hiſpania Seculo X, R. Judam vero non ante Seculum XII. oſtendit, ex ipſoque ceteros eamdem hauſiſse fabulam ipſe conſtituit. Fabulis perinde deputanda, quae Poſtellus in Hiſt. Orient. Par. I. cap. 5. ſq., & Oertelius in Tab. Geogr. &c. de Tartarorum origine e decem Iſraelis Tribubus derivata, a quibus deinde Scythis expulſis, novae Tartarorum Genti factum fuerit nomen, nomenclatione e voce *Totar*, qua Syriace *Reliquiae* ſignificantur, abſque delectu conſarcinarunt: quae ſane accepta habentes Thuanus etiam Hiſt. lib. 67, ac Baratierius Itin. Benjam. T. II. diſſert. 8. p. 333. ſqq. conjecturis hiſce ſuffulcire ſatagunt, quod apud Tartaros Circumciſio ante Mohammedum adhiberi conſueverit; quod inter Noachi dogmata ibidem Dei Unitas credita diu ante ſit; quod in Lapidibus Meſquitarum frequentes occurrant Chaldaicae litterae; quod in Tartarica lingua Vocabula ple-

raque Hebraicae linguae affinia valdequam ſint. Verum ejuſmodi figmenta exploſa videre eſt a Willelmo Wilhelmio de Decem Tribub., Fullero in Miſcell. lib. 2. cap. 5. Critic. Sacr. T. VII. edit. Francof. p. 68. ſqq., Adr. Pauli de Decem Trib., Brerewodo in Scrut. Relig. p. 39, Baſnagio Hiſt. Jud. lib. 7. cap. 2. §§. 5, & 15. p. 27. ſqq., & cap. 3. p. 62. ſqq., ac Hottingero de Incolis Samariae Adpend. I. §. 18. p. 374. ſq., qui otium ideo nobis fecere.

XCV. Haud infitendum tamen, quin e Media, & Aſſyria perinde tam Iſraelitarum, quam Judaeorum propagines longe, lateque ſe ſe effuderint in Hyrcaniam, Parthiam, Carmaniam, Perſidem, Indiam, ſicut & in Meſopotamiam, Armeniam, Colchidem, Iberiam, quin deinde in Africam, Libyam, Aegyptum, Arabiam, Aethiopiam, Abyſſiniam &c. Et certe Joſephus Antiq. lib. 11. cap. 1. ſq. auctor eſt locuples, cui adſtipulari Oroſius lib. 2. cap. 7. non dubitavit, Judaeos, ac Iſraelitas per viginti ſeptem ſupra centum *Aſſueri* Provincias ab Aethiopia uſque ad Indiam fuiſse diſperſos. In Talmude Babyl. Tract. *Kidduſchin* fol. 71. ſq. referunt Rabbini, tergeminas praeter illuſtres, numeroſaſque Judaeorum Academias *Naarde*, *Sorae*, & *Pombeditae* ſtabilitas in Aſsyria, loca multa etiam alia Rabbinis celebratiſſima Judaeos, ac Iſraelitas habitaſſe in Media, Babylonia, Meſopotamia, Adiabene, Perſide uſque ad Euphratem, ac Tigrim; & in *Bereſcith Rabba* ſect. 33. Urbes in Media ſingulares Iſraelitis olim inhabitatae memorantur *Ginſak*, *Chemdam*, ſive *Tamdam*, *Nibar*, ſive *Nehvanad*, *Muſcchi*, ſive *Muſchchi*, *Hidki*, ſive *Chuſchi*, & *Domki*, ſive *Romki* apud Lightfootum loc. cit. cap. 3. ſqq. p. 930. ſqq. In Perſide tamen ſequiori poſt aetate, anno 1663. per annos 3, ideſt uſque ad an. 1666, *Schach Abbae* II. Regis edicto ingenti univerſali coede Judaeos a Provinciis undique Hiſpahani, Seyrae, Ghelane, Hamadane, Ardane, Tauris &c. non tam exterminatos, quam deletos referunt Michael de Barrios in Hiſt. Univ. Jud., Thevenotus Itin. lib. 2. cap. 14. T. IV. p. 388, ac Baſnagius in Hiſt. Jud. lib. 9. cap. 26. p. 746. ſqq.; ubi tamen alios occulto remanſiſse, alioſque eò deinde reverſos obſervat. Et ſua aetate ſane R. Benjamin Itin. cap. 15. ſqq. edit. Barat. p. 171. ſqq.
Iſrae-

Digitized by Google

Iſraelitarum 3000. ferme reperiſse ſe circa fluvium *Viram* refert; in *Naſet* 10000, ut recte legit Baratierius, non viginti mille, ut perperam vult Conſtantinus L' Empereur; in *Botzra*, hoc eſt *Buſſora* 2000; ad fluvium *Samoura*, quem putat Baratierius *Euleum*, hodie *Coronem*, 150, ubi ſepultum *Eſdram* adfirmat; in *Elam* 7000, ibique *Danielis* extare ſepulcrum; in *Robadbar* 20000; ad Amnem *Vanth* 4000. fere; in Montibus *Molbat*, ideſt *Ariae*, ingenti numero, ut quatuor Tribus aequent; in *Aria*, ſeu *Omaria* Urbe 25000; in Montibus *Haphton*, unde *Media* incipit, Iſraelitarum congregationes amplius 100, quas Tribuum a *Salmanaſare* deportatarum reliquias eſſe ſubjungit; in *Katipha*, Inſulae Bahreinae e regione objecta, 5000. circiter; in *Amadan*, una ex Perſidis Urbibus praecipua, 50000; in *Dabriſtan* 4000. fere; in *Hiſpabano* Metropoli 15000; in *Schiphaz* 10000; in *Samarchanth* 50000. circiter. Quamquam fabulis deputanda, quae cap. 18. p. 191. ſqq. refert de quatuor Tribubus *Dan*, *Zabulon*, *Aſer*, & *Nephtali*, quas ingenti adeo numero Montes *Niſbon* ad fluvium Gozan inhabitare ſcribit, ut in circuitu dierum 20 itineris Urbes, & Oppida, & Arces obtineant, Regi proprio *Joſepho Amarkelae* Levitae dicto obnoxiae, armiſque potentes adeo, ut Perſarum Regi aliquando obſtiterint. Ad haec annis abhinc decem in Urbe *Omaria* inſignem ex Iſraelitis ſurrexiſse impoſtorem *Davidem El Roi* nomine, ideſt *Deum videntem*, refert cap. 16. p. 179. ſqq., qui *Meſſiam* ſe venditans a Perſarum Rege ſeceſſione facta ingentem Popularium multitudinem in ſeditionem rapuit: quae Impoſtoris nece demum ſedata eſt, Perſarum Rege ingenti auri pondo ab Iſraelitis pacato.

XCVI. Ab Aſſyria, & Meſopotamia, & Armenia, & Media pleraſque Judaeorum poſt Colonias *Antiochiam*, Urbeſque alias a ſe conditas, Jure *Macedonicae* Civitatis conceſſo, tranſtulit *Seleucus Nicator*, Joſepho teſte Antiq. lib. 12. cap. 3, & adv. App. lib. 2. p. 1063, cui adſtipulatur Euſebius in Chron. ad Olymp. 122. an. 3. Oper. S.Hieron. T.VIII. p.544. Ab *Antiocho* III. *Magno* deinde bis mille familiae in Lydiam, Phrygiam, ac Pamphyliam cum Jure *Civitatis*, & *Autonomiae* deportatae ſunt. In Syria quoque, quae Arabibus apud Her-

belo

belotum in Bibl. Orient. p. 772. ſq. in quinque dividi Provincias ſolet, *Hennaſſerim*, ubi Aleppus, *Hems*, ubi Emeſa, *Damaſcum*, ab Urbe cognomine accepto nomine, *Arden*, ideſt Galilaeam, ac *Palaeſtinam*, ubi Jeruſalem, per has undequaque diffuſos Judaeos referunt Stochovius Itin. Orient. p. 312. ſqq., Thevenotus Itin. Orien. lib. 1. T. IV. p. 50. ſq., ac Baſnagius lib. 9. cap. 27. p. 773. ſqq. Et Benjaminus Tudel. quidem Itin. cap. 7. ſqq. edit. Barat. p. 63. ſqq. in Phoenice Judaeos *Tyri* reperiſse 400. refert; *Byblis* 200; *Berythi* 50; *Sidone* 20; in Judaea *Caeſareae* 200, in *Sichem* 100; in *Acco* 200. circiter; *Hieroſolymis* vix 200; in *Schunem* 300; *Aſcalone* 553; in Galilaea *Tiberiade* 50; *Almae* totidem 50; In Syria *Laodiceae* 200. fere; *Damaſci* 3000. circiter; in *Galaad* fere 60; in *Tadmor*, ideſt *Palmyrae* 2000; in *Chamat*, hodie *Apamea* 70; in *Halab*, olim *Aram-Tſoba*, hodie aliquibus credita *Aleppo*, 1500; in *Kalahgaber*, ideſt *Petra*, hodie *Cyriacopoli* in Arabia, 2000; in *Kalne*, ſive *Rakiae*, unde in Chaldaeam ingreſſus, 700; in *Charres* 20; in *Alchabor* 200; ac *Niſibis* 1000. circiter: cujuſce tamen in relatione multa reprehenſione digna deprehendunt Baſnagius lib. 9. cap. 8. § 20. ſqq. p. 225. ſqq., & Baratierius in Not. p. 63. ſqq. Quin idem Benjamin Itin. p. 108. ſq. a Judaeis centum in Inſula *Ceylani*, viginti mille in Inſulis *Sumatra*, & *Java*, ac integrum in Sinis in Urbe *Adana*, ſive *Badana* gentilium ſuorum Populum reperiſse refert: ac ita Benjamini locum poſt Conſtantinum L'Empereur interpretatus eſt Baſnagius. Et *Oulam* quidem *Ceylam* Inſulam a Benjamino intelligi multis oſtendit Baratierius in Not. ad Itin. cap. 19. ſq. p. 203. ſqq., indeque quammaxime, tum quod Cinnamomo referta Inſula dicatur, Inſulae vero Incolae *Solis* cultui addicti, & Aſtrologiae dediti tradantur; tum quod eò a *Salomonis* aetate cum Claſse in *Ophir* emiſsa Judaei appuliſse referantur. Inſulas vero *Kinrag*, ubi Iſraelitas viginti tria milla inhabitare ſcribit, ab Incolis autem *Ignem*, ipſis *Albuta* dictum, adorari, quas *Ceylam* Bochartus, *Cherroneſum* Conſtantinus L' Empereur perperam interpretantur, *Kingar* ipſe, ideſt *Gangarides* Inſulas, ad Gangis hoc eſt oſtium poſitas, intelligi vult. Quò ſane fieri potuit, ut Judaeorum,

quos

quos e Palaeſtina viginti mille in Perſidem traduxiſse fertur *Juſtinianus* Imp. apud Procopium de Aedif. Juſt. lib. 5. cap. 7, Cyrillum Scythop. in vita S. Sabae, ac Theophanem in Chronog. p. 194. ſq. edit. Pariſ., Ven. p. 155, adeundusque Baratierius in Not. p. 77. ſqq., a Mercatoribus Indis empta pars delata fuerit; ubi Iſraelitas mille circiter inhabitaſſe Benjaminus refert. Sicuti vero *Zabid*, ubi paucos degiſse Judaeos ait, Urbem eſſe ad Erythraei oram exiſtimat, ita *Adan*, ſive *Badan*, eidem memoratam Urbem, eſſe in Aethiopia quaerendam: ibique quidem ſub *Claudii* Imperio, aut paullo ante, parvam Judaeorum manum ab Europa profugam ſe recepiſse, haud inficiatur; fabulas eſſe tamen, quae de Judaico in Aethiopia Regno a Benjamino, ab Eldado &c. traduntur, multis oſtendit cum ibid. in Not. p. 216. ſqq., tum inſuper T. II. diſſert. 5. ſq. p. 184. ſqq.

XCVII. E Media Iſraelitarum partem in Caſpii Maris Regionem Septentrionalem abjiſſe, *Caduſiam*, ac *Gelem* inhabitaſse cenſet Fullerus in Miſcell. Sacr. lib. 2. cap. 5. Crit. Sacror. loco cit. *Colchidem* etiam, ac *Iberiam* cum Conſtantino Porphyrog. de Admin. Imper. Par. II. cap. 45. p. 121. ſq. edit. Pariſ., Ven. Byz. T. XXII. p. 98. ſq. vult Leo Allatius in Symmictis p. 440, quos haud rite refellit Baſnagius lib. 7. cap. 6. p. 129. ſqq. Et in *Migrelia* quidem, ac *Georgia*, & ad *Caucaſum* Regiones Judaeis inhabitatas tradit Chardinus Itin. Perſ. p. 152, ex Agathia vero lib. 4, ac Thavernierio lib. 3. cap. 12. confirmat Stephanus Morinus in diſsert. de Cognat. Lacedaem., & Hebr.; multiſque comprobare cum ex Regum Mingreliae, & Imirettidis traditione, qui ſe origine Judaeos, e familia *Davidis* progenitos ferunt; tum ex linguae Colchicae, quae multam cum Hebraica affinitatem habet, derivatione petitis momentis nititur Baratierius Itin. Benjamini T. II. diſſert. 8. p. 320. ſqq., & p. 342. ſqq. Quo loci perinde contra Bochartum *Colchos* origine Aegyptios exiſtimantem pugnat, eoſque decem Tribuum eſse reliquias; *Caphtoreos* vero, & *Casluchеos*, ideſt Phoenices, olim in Arabia habitaſſe, irruptioneque deinde in Aegyptum facta, eo regno fuiſse potitos; indeque pulſos in Phoenicem, ac Palaeſtinam immigraſſe, argumentis haud magis firmis

mis ſuadere pergit; quo de argumento nos alibi. In Thraciam quoque Iſraelitas penetraſſe, ejuſque genus fuiſse *Odomantes*, Thraciae incolas, ex Ariſtophane Acharn. Act. 1. Scen. 4, ejusScholiaſte, & Hermippo in vita Pythag. apud Joſephum lib. 1. adv. Apion. perſuadet p. 137. ſq. In Regno quoque *Mogolis* inhabitaſſe priſca ab aetate Iſraelitas refert Bernierius Itin. T. II. *Goae*, aliiſque in Malabariae locis jamdiu obtinuiſſe Judaeos obſervat Mandeslus Itin. Ind. lib. 2. p. 272. In *Sinis* veterem eſſe Judaeorum incolatum, qui Judaeorum rejecto nomine, Iſraelitae dici deinceps maluerint, tradunt R. Menaſſe ben Iſrael in *Spe Iſraelis* p. 5, ac Trigautius de Chriſtiana Expedit. apud Sinas lib. 1. cap. 2, junctis Alvareſio, Gauzanio &c., queis conſentit Baratierius diſſet. 8. p. 339. ſq. Quin etiam celebrem extitiſſe in Provincia *Honam* Judaeorum Synagogam, qui eò ſe adveniſse adfirmabant ſub Dynaſtia *Han*, quae ab anno Chriſti ante natalem 226. uſque ad Chriſtianae Aerae annum 220. regnum obtinuit; eaque in Synagoga tredecim Tabernacula in *Moyſis*, ac *Tribuum* XII. memoriam erecta fuiſſe; *Pentateuchum* item, *Kin* dictum, ac in Paraſchas diviſum ſervari; Deum *Caeli*, & *Terrae* conditorem ſub *Chamti* nomine agnoſci, & coli; Magiſtros etiam ſub *Chimgins* titulo in honore haberi referunt Alvares Hiſt. Sin. Par. I. cap. 3, in Urbibus praecipuis, certiſque in Provinciis ingenti numero Judaeos habitare adfirmans, & Gauzanus Soc. J. in epiſt. Aedif. T. VII, ac in epiſt. inſerta Ephemerid. Pariſ. 1707. Maji p. 227; videnduſque DeGuignesius Hiſt. gen. Hun. T. I. p. 26; alias in *Sinis* ejus Gentis Synagogas ex Semedi, & Bernierii fide confirmat Jablonskius in Prolegom. ad Biblia Hebr. §. 38. E *Cochino* in Malabaria exarata a Judaeis ibidem Incolis epiſtola legitur inſerta Bibliothecae Novor. Libror. an. 1698. p. 868. ſq., qui eò tamen ſe contuliſse eorum Majores ſub *Tito* teſtantur. Ad haec Arabibus, ac Mohammedanis Scriptoribus, *Alcorani* maxime Interpretibus in Cap. *Aaraf*, ubi de Judaeis multa habet *Mohammedus*, univerſim eam, veteremque inſedere opinionem refert Herbelotus in Bibl. Orient. p. 474. ſqq., quod tam ex Iſraelitis in Mediam a *Theglathphalaſare*, quam ex Judaeis in Aſſyriam a *Nabuchodonozore* deportatis ingenti numero in Tartari-

tari-

tariam, Indiamque penetraſſe patent. Auctores ſe quoque praeſtant apud Herbelotum p.475. Algianabi, & Abilfeda Judaeis in Arabiam ingreſſum patere juſſiſſe amplum *Aboukerb Aſſaad* Arabiae Felicis Rex XXXII. e genealogia *Hemiar*, e qua Arabes ipſi ſubditi *Hemiaritae*, Graecis *Homeritae* dicti, nomen accepere, ante *Mohammedum* anno 700. Judaeis adhaec addictiſſimum oſtendiſse ſe ſe *Dhou Nahovam* ejuſdem Dynaſtiae Regem XLIII; idque in cauſſa fuiſse, cur Aethiopiae *Nagiaſchi*, hoc eſt Imperator, Chriſtianorum Sacris addictus *Eleſbaan*, ſive *Aidog* nomine, exercitu in Arabiam ducto, regnoque *Dhou Nahova* exſpoliato, illud in Aethiopes tranſtulerit; e quibus in Arabia regnare per annos 72. perrexere *Jakſoun*, *Abraham*, *Ariath*, & *Maſrouk*: queis de conferendi etiam Johannes Aſiae Epiſcopus in Chron., Simeon Epiſcopus Beth-Arſamenſis in epiſt. ad Mar Simeonem Gabulae Abbatem, ac Dionyſius Patriarcha Jacobit. in Chron. Syr. apud Cl. Aſſemanum in Bibl. Orient. T.I. p.359. ſqq., & 381. ſqq. A *Mohammedo* denique *Hegirae* anno 3. ſq. Judaeorum in Arabia Phylarchos pleroſque bello profligatos, Judaeoſque qua inde pulſos, qua ſub jugo manere permiſſos refert Ben Schohnah apud Herbelotum p.475. Expugnato a *Mohammedo* Caſtello Al-Aſabi Chaibarenſi, a Judaeis in Arabia inhabitantibus ingentem auri, argenti, gemmarum, monilium &c. copiam ad eum fuiſſe delatam ſcribunt Abilfeda in vita Moham. cap. 46; ubi videndus Gagnier in Not., & Al-Wakedius apud Millium in diſſert. 10. de Mohammediſmo ante Moham. §. 31. p. 354. ſqq. *Medinae* ingenti numero incubuiſse etiam Judaeos ſcribit Scharestanius ad Suratam XII. v. 1. ibid. p. 356. ſq. Arabiam inhabitaſſe denique multa Judaeorum millia tradunt Zacuthus in *Juchazim* p. 95, ac Judaei in Talm. Gem. גיטין *Gbitbin* fol. 64. 1, & כתובות *Chetbobith* fol. 58. 2. apud Millium ibidem; qui expugnata maxime a *Tito* Hieroſolyma, ac Judaea devaſtata, eò Judaeos ſe ingenti contuliſſe multitudine obſervat.

XCVIII. Quamquam eorum perinde, qui regreſſi in Judaeam a Captivitate fuerant tam Iſraelitae, quam Judaei, in tantam quoque excrevere multitudinem, ut e Judae, & Galileae finibus erumpere, poſt everſam a *Tito* praeſertim Ur-

bem, vaſtatamque Palaeſtinam, compulſi, in Aſiam ſe deinde Minorem, Graeciam, Macedoniam, Germaniam, Hiſpaniam, Galliam, Italiam &c. effuderint. Quod de Judaeis per Orientem propagatis liquet ex Philone in Legat. ad Cajum, ubi Judaeos in Orientem nonmodo, ſed & in Occidentem diſperſos in Cypro, Candia, Aegypto, Macedonia, Bithynia &c. memorat; ex S. Luca patet Actor. II. 5. ſqq., ubi ex Judaeis viros Religioſos Hieroſolymam adveniſſe ſcribit Parthos, Medos, Elamitas, Incolaſque Meſopotamiae, Judaeae, Cappadociae, Ponti, Aſiae, Phrygiae, Pamphyliae, Arabiae, Cretae, Aegypti, Cyrenes &c., ubi, *Cyrenes* nempe, Praeſidiarii Judaei 30000. a *Ptolomaeo Lago* locati apud Joſephum Antiq. lib. 12. capp. 1, & 3, ab *Antiocho Magno* in Phrygiam, ac Lydiam tranſlati leguntur. De Judaeis per Occidentem diffuſis loquitur S. Petrus epiſt. I. 1, Judaeos Advenas diſperſionis Ponti, Galatiae, Cappadociae, Aſiae, & Bithyniae alloquens. Accedit Benjamin Tudel. Itin. cap. 4. ſqq. edit. Barat. p. 37. ſqq. referens ſe *Corinthi* Judaeos 300. reperiſſe; *Thebis* 2000; *Patris* 50; *Lepanthi* 20. non utique, uti Baſnagio viſum, bene vero 100, ut Baratierius legit p. 38; *Criſſae* in Phocide 200; *Levatti*, quae *Sybora* credita eſt Conſtantino L'Empereur, *Leucadia* in Epiro Baratierio p. 36. ſq.; *Robenicae* 100; *Sinonpotmi* 40; *Armilli* 400. circiter; *Biſſinae* 100; *Salouski* in Bulgaria 500; *Metreſſi* 20; *Darmae* 140; *Caniſtoli* 20; *Aegriphone*, quae vetus putatur *Chalcis*, 200; *Jabaſteriſae* 100; Conſtantinopoli Rabbaniſtas 2000, & Karaitas 500; *Rodoſtone*, ſive *Byzantho* in Propontide 400. fere; *Gallipoli* in Helleſponto 200. circiter; *Cale* 50; *Mytilene* Congregationes Iſraelitarum decem in locis; *Chikae*, ideſt *Chio* Inſula, 400; in *Samos* Inſula 300; *Rhodi* 400. circiter; in *Dophros* Inſula, *Cypro* ideſt, ſive *Drepano* ejuſdem Inſulae Promontorio, ut legi Baratierius mavult p. 55. in Not., *Rabbaniſtas*, & *Karraitas* multos degere ſcribit. Locupletius eſt vero S. Pauli hac in re teſtimonium, quocum Orientem, Occidentemque peragrante rem ſaepe fuiſſe, pluribique Judaeis patet, *Damaſci* Act. IX. 22; in *Pheonice*, ac *Cypro* Act. XI. 19. ſq.; *Salaminae* ibid. XIII. 5; *Paphi* ibid. VI; *Antiochiae* Piſidiae XIII. 14, & XIV. 19; *Ica-*

Iconii xiv. 1. 19; *Derbae*, & *Lyſtrae* xvi. 1; *Philippis* xvi. 12; *Theſſalonicae* Act. xvii. 1; *Philippi*, & *Theſſalonicae*, & *Boereae* ibid. 10, *Athenis* ibid. 17; *Corinthi* Act. xviii. 19, xix. 8; in *Aſia* ibid. 10. 26, & xx. 18; in *Achaja* II. Corinth. 11; *Epheſi* Act. xviii. 19, & xix. 8, *Romae* xxviii. 17. Quo loci nobilis, ingenioſaque Lightfooti obſervatio eſt in Addend. ad epiſt. 1. ad Corint. cap. 4. p. 932, quam & ſuam eo laudato fecit Witſius de Decem Trib. cap. 7. §. 12. p. 287. ſq., quod univerſo Terrarum Orbe diviſo in *Iſraelitas*, ac *Gentiles*; Iſraelitis diviſis item in *Decem Tribus*, ac *Judaeos*; Judaeis vero in *Hebraeos*, & *Helleniſtas*; Hebraeiſque iterum in eos, qui *Intra Terram Iſraeliticam* habitarunt, & qui *Iſraelis Extra Terram* diffuſi ſunt, inde factum, ut ex quatuor Evangeliſtis pro Hebraeis intra Terram Iſraeliticam ſcripſerit *S Matthaeus*; pro Hebraeis extra Iſraelis Terram, in Babylonia ideſt, & Aſſyria, Media, ac Meſopotamia, ac pro decem Tribubus Iſraelis ſcripſerit *S. Marcus*, pro Helleniſtis *S. Johannes*, pro Gentilibus *S. Lucas*. Ubi tamen minus vere tribus velut Apoſtolis *Circumciſionis* ad Galat. 11. 9. *Jacobo*, *Petro*, ac *Johanni* totum Orbem tres velut in Dioeceſes diſtributum ita tribuit, ut Johanni *Aſia*, Jacobo *Palaeſtina*, & *Syria*, Petro *Babylonia*, & *Aſſyria* obtigerit: unde e *Babylone* Aſſyriae exaratam a S. Petro Epiſtolam I. v. 13. putat; quam e *Babylone* Chaldaeae potius conſcriptam volunt Salmaſius de Primatu Papae p. 134. ſq., Cappellus Adpend. ad Hiſt. Apoſt. p. 3904. ſq., ac Baſnagius in Hiſt. Jud. lib. 7. cap. 6. p. 13; e *Babylone* Aegypti, ſic a *Cambyſe* denominata, quae antea *Letopolis* dicebatur, magis adriſit Hornio in Hiſt. Eccl. Par. I. Art. 1., Pearſonio, ac Dodwello in Addit. ad Pearſonii Opera Poſthuma p. 56. ſq. Etſi enim *S. Johanni* ſpeciatim Aſia Minor Evangelio imbuenda tradita recte videri poſſit, ac *S. Jacobo* Palaeſtina, tam *Apoſtolis* tamen aliis perinde Orbis Provinciae aliae Evangelio propagando demandatae ſunt, quam *SS. Petro*, ac *Paulo* Orbis univerſus, ac praeſertim Occidens totum qua pro Evangelii praedicatione, qua pro fundatione Eccleſiarum obtigit. E *Roma* vero ſcriptam a *S. Petro* Epiſtolam I. in Privilegiorum Romano Pontifici in Perſona S. Petri collatorum Vindiciis Par. I. T. I. in Proleg.

Cc 2 §. 1,

§. 1. p. 10. ſqq. oſtendi, teſtimonio quammaxime Papiae, & Clementis Alex. apud Euſebium Hiſt. Eccl. lib. 2. cap. 15, Euſebii quoque ibid., ac S. Hieronymi in Catalogo, videndique Valeſius in Not. ad Euſeb. T. I. edit. Taur. p. 59, Calmetius in diſſert. de Itinere Rom. S. Petri T. II. edit. Ven. p. 223. ſq., Polenus in Synop. Crit. Sacr. ad I. Petri v. 13. T. V. p. 1540. ſqq., Cellierius in Hiſt. gener. Auctor. Sacr. cap. 9. Art. 2. p. 437, Romae anno Chriſti 58. eam ſcriptam obſervans, ac Tillemontius in Not. 31. ad S. Petrum edit. Bruxel. T. I. Par. 2. p. 748. ſqq., ubi in eadem cum S. Hieronymo de Romae ſcripta a S. Petro epiſtola ſententia fuiſse Ruffinum Hiſt. Eccl. lib. 2. cap. 14, Bedam T. V. p. 713, & Oecumenium p. 528. obſervat: quae perinde ſententia probata fuit Grotio Oper. Theolog. T. III. p. 488, & apud Polenum in Synop. Crit. Sacr. p. 1540, ac Fabricio in Bibl. Eccleſ. Not. ad S. Hieronymum de Viris Illuſt. cap. 8. p. 51.

XCIX. De Judaeorum Coloniis in Aegyptum deportatis, queis de ſecundo paullo ſupra diſputandum loco propoſuimus, nunc differendo, tam ex Iſraelitis, quam ex Judaeis, qui a *Theglathphalaſſare*, & a *Nabuchodonozore* in Judaea relicti pro colendo agro fuerant, *Godolia* ſibi praefecto interfecto, duce *Johannane*, Deo per Hieremiam etſi prohibente, ac diſſuadente XLII. 15. ſqq., XLIII. 10. ſqq., & XLIV. 11. ſqq., in Aegyptum quamplures profugerunt, a *Nabuchonozore* ſive ſibi paverent, ſive ipſius odio, quo ejuſdem protectione in patria uti detrectarent. Verum paullo poſt, annos ideſt 16, ab ipſo *Nabuchodonozore* impreſſione in Aegyptum facta, Aegyptiique Rege *Aprie* praelio ſuperato, Judaei illi qua vita plerique mulctati, qua cum Aegyptiis captivi Babylonem abducti ſunt: paucis admodum relictis, quorum poſteri, ut eſt Natio, ſiqua alia, Judaica quammaxime foecunda, valdequam aucti ſunt. Ab *Artaxerſe Ocho* deinde expeditione in Phoenicem, Cyprum, ac Aegyptum ante Chriſti natalem anno 351. facta, de qua Diodorus ad Olymp. 117. an. 2. ſq., *Apodaſmo* Judaeorum capta, in Hyrcaniam accolas translatos, juxta Mare Caſpium fuiſſe collocatos refert Euſebius in Chron. p. 528: quocum faciunt Juſtinus lib. 36. cap. 3, Ariſteas de LXX. Interpret., ac Solinus cap. 35. *Apodaſmum* porro, quam forte *Jerichuntem*

adpel-

adpellavit Solinus loc. loc., Judaeae Urbem fuiſſe opinatus S. Hieronymus ibid. deceptus eſt, ut notarunt ibi Scaliger, ac Baſnagius Hiſt. Jud. lib. 7. cap. 6. §. 4. p. 126. ſq., neque diffitetur Vallarſius in Not., quum nomen ſit appellativum, quod *Partem* ſonat: unde Syncellus in Chron. p. 256. edit. Pariſ., Ven. p. 204. illud vertit Μερικὴν Αἰχμαλωσίαν *Manum haud exiguam*, Judaeorum hoc eſt, quos e Judaea non modo, ſed ex Aegypto armis ab eo domita in Hyrcaniam translatos, & ad Mare Caſpium locatos ex Julio Africano tradit eo loci Syncellus. Aegypto denuo ſubacta, & *Alexandria* Olymp. 112. anno 2, Chriſti ante natalem 331. condita, in eam ab *Alexandro* M. Judaeorum Colonia e Judaea advocata, eis Jure *Civitatis*, aeque ac Macedonibus, unde *Macedonicae* etiam Coloniae nomen Judaicae iſti adhaeſit, collato, traditur Joſepho Antiq. lib. 11. cap. 8. *Cuthaeis* vero, Samaritanis ideſt, quos in Aegyptum ſequi juſſerat, agros in Thebaide ab *Alexandro* fuiſſe diviſos, Regionis ejuſdem cuſtodia ipſis derelicta. Coloniam hancce biennio poſt ab *Alexandri* obitu adauxit *Ptolomaeus Lagi* filius cognomento *Soter*, Aegypto primum, Judaeaque deinde potitus. Improviſo namque capta die Sabbathi Hieroſolyma, Judaeorum exinde centum millia, *Civitatis* Jure pari cum Graecis indulto eis poſtea, in Aegyptum abduxit, Joſepho teſte Antiq. lib. 12. cap. 1. ſq.; poteſtate quin ipſis perinde facta proprium ſibi Judicem ex Gente eligendi, qui *Alabarca* dici ſolebat. Adhaec a *Philadelpho*, ab *Evergete*, a *Philopatore* libertate deinde donati, ac beneficiis adaucti, multiplicati adeo Judaei in Aegypto ſunt, ut Philo, qui eo Alexandriae vixit aevo, adverſus Flaccum ſcripſerit decies centenis millibus haud fuiſſe pauciores Judaeos, qui a Libya uſque ad Aethiopiam in Aegypto, & Alexandria quammaxime habitabant: quod ipſum confirmat in Legat. ad *Cajum* ea ab ipſo occaſione ſuſcepta, quod a *Flacco* Praeſide Judaeorum Alexandriae degentium qua plurimi jugulati, qua diſperſi plurimi, reliqui peſſime habiti fuerint, contra *Philonem* pro Judaeis apud *Cajum* agentem ſtante pro Aegyptiis *Appione*: qua de Judaeorum laniena diffuſe Lightfootus Comment. in Acta Apoſtol. Par. II. Oper. T. II. p. 826. ſqq. Quin Zacuthus in *Juchazin* fol. 14,

cui

cui ſimilia habentur in Talmude Cod. *Succah* cap.5, teſtis accedit ab *Alexandri M.*, ſive ab *Eleazari* tempore ad *Oniae* III, ſive *Caji* aetatem, Judaeorum Alexandriae commorantium adeo excreviſſe multitudinem, ut eorum numerum, qui ex Aegypto egreſſi fuerant, bis aequarent apud Lightfootum in Chronicis Temp. Sect. 8. ad S. Matth. cap.2. T. II. p. 4. ſq. Et *Caji Caligulae* aetate certe Alexandriae, quae in quinque Regiones diſpertita Urbs erat, a totidem primoribus litteris denominatas, Judaicae duae nuncupatae leguntur, adeoque ut tertia plus minus Urbis pars e Judaeis conflata eſſet, qui & proprium ibi Patriarcham cum Synedrio habebant.

C. Inde factum itaque, ut pro Judaeis Alexandriae, ac in Aegypto Graeco Macedonum idiomati aſſuetis, veteriſque Hebraici pene oblitis, tamque ingenti auctis numero, tam nova Graeca Sacrorum Bibliorum Verſio fuerit adornata, qua de ſuo abunde loco, ſi Superis placebit, dicetur, quam nobile exſtructum Templum. Templa duo porro in Aegypto Judaeos habuiſſe Alexandriae unum, alterum Heliopoli, olim *On* Gen. XLI. 45, hodie *Damiatae*, perſuaſum habuit Seldenus. Verum Judaeos unicum Heliopoli Templum habuiſſe oſtendunt Lightfootus in Hor. Hebr. in Johan. cap.4. verſ. 20. Oper. T.II. p.615. ſq., Baſnagius in Hiſt. Jud. lib. 7. cap. 7. §. 13. ſq. p.170. ſqq., & Hottingerus de Diſperſ. Trib. XII. Iſrael. Append. 3. §. 13. p.450. ſq.; quod non in Heliopoli Urbe, ſed in Nomo Heliopolitano quidem, in Urbe tamen Leontopoli, *Ir Cheres* Hebraeis dicta, oſtendit ex Joſepho Antiq. lib. 13. cap.3. Ikenius diſſert.16. de Altari *Jehovae* in media Aegypto §.8.p.266. ſqq., quo de argumento nos quoque diffuſe alibi. Nempe *Simeonis Juſti* filius *Onias* IV. a patre ſucceſſor deſignatus, ſed a *Shimejo* fratre biennio ſe majore Pontificatu fruſtratus, quae perinde dignitas in familiam *Haſmonaeam* translata eſt, in Aegyptum ad *Ptolomaeum Philometorem* aufugit, a quo Templum in Praefectura Heliopolitana aedificandi facultatem impetravit. Cui ut gentilium ſuorum venerationem conciliaret, illis linguae Sacrae ignaris glaucoma objecit, abuſus oraculo Iſajae XIX. 18. ſq. *In die illa erunt quinque Civitates in terra Aegypti loquentes labio Chanahan* ... עִיר הַהֶרֶס *Ir Cheres dicetur una*.

In

by Google

In die illa erit Altare Domino in medio terrae Aegypti &c., vafrè mutato ח *Che* in ה *He*, factoque ex *Ir.Cheres*, quo *Civitas Leonum*, ideſt *Leontopolis* indicatur, *Ir Heres*, quo *Civitas Solis*, ideſt *Heliopolis* deſignatur: quaſi nempe hocce de novo ab ſe aedificato Templo diu ante, ideſt annos 660, ut notat Joſephus de Bello Jud. lib. 7. cap. 49, (ubi tamen ſecum ipſemet pugnat ibidem *Oniam* Simeonis *Juſti* filium adfirmans, qui Antiq. lib. 13. cap. 3. filium *Oniae* III. fecerat; atque de Templo hoc Iſajae vaticinium factum annos ante 600. ſcribens Antiq. loc. cit., niſi error Interpretis ſit, uti ſane eſt de Bello Jud. loc. indic. loco 660. ſcribentis 960, erratque ibid. annos 333. *Oniae* Templum ſtetiſſe adfirmans, quod annis 223. dumtaxat ſtetit), vaticinatus Iſajas fuiſſet. Quod denique Templum ante Chriſti natalem anno 150. aedificatum, qua de Epocha Uſſerius Annal. Vet. Teſt. p. 336, Lightfootus in Hor. Hebr. T. II. p. 260. ſq., & 615. ſq., Froelichius Annal. Reg. Syr. p. 62, &c., Aerae Chriſtianae anno 73, uno, & altero poſt Hieroſolymitanum everſum anno, *Veſpaſiani* juſſu, a *Lupo* primum donariis ablatis nonnullis occluſum, deindeque a *Paulino* Alexandriae Rectore altero donariis ablatis omnibus, ac foribus obſtructis, ita inacceſſum factum eſt, ut ne veſtigium quidem Religionis iſthic remanſerit: quo de plura Joſephus de Bello Jud. lib. 7. cap. 49. ſq., pleraque fabulis mixta Talmud utrumque in *Menachoth* cap. 13. fol. 109. 2, & in *Succah* cap. 5. fol. 43. 4. apud Lightfootum Hor. Hebr. in S. Matth. cap. 2. v. 6. Oper. T. II. p. 260. ſq.

CI. Urbe a *Tito* vaſtata, Temploque everſo, Judaeorum longe major in Orbem diſperſio facta eſt. Praeterquam enim brevi ſeptennii ſpatio, Hieroſolymis, viciniſque in locis hoſtili gladio Judaeorum 1335490. occubuiſſe ex Joſepho de Bell. Jud. lib. 7. cap. 25., ideſt Hieroſolymis obſidionis ipſo tempore interfectis 1000000, praeter captos 97000, in reliquis Judaeae extra Hieroſolymam locis, haud toto durante belli ſeptennio, 238490. deſideratis, oſtendit Lipſius de Conſtantia lib. 2. cap. 21; videndusque Uſſerius in Annal. Vet. Teſt. ad fin. p. 652, ubi ex eodem Joſepho loc. indic. Captivorum numerum fuiſſe 97000, Interfectorum in ipſo ſemeſtri obſidionis Urbis fuiſſe 1100000, illorum, quos fames, ac peſtis abſumpſit, fuiſſe 500000., innu-

meris

meris praeterea aliis praetermiſſis, qui tota in Regione fame, miſeriis, exſilio periere, colligit, Judaeorum plures, inquam, cum a *Tito* captivos fuiſſe miſſos, tum univerſali e caede profugiſſe in Aegyptum tradit Joſephus de Bello Jud. lib. 7. cap. 24. ſq. Et ſua aetate ſane R. Benjamin Itin. cap. 21. ſq. edit. Barat. p.223. ſqq. auctor eſt Iſraelitas in Urbe *Mizraim*, olim *Memphi*, hodie *Magno Cairo*, inhabitaſſe bis mille, binamque habuiſſe Synagogam, *Al-Schamjin* aliam, Judaeorum *Syriae* ideſt, aliamque *Al-Irack*, hoc eſt *Babyloniae*; in Terra *Goſcen*, ideſt *Bolbir Salbis* ter mille; in *Albubieg* 200. circiter; *Manſiphtae* 200; *Remirae* 700; *Lemachlae* 500; *Alexandriae* 3000; *Peluſii* 200; *Thunis* 40, quam cum *Tunete* quidem Africana confundit Conſtantinus l'Empereur, Urbem tamen ab oſtio Nili Orientali, a Peluſio haud procul conſitam verius exiſtimat Baratierius in Not. p.239. ſq., conferendus etiam ad calcem Tom.I, ubi Epilogum exhibet Iſraelitarum omnium, quorum ſuo in Itinere toto numerum Benjaminus deſcripſit. Ex Aegypto jam vero Judaeis perquam facile contigit tam in Aethiopiam ſe recipere, ubi *Conſtantii* tempore Judaeos Ethnicis mixtos inhabitaſſe multos teſtes accedunt Philoſtorgius lib.3. cap.4. p.25, ac Procopius de Bello Perſ. lib.1. cap.20. edit.Par. p. 60. ſq., Ven. p. 263; quo cum conferendus Aſſemanus in Bibl. Orient. T. I. p. 359. ſqq.; quam in Arabiam, ubi ingenti quaquaverſum ſe Judaeos deinde numero effudiſse, excreviſseque ſuperius ex Arabibus Scriptoribus audivimus. Neutrobique tamen Regnum unquam fundare Judaeos, quod eorum plerique jactant, quos inter poſt Benjaminum, Petachiam, Menaſſem, Peritſolium &c., R. Iſaac ben Aramah in Legis explanat., & R. Simeon in Jalkut, quiviſse, ultrocitroque faſſi ſunt R. Maimonides in Comment. ad Miſchnam *Berachot*, ac R. Kimchius in Oſeae III. 4; oſtenderuntque Lamyus in Appar. Chronolog. Par.II. cap.3. §. 5. p. 143. ſq., Nichollis in Collatione cum Deiſta Par.III. p.41, L' Empereur in diſsert. praemiſsa Itinerario Benjamini, Deylingius Obſervat. Sacr. Par.II. Obſerv.8.§.33. ſq. p.130. ſqq., ac Weſselius in diſſert. Acad. Orat. de Judaeor. conſervatione p.662. ſq.

CII. Sub *Trajano*, Imperii anno 18, Aerae Chriſtianae 115, a Judaeis in Aegypto, ac Cyrene in Libya maxime, ubi prae Indigenis viribus praevalebant, ſeditione excitata, ingentique

que Graecis, Aegyptiiſque, Religionis ob diſparitatem, ut videtur, interfectis numero, pares ipſis Alexandriae repenſae fuere vices, Judaeis, quotquot Alexandriae deprehendi quirent, internecione deletis. Qua gentilium clade in furorem magis acti Judaei Libyes, duce ſibi praefecto *Andrea* quodam cognomine *Luminum* dicto Abulpharagio, *Lucua* Euſebio Hiſt. Eccl. lib. 4. cap. 2, Libyam, Aegyptumque armis longe, lateque depopulati ſunt, Aegyptiis, Libybuſque bis centum mille trucidatis. Miſsus itaque a *Trajano* valido cum Exercitu *Martius Turbo* Judaeos demum, ingenti non abſque Romani ſanguinis effuſione, qua immani adfectos clade, qua terrore perculſos e provincia aufugere compulſos, compreſſit: quo de graviſſimo bello Euſebius loc. cit., Gantzius in *Tzemach David*, ſive Chron. p. 104, & R. Salomon ben *Virgae Tribus Judae* p. 67. Anno inſequenti novis in Meſopotamia a Judaeis, Gente ideſt quietis impatiente, noviſque jugiter moliendis adſueta rebus, motibus excitatis, turbiſque, eò denuo a *Trajano* militari cum robuſta copia miſsus *Lucius Quietus*, ingenti ſeditioſorum edita ſtrage, multiſque aliis metu fugatis, ceteros in officio compeſcuit: qui perinde Judaeis in Palaeſtina in ordine comprimendis a *Trajano* Judaeae praefectus eſt, qua de re Euſebius Hiſt. Eccl. loc. cit., & in Chron. p. 700, Xiphilinus ex Dione lib. 68, Oroſius lib. 7. cap. 12, & Auctor de Locis in Acta Apoſt. apud S. Hieronymum edit. Vallarſii T. III. in Adpend. p. 722. Gemina hacce gravior, non in Aegypto utique, uti nonnullis viſum eſt, ſed in Inſula Cypro, a Judaeis excitata ſeditio eſt, Salamina Urbe everſa, & Graecis ibi degentibus ad bis centum quadraginta millia interfectis, uti referunt Dio, Euſebius in Chron. ad Olymp. 223. an. 4. p. 700, Auctor de Loc. Act. Apoſt. p. 728, Gantzius in Chron. p. 102, ac Zacuthus in *Juchazin*. Quò miſsus ideo a *Trajano* cum exercitu *Hadrianus* Judaeos domuit, eis deinde ſolemni Romani Senatus decreto in Inſulam Cyprum ingreſsu, regreſsuque deinceps interdicto. Tertia inter memorabiliores Judaeorum diſperſio ſub *Hadriano* contigit, a quo *Domitiani*, ac *Nervae* exemplo, Circumciſio interdicta, Spartiano teſte, Graecorumque Colonia Hieroſolymam miſsa, teſte Xiphilino in Hadriano p. 263, ſeditioni locum fecere. Rebellionis in flam-

mam inſufflavit *Cozibae* ambitio, qui mutato nomine ſe *Barchochebam*, ideſt *Stellae filium* venditare cepit, ſuadereque Judaeis *Meſſiam* ſe eſse, ſive *Stellam*, quam orituram ex *Jacobo* diu pridem vaticinatus *Balaam* fuerat. Impoſtoris partes adjuvandas, promovendaſque ſuſcipiens *Akiba*, quem e *Siſarae*, Exercitus olim *Jabini* Tyri Regis ducis, ſtirpe procreatum refert Gantzius in *Tzemach* p.99, magni inter Judaeorum Rabbinos nominis, utpote qui duorum Judacis maximo in pretio habitorum librorum fertur auctor, ספר מכילתין *Sepher Mechiltin* ideſt, ac ספר יצירה *Sepher Jetzirath*, gentilibus perſuadere non deſiſtebat *Barchochebam* revera *Meſſiam* eſse a Deo promiſsum. Quare in apertam undique rebellionem irrumpentes Judaei, Graecorum, ac Romanorum ingenti edita clade, *Hadriani* arma in ſe concitavere: a quo primo miſsus *Tinnius Rufus*, tum ingraveſcente bello perinde *Julius Severus*, Urbe *Bithera*, ubi regni Sedem defixerat *Barchochebas*, ab Urbe Hieroſolyma paſſibus 52000. diſtante, uti recte obſervat Valeſius in Not. ad Euſeb. Hiſt. Eccl. lib.4. cap.6. edit. Taur. p.125, capta, una cum utroque ſeditionis capite *Barchocheba*, & *Akiba*, Judaeorum 800000. interfecta ſunt, uti refert Rabbi Jochanam in Talmude Hieroſ. fol.68. in Tractatu de Jejuniis col.4; ſive 580000, teſte Xiphilino in Hadriano p. 263; Arces 50. dirutae, Oppida 950. everſa; ſame, miſeria, igne, morbo, naufragio Judaeorum multitudo infinita deleta, exterminataque, reliquis undequaque profugis, qui per Aſiam, Europamque ſe effuderunt, plurimis aliis Hadriani juſsu in Aegyptum deportatis, ut habet S. Hieronymus in Zachar. x1.

CIII. Johannes Harduinus porro in Num. Popul. Illuſt. Oper. Select. p.75. ſq., pro ingenio, moreque praepoſtero vetera inficiandi Monumenta, bellum hoc ab *Hadriano* adverſus Judaeos ſuſceptum, dirutamque eo bello Hieroſolymam, fabulis deputare, veluti figmentum a Dione confictum; cui fidem adhibentes Euſebium, ac S. Hieronymum in Chron. ad Olymp. 227. an. 4. p.709. ſqq. nugatos Scaliger auſus eſt dicere, hallucinatos modeſtius dixere Valeſius, & Pagius; ac Spartianum, qui belli hujuſce mentionem etiam ingeſſit, Scriptorem eſse mendacem; atque Nummum *Hadriani* ab Occone p.234. relatum, cum epi-

gra-

graphe *Judaica Expeditio*, ſpurium eſse, dicere non dubitavit, conjecturis hiſce leviſsimis confiſus, tum quod *Hadrianus* ſemel anno Chriſti 129. in Judaeam advenerit; adventus ille vero fuerit pacificus, ſicuti pacificus fuit illius adventus in Aſiam, Bithyniam, Siciliam &c., unde ſimiliter utrobique legitur in Nummis ***Adventui Aug. Judaeae, Aſiae, Bithyniae, Siciliae*** &c.; tum quod ſi revera *Hadrianus* victoriam de Judaeis aliquando retuliſset, ſicut a relata victoria a ***Trajano***, & ab ***Antonino Pio*** in horum Nummis legitur ***Imp. II***; ſic in aliquo *Hadriani* Nummo legeretur ***Imp. II***; quae tamen epigraphe nullibi comparet. Equidem apud Gruterum duae p.248.ſq. n.8, & 10. Inſcriptiones habentur, ubi *Hadrianus Imp.II.* legitur; ſed utraque adulterina Harduino videtur ideo, quod in priori notatur annus 3, qui fuit Aerae Chriſtianae 119, quo Judaea pacata erat; in poſteriori vero annus Chriſti 136, quo *Hadrianus* haud in Judaeam abiit; tum quod a *Domitiano* antea Hieroſolyma reſtituta, Graecis repleta Colonis fuerit, ab ipſiſque *Capitolias* denominata; unde in *Domitiani* Nummo legitur *Capit. Reſt.*, ideſt *Capitolias Reſtituta*, interprete Harduino; ideoque quidquam eſſe cauſſae nequibat, cur Urbs tota tunc Graeca rebellaret. Sed enim haec adeo levidenſia ſunt, ut non ſit utique, cur Dioni lib. *69.* p. 793. ſqq., Xiphilino in Hadriano p. *262.* ſq., ac Spartiano in Hadriano cap. 14. p. 7. ſqq. fides derogetur. Quibus jungendi, qui horum fidem abunde liberant, iſtoque de Judaico bello ab Hadriano confecto fidem adaugent, Appianus in Syr. p. 83, Ariſto Pellenſis apud Euſebium in Hiſt. Eccl. lib. 4. cap. 6, Pauſanias M. Aurelio coaevus in Atticis, ſive lib. 1. cap. 5. edit. Kuhnii p. 14, S. Johannes Chryſoſtomus Orat. 5. §. 11. in Jud. edit. Montf. T. I. p. 645, Syncellus in Chron. p. 350. edit. Pariſ., Ven. p. 278, Auctor Chron. Alex. p. 254. edit. Pariſ., Ven. p. 203, ex Judaeiſque Talmudiſtae in ***Miſnah Sota*** p. 303, & in ***Abbodah Zarah*** cap. 1. fol. 8. col. 2, R. Joſe in ***Seder Olam Rabba*** cap. 31, Gantzius in ***Tzemach David*** ad an. 388. Judaeor. p. 102, R. Abraham in Kabala hiſt. apud Petitum Obſervat. Sacr. lib. 3. cap. 4. p. 310; Nummi quoque apud Vaillantium Num. praeſt. T. I. p. *65*, ipſumque Harduinum in Hiſt. Aug. p. 757. cum epigraphe ***Expeditio Auguſti***,

 quae

quae fuit profecto adverſus Judaeos; alterque apud Buonarottium Obſervat. in aliquos Num. Hadriani anno ipſius 18, quo de Judaeis victoriam retulerat, eoſque Hieroſolyma expulerat, ſcalptus; atque vetus Inſcriptio apud Gruterum p. 457. n. 6. *Donato donis Militaribus a Divo Hadriano ob Judaicam expeditionem*. Cum Hieroſolyma vero, ſeu *Aelia Capitolina* perperam ab Harduino confundi *Capitoliadem* ſuo infra loco, ubi de Epochis Hebraeor. &c. ſermo fiet, abunde demonſtratum dabitur.

CIV. Neque vero Euſebius, ac S. Hieronymus errarunt, & cum ipſis S. Johannes Chryſoſtomus, Suidas Lex. T. I. p. 425, Syncellus, Cedrenus in Comp. edit. Pariſ. p. 249, Auctor Chron. Alex., Nicephorus lib. 3. cap. 24. &c., quod ab Hadriano bellum Judaeis indictum fuiſſe ſcripſerint, ſed quod ab *Hadriano* everſam penitus Hieroſolymam adfirmarint: qua in re hallucinatos illos quidem volunt, jam pridem a *Tito* Urbem funditus everſam putantes, Scaliger Animad. p. 211, Valeſius in Not. ad Euſeb. Hiſt. Eccl. lib. 4. cap. 6. edit. Taur. p. 126, Beveregius in Not. ad Synodicum Magn. p. 62, Dionyſius Gothofredus in Not. ad L. 2. ff. *Quibus modis uſusfructus* &c., Jonſius de Scriptoribus Hiſt. Philoſoph. lib. 3. cap. 7, Brucherus in Quaeſt. ex Hiſt. Philoſ. p. 108, Schoepflinus in Chronologia Praeſid. Syriae in Comment. Hiſtorico-Criticis p. 496, Samuel Baſnagius in Annal. Polit. Eccl. T. I. p. 776. ad an. 70. §. 15, Tollius in Not. ad Appianum T. I. p. 191, & Ittigius in Select. Hiſt. Eccleſ. Capit. cap. 7. ſect. 10. §. 3. p. 491. Contra quos tamen pugnant, recteque illos ab omni prorſus errore liberant Tillemontius in Hiſt. Imp. T. II. p. 289, Joh. Clericus in Bibl. Univ. T. XXIV. p. 81, & T. XXV. p. 103, Jacob. Baſnagius in Hiſt. Jud. T. I. Par. II. lib. 1. cap. 19. §. 26. ſq. p. 590. ſqq., Olearius in Obſervat. ad S. Matth. p. 660, Deylingius in Obſerv. Sacr. Par. V. diſſert. de Aeliae Capitol. orig. §. 10. ſqq. p. 456. ſqq., Petavius in Not. ad S. Epiph. T. II. p. 394. ſq., Kuſterus in Not. ad Suidam loc. cit., & Vallarſius in Not. ad Euſebii Chron. p. 705. ſq.; a *Tito* namque haud ita Hieroſolyma deſtructa fuerat, quin Turres, multaeque domus hominum ſex ſupra millibus ibi ad cuſtodiam relictis excipiendis ſuper-

Digitized by Google

perſuerint, aliaque inſuper aedificata deinde, inſtaurataque fuerint aedificia: quae omnia demum ab *Hadriano* ſolo aequata ſint. Neque vero per ſe, eoque, quo in Judaeam profectus eſt, anno, ſed per *Tinnium Rufum* bellum ab *Hadriano* adverſus Judaeos profligatum fuit, confectumque; uti docent Euſebius in Chron. p. 705, ac S. Hieronymus in Dan. cap. 9, oſtenduntque Petavius Rat. Temp. Par. I. lib. 5. cap. 7. p. 252, Blanchinius, ac Dodvvellus in Diſſert. ad S. Irenaeum, videndique Wagenſeilius in *Miſnah Sota*, ac Lightfootus in Chronicis Temp. ſect. 5. ſq. Oper. T. II. p. 143. ſq. Quo vero anno Judaicum bellum iſtud inceperit, quove finierit, haud liquido, facileque definiri poteſt. S. Hieronymus in Dan. IX. juxta computum Judaeorum *Hadriani* anno 2, Aerae Chriſtianae 119. incepiſse, in Chronico vero p. 709. anno *Hadriani* 16, Chriſti 133; finiiſſe vero Aerae Chriſtianae anno 135, *Hadriani* 18, aut inſeq. ſcribit. Quae ita componere Scaliger conatus eſt, ut anno 2. *Hadriani* Judaeorum ſeditio inceperit, velut indicant Euſebius ipſe, ac S. Hieronymus in Chron. p. 701, anno vero 16. apertum in bellum ſeditio illa eruperit, cui comprimendae Militaris expeditio ab *Hadriano* imperata fuerit: quae ideo Scaligeri conjectura, non erat ſane, cur nullo ceu ſuffulta fundamento, mero de ingenio ab eo jactata diceretur Baſnagio in Hiſt. Jud. lib. 7. cap. 12. §. 17. p. 352. ſq.; qui perinde §. 19. p. 354. ſq. bellum hoc incepiſſe anno 1. ſerius, ideſt *Hadriani* 17, Chriſti 134, finiiſſeque Aerae Chriſtianae anno 136, *Hadriani* 19. putat, Nummo apud Buonarottium anno 18. *Hadriani* ſcalpto maxime ſuffultus: qui tamen a recepta Euſebii, & S. Hieronymi opinione diſcedere haud nos cogit, quam poſt Baronium pone ſequutus eſt Pagius etiam ad Chriſti an. 132. n. 3. ſq., & 135. n. 2. Annal. T. II. edit. Luc. p. 129. ſq., & 134. ſq. *Hadriani* poſtremo juſſu ex Judaeis, qui generali ab internecione ſuperſuere, partim ſub haſta venditis, partim fuga per Aſiam, Europamque diſperſis, ignominioſae partim captivitati deſtinatis, ingentem in Aegyptum multitudinem fuiſſe deportatam refert S. Hieronymus in Zach. cap. XI. 7. Anno denique Chriſti 415, S. *Cyrilli* opera, (cui propterea inique negotium faceſſere haud eſt veritus Baſnagius, Hiſt. Jud. lib. 8.
cap.

cap.6. §.8.p.210.ſqq., quod in Urbis Praefecti *Oreſtis* jura irrepſerit, qui tamen haud ignorare debebat Urbis Alexandrinae rei tam Sacrae, quam Civilis ſummam apud Patriarcham ſtetiſse, ut late oſtendit Thomaſſinus Vet., & Nov. Diſcipl. T.III. Par. III. lib. 1. cap. 26. §. 3. edit. Ven. p. 82. ſqq.), Alexandria Judaeos, qui Chriſtianis infeſti ſemper erant, ad centum circiter mille expulſos refert Socrates lib. 7. cap.13. ſq. Judaeos adhaec tam plures ex illuc deportatis ſub *Hadriano*, quam ex Hiſpania poſt expulſis adeo excreviſſe numero refert Benjamin Tudel. Itin. p. 81. ſqq., ut ſe reperiſſe tradat illorum in Urbe *Chouts* ad confines Aethiopiae triginta millia; in *Mizraimo*, quae hodie *Magnus Cairus* eſt, bis mille; in *Goſcen* tria millia, & quingentos, totidem fere *Alexandriae*, paucos *Damiatae*: ubi tamen a Benjamino pleraque confingi, peccarique multa circa Hiſtoriam, & Chronologiam rite obſervat Baſnagius in Hiſt. Jud. lib. 9. cap. 8. p. 198. ſqq.

CV. In Italiam porro, qui primi ex Judaeis habitatum advenerint, longe pridem ex *Eſau* poſteris fuiſſe *Tſephum*, ejuſdem *Eſau* nepotem, commentus eſt Joſephus Goronides, vulgo Joſippus lib.1. cap.2. ſq. p.4. ſqq. Eum nempe ait in Aegypto e carcere, quo a *Joſepho* detinebatur, ad *Aeneam* Carthaginis regem aufugiſſe, a quo bello praefectus egregiam ipſi operam praeſtiterit, ac in Italiam bello inlato, adquirendae Regioni huicce magno fuerit auxilio. *Tzepho*, quod inſigni fortitudinis exemplo horrendum, Italum agrum infeſtans, Monſtrum interfeciſſet, ab Italis cum *Jani*, tum *Saturni* nomen inditum fuiſſe, in Agroque Romano eum regnaſſe jactans. Eumdem in regno excepiſse *Latinum*, iſtique cum *Aſdrubale* Carthaginis Rege belli occaſionem feciſse Aquaeductum ex Africa in Italiam deductum. Occiſo in praelio *Aſdrubale*, tum perinde *Latinum* armis in Germaniam, ac Burgundiam inlatis, ſuae Provincias haſce poteſtati adjunxiſse. Poſt *Latinum* regnaſse *Aeneam* Trojanum, alioſque genus ejuſdem poſt ipſum, e quibus *Aventinus* bello Turrenos in Gallia perdomuiſse fingitur; *Romulus* cum *Davide* amicitiae foedera coluiſse; a *Davidis* autem exercitu profugi *Adareſer*, filiuſque *Tſir* Albam, ac Su-

Surentum condidiſse ſomniantur. Quae pura, putaque commenta, adverſa cum Geographia, Hiſtoria, & Chronologia fronte pugnantia, propria facere tamen non dubitarunt Benjamin Tudel. Itin. cap. 3. p.30,. velut ibidem in Not. obſervat Baratierius, turpiſſimi eumdem anachromiſmi redarguens, Abarbanel apud Gagnier in Praefat. ad Joſippum p.42, ac Fazellus de Reb. Sicul. Dec. I. lib. 8. cap. de Panormo, in eo duo poſteriores a Joſippo diſcrepantes, quod *Tſephum*, non in Italiam, ſed in Siciliam adveniſse ſcribunt, ab eoque *Panormum* conditum. Quod gemina confirmare Fazellus Inſcriptione ſatagit, anno 1470. Panormi e ruderibus eruta, veteribuſque Characteribus neque Graecis, neque Chaldaicis, neque Arabicis exarata; in quarum altera legebatur, quod regnantibus in Idumaea *Iſaaco*, & in Valle Damaſci *Eſau*, Judaeorum manus, una cum Syris, ac Phoenicibus oppido multis, in Siciliam transfretavit, ac *Panormum* condidit: in altera vero habebatur, quod unus eſt *Deus* Omnipotens, quodque Gubernator Turris hujuſmodi fuit *Saphu* filius *Elipharis*, filii *Eſau*, filii *Iſaac*, filii *Abraham*. Verum fabulis hiſce praetermiſſis, in Italiam profecto ex Aſia non modo, Phrygia ideſt, Lycia, & Pamphylia, quò *Antiochi Magni* olim juſſu bis mille Judaeorum familiae ex Aſſyria deportatae fuerant, quaſque ſua aetate Philo in Bithyniam, Macedoniam, Pontum, ac Thraciam ſe ſe diffudiſſe, in Inſulas quoque Cypri, & Candiae ſcribit; ſed & ex Aegypto, ac Libya ingentem Judaeorum multitudinem fuiſſe delatam, diſcimus ex Cicerone lib.2. epiſt. 10, referente a *Pompejo* multa Judaeorum millia Romam abducta; ex Tacito Annal. lib.2. cap. penult., cui ſimilia regerunt Joſephus Antiq. lib.18. cap.7, ac Svetonius in Tiber., *Tiberii* juſſu quatuor mille *Libertinos*, qui nempe e patribus Judaeis *Libertis*, ideſt ab *Auguſto* deinde libertate donatis, ſuiſque permiſſis vivere legibus, progeniti fuerant, in Sardiniam Inſulam, coercendis illic latrociniis, fuiſſe deportatos adfirmante; Judaeis reliquis, qui patrios ritus exuere, Romanaeque nomen dare Militiae detrectaſſent, Italia pulſis; ex Philone in Legat. ad Cajum ab *Auguſto* pridem Romae trans Tiberim bonam Urbis partem a Judaeis teneri, horumque pleriſque *Libertinis* indulto

to poſtea cum libertate Jure *Civitatis*, fuiſſe conceſſum confirmante: e quibus nempe *Libertinis* Hieroſolymis olim conflata Synagoga legitur Act. vi. 9. Quo loci recte obſervat Baſnagius in Hiſt. Jud. lib. 7. cap. 8. §. 2. ſq. p. 201. ſqq. perperam a Moynio in Var. Sacr. T. I. in Proleg. *Libertinorum* loco legendos *Lapithinos* juberi, eos ita dictos putante a *Lapetho* uno in Cypri Inſula Ponte, e quo Hieroſolymam ſe Judaei conferre ſolerent; *Cyrenenſes* quoque, non in Libya utique fore quaerendos, ſed eos in Cypro Inſula *Cyreniae* Urbis Incolas fuiſſe. Peſſime denique Tribechovium in libro de Doctor. Scholaſticis cap. 1. p. 5. *Libertinos* fuiſſe interpretatum *Academicos* Philoſophos, *Alexandrinos* eodem loci *Peripateticos*, ac *Cyrenenſes* demum non alios, quam *Cyrenaicos*: non enim e tribus hiſce Philoſophorum ſectis, bene vero ex triplici Judaeorum gente eam conflatam Judaeorum Synagogam fuiſſe nemo non percipit. A *Claudio* imperii anno non 6, aut 7, ut Onuphrio Panvinio in Faſtis, ac Platinae viſum eſt, ſed anno aut 9, Chriſtianae Aerae 51, ut Oroſio lib. 7. cap. 6, Bedae de Sex Aetat., Orderico Vitali lib. 1, Adoni, Mariano Scoto, Herm. Contracto, Lorino ad Act. xviii. 2, Baronio ad cit. an. n. 1. Annal. T. I. p. 356. edit. Luc., Ciacconio in S. Petro &c., aut verius anno 10, Chriſti 52, ut oſtendunt Tillemontius Monum. Imp. T. I. p. 466, 750. ſq., & in Chronolog. Mon. Hiſt. Eccl. Par. III. T. II. p. 353, ac Pearſonius in Annal. Paulinis p. 21, a *Claudio*, inquam, Roma Judaeos pulſos tradunt Dio lib. 60. p. 768, Svetonius in Claudio cap. 25, Oroſius loc. cit., Euſebius in Hiſt. Eccl. lib. 2. cap. 17, liquetque Act. xviii. 2; quos perinde longe, lateque per Europae Provincias effudiſſe ſe ſe quiſque facile perſpicit. Quamquam ejuſdem *Claudii* edicto apud Joſephum Antiq. lib. 19. cap. 5. ſub imperii initio edito Judaei in reliquo Orbe Romano degere, eodemque, quod Alexandrinis indultum fuerat, Jure uti permiſſi, eodem poſtea imminuti haud fuerint; quin etiam plerique deinde Romam ſub *Nerone* regredi permiſſi ſunt, *Claudii* edicto poſteriori in oblivionem miſſo.

CVI. E Babylone expulſos Judaeos, eorumque Scholis funditus everſis, circa annum Aerae Chriſtianae 1040, ſero nimis ſane, in Europam, ac in Hiſpaniam quammaxime ſe rece

recepiſſe ex Gantzio in *Tzemach David* ad an. 4797. cenſet Marſhamus in Can. Chron. Seculo IX. p. 159. ſq. Atqui longe antea repletam Judaeis Hiſpaniam docent nos vel unius Concilii Iliberitani anno 318. circiter habiti Canones 49, 50, & 76. de Judaeis loquentes apud Harduinum Concil. T. I. p. 255, & 258. Jampridem itaque, a *Salomonis* aetate idest, a Judaeis Hiſpaniam inhabitatam fuiſſe, illique vectigalem factam duplici ex Epitaphio ſepulcrali anno 1480. Sagunti e ruderibus eruto conjecit Villalpandus Explan. in Ezech. lib. 5. diſput. 3. cap. 58. T. II. p. 544, & 644: in quorum altero litteris Hebraicis legitur ibi ſepultus *Adoniram* Regis *Salomonis* praepoſitus ſuper Tributa III. Reg. IV. 6, & V. 14, qui eò nempe Tributi exigendi cauſſa migraverat: in altero vero tumulatus ibi legitur *Oran Naban* Militiae & ipſe dux. *Tharſis* adhaec, ab *Ophir* aut indiſtinctae, aut haud multo diſtantis, in quam ſingulis trienniis *Salomonis* Claſſis, inde deferendi auri, & argenti cauſſa, transfretaſse legitur III. Reg. X. 22, & II. Paralip. IX. 21, cuique nomen feciſse *Tharſis Javanis* filius, de quo Gen. X. 4, vulgo creditur, nomine, etſi *Tharſum* in Cilicia venire exiſtimaverint Joſephus Antiq. lib. I. cap. 6, Strabo lib. 14. p. 463, Vatablus, Oleaſter, Lipomanus, Iſtella ad Gen. loc. cit., Beroaldus in Chron., Pererius, Ribera Jon. I. &c., *Tunis* Geographus Arabs opinatus ſit, ſive Nubienſis; *Carthaginem* crediderint Graeci LXX. Interpretes Iſaj. XXIII. 6, 14, ac Ezech. XXVII. 12, & XXVIII. 13, Vulgatus imo Ezech. XXVII. 12, S. Hieronymus de Loc. Hebr., & in Iſaj. XXIII. 1, Theodoretus, Arias Montanus in Phaleg Crit. Sacr. T. VI. edit. Francof. p. 550, & Poſsevinus Bibl. lib. 2. cap. 5; *Indiae* Regionem, ſeu *Aethiopiae* opinati ſint Joſephus Antiq. lib. 8. cap. 6, S. Hieronymus ad Marcellam, & in Jon. I, Abulenſis in II. Paralip. IX, Genebrardus in Chronolog. lib. I, Pererius in Dan. lib. 12, Menochius in III. Reg. IX. 28. T. I. edit. Ven. p. 189. ſq., Bochartus in Phaleg lib. 3. cap. 7. p. 171, & Polenus in Synop. Crit. Sacr. T. I. p. 502; Inſulam *Taprobanam*, quae etiam *Sumatra*, putarint Salianus ad an. 4. Salomonis n. 42, aliique; In *Aethiopico* Oceano Inſulam ſub ima Africa, ad occidentem Palaeſtinae, Vatablus in III. Reg. X, & II. Paralip. IX; in *Africae* parte Meridio-

ridionali, quae nunc *Angola*, perſuaſum habuerint Chaldaeus Paraphraſtes III. Reg.x. 22, & xxii.49, ac Hierem.x.9, R.Kimchius in Iſaj.11. 16, ac Emanuel Sà II. Paralip. ix; in *Guinea*, in Regnis *Fara*, quae gemina ſunt, *Biafara* unum, & *Zanfara* aliud, exiſtimarit Otho Verbrugge in Orat. de Navigat. Ophirica in Academia Groningana 3. Septemb. an.1723. habita; non defuere tamen longe plures, queis a *Tarteſſo* in Boetica, a freto Gaditano haud procul, indiſtincta *Tharſis* illa viſa eſt, velut Anaſtaſio Sinaitae in Hexamer. lib.10. ad Gen.11. 1, Goropio Becano Hiſpanicorum lib.7, Forerio in Iſaj.xxiii. 10, Boſio de Signis Eccl.lib.15. cap.17, Riberae in Jon.1, Sotomajori in Cant.v, Ambroſio Morali Antiq.Hiſp. lib.2, & apud ipſum Raſi Almanſori ſcriptori Hagareno de Hiſpan. everſione, Pinedae de Reb. Salom. lib.4. cap. 12. p.181. ſqq., ubi ceteris fuſius id confirmare ſatagit, ac nuper Joh. Oldermanno in Diſput.Philolog.de *Ophir*, & *Tarshish* an. 1714. die 22.Decemb. habita, ubi etiam *Eziongaber*, ac *Eloth* portus eſſe Maris, haud Arabici, ſed Mediterranei contendit. Contra quos tamen pugnant Bochartus loc. cit., ac Baſnagius in Hiſt. Jud. lib.7.cap.9. §.4. p.245. ſq., *Tharſim* in Oceano Indico, *Taprobanae* proximam, fore dubio procul omni quaerendam opinati, & Bernardus Aldrete item in *Varias Antiguedades de Eſpana*, *Africa* &c. lib. 1.cap. 24. in Mari Rubro, non in Mediterraneo, *Tharſim* extitiſſe exiſtimans.

CVII. Primam viciſſim JudaeorumColoniam a *Nabuchodonozore* II, Tyro poſt obſidionis annos 13. capta, Chriſti ante natalem anno 571, in Hiſpaniam fuiſſe inlatam, perſuaſum aliis fuit, rerum Hiſpanicarum praeſertim Scriptoribus, Megaſthenem apud Joſephum lib.1. adv. Appion., & Antiq. lib.10.cap.11, & apud Strabonem lib.15. pone ſequutis, Floriano, Garibajo, Marianae lib.1. cap.7, ac Pinedae de Reb. Salom. lib.4.cap.14. ſect.5. p.189. ſq. *Tyro* nempe laboranti opem a Phoenicibus ex Hiſpania adlatam fuiſſe putant, factumque propterea, ut quatuor ferme inſuper annis *Tyri* obſidio perduraverit. Quare ira excandeſcens *Nabuchodonozor*, poſt everſam Tyrum, in Hiſpaniam properaſſe creditur, ſpe ditiſſimae Provinciae copias occupandi, ſimulque ſtudio vindicandi miſſa Tyrum auxi-

lia.

lia. Cum *Nabuchodonozoris* itaque Copiis junctam co... Judaeorum Coloniam, quae ipſius in Exercitu ſtipendia mei... bat, in Hiſpaniam tranſmiſiſſe perſuaſum habent, impleſſeque *Abdiae* verſ. 20. prophetiam: *Et tranſmigratio Exercitus hujus filiorum Iſrael omnia loca* Chananaeorum *uſque ad* Sarephtam, *Et tranſmigratio Jeruſalem, quae* בְּסְפָרַד *in* Sepharad, *poſſidebit Civitates Auſtri*: ubi *Chananaeos* pro Germanis, *Sarephtam* pro Gallia, & *Sepharad* pro Hiſpania intelligi putant. Paullo aliter haec ipſa referunt Judaei Hiſpani apud R. Salomonem ben Virgae p.41, Baſnagio lib.7. cap.9. §.7. ſq. p.249. ſqq. relatum. Nempe *Nabuchodonozori* Hieroſolymam obſidenti auxilio adfuiſſe perhibent inter alios, una cum genero *Pyrrho* Graecorum Rege, *Hiſpanum*, quo de *Hiſpaniae* inditum deinde fuerit nomen. Urbe capta, haud parvam Judaeorum multitudinem captivam ab *Hiſpano*, ac *Pyrrho* in Hiſpaniam abductam fuiſſe, diſperſamque in Boeticam, ideſt Vandalitiam, & Granatam. Verum Megaſthenis, fabuloſi veluti Scriptoris, fidem nauci, flocciqe habendam, habitamque reapſe Joſepho, atque Straboni fuiſſe multis oſtendunt Bernardus Aldrete Hiſp. Antiq. lib.2. cap.3. ſq., ac Baſnagius loc. cit. *Abdiam* quod attinet, is de Judaeis e Captivitate in Judaeam regreſſuris liquido loquutus eſt, recuperaturiſque patrias in Palaeſtina ſedes; ubi *Chananaea*, *Sarephta*, & *Sepharad*, (quam poſtremam *Boſphorum* fuiſſe a Judaeo Rabbino perperam didiciſſe ſe perhibet S. Hieronymus in Abdiam v.20; Ἐφραθὰ *Ephrata* Graeci LXX, & Arabs Interpres vertunt, minuſque recte *Hiſpaniam* Jonathas in Targo, Syrus, ac Paraphraſtes Chaldaeus), quaerenda procul dubio videtur, atque in *Idumaea* quidem ad Meridiem, cui ad Aquilonem oppoſita *Sarephta* fuerit, veluti conjicit Lightfootus in Chorogr. ad S.Lucam cap.2. ſect.2. Oper. T.II. p.477; non in Germania, Gallia, & Hiſpania, ut viderunt etiam Ribera in Abdiam loc. cit., ac Pineda de Reb. Salom. lib.4. cap.14. ſect.2. p.184. Itaque a *Tito*, a *Trajano*, ab *Hadriano*, a *S. Cyrillo* &c. e Judaea, & Aegypto expulſos Judaeos in Hiſpaniam quammaxime, quó profecto a *Veſpaſiano* pleraſque e *Davidis* ſtirpe familias deportatas refert Auctor סדר עולם זוטא *Seder*

Ee 2 *Olam*

Olam Zutha, ideſt *Parvi Chronici*, una cum *Seder Olam Rabba*, ideſt *Chronico Magno* apud Genebrardum in Adpend. ad Chronogr. p. 3. ſqq., atque Munſterum in Kalendario Hebr. p. 10. ſqq., effudiſſe ſe ſe alios, alios in Germaniam, alioſque in Galliam pronum eſt putare: quamvis inficias haud praefracte iverim, quominus jam pridem aliqui commercii gratia praeſertim ex Africa in Hiſpaniam confluxerint, ibique domicilio defixo magnam ſucceſſu temporis in multitudinem excreverint.

CVIII. In Germaniam jam vero longe ante Urbis, ac Templi excidium ſub *Tito*, penetraſſe ſe haud exiguo numero Judaei ipſi perſuaſum habent, confiſi praeſertim Epiſtolae Ulmiae repertae anno Chriſti 1348, quae a Judaeis Hieroſolyma exarata fertur ad Judaeos Germaniae de Morte *Jeſu Chriſto* inflicta; quam exhibet Baſnagius in Hiſt. Jud. lib. 7. cap. 9. §. 12. p. 257, obſervans contingendae huic epiſtolae forſan occaſionem feciſſe Euſebium Comment. in Iſajae XVIII. 1. T. II. edit. Pariſ. p. 424, ubi refert a Judaeis de Chriſti D. nece litteras Hieroſolyma fuiſſe exaratas ad Synagogas omnes uſque in Aethiopiam. Confiſi quoque Epiſtolae alterius fide, quae Wormatiae a Judaeis ad Judaeae Regem pro *Jeſu Chriſti* nece impedienda ſcripta fingitur, eo conſilio nempe, ne apud Germaniae Principes invidia propterea Judaei laborarent; quam exhibet Huldrichius in T*oldos Jeſchu*, Hiſtoria *Jeſu* hoc eſt, p. 82, (Judaicarum blaſphemiarum in Chriſtum D. refertiſſimo libro, ſicut eſt alius *Nizzachon* dictus, ideſt *Victoria*, quam de Chriſtianis diſputando ſaepe retuliſſe ſe jactant Judaei, ac Lipmannus inter alios), ex ipſoque Baſnagius loc. cit. p. 258. ſq. Sed commenta ſunt haec, quae retuliſſe abunde refutaſſe eſt, quam amplior iis convellendis opera impendatur. Igitur a T*iti*, T*rajani*, & *Hadriani* aetate Judaeorum in Germaniam deportatio, quae tardius in Angliam facta eſt, repetenda magis videtur. Et Velſerus quidem Rerum Aug. Vindel. lib. 6. p. 294. Auguſtam a *Veſpaſiano* Judaeorum Coloniam fuiſſe deportatam ex Inſcriptione Auguſtae reperta *Tib. Cleuphas* IIIIII *Vir. Aug. Negociator Artis Purpurariae*, arguit, *Cleopham* hunc gente Judaeum opinatus, qui ſuo T*iberii*, a cujuſce familiae poſte-

poſteris deportatus fuerat, cognomen addiderit, ſicut a Joſepho gentili ſuo *Flavii*, a *Veſpaſiano* benefactore ſuo acceptum, nomen additum fuerat; confirmatque ex artis *Tinctoriae* ſpecie, quae tum frequentata Judaeis erat. Quamvis Velſeri conjecturae hae adeo ſolidae haud viſae ſunt Baſnagio in Hiſt. Jud. lib. 9. cap. 35. §. 22. p. 979. ſqq., ut eis utramque pronam adhibendam putaverit aurem. Iſthaec vero Judaeorum in Germaniam tranſmigratio deinde ex Judaeorum diſperſione altera ab Oriente facta anno 997, qua de Gantzius in *Tzemach David*, ideſt Chron. lib. 2. p. 181, novo Inquilinorum acceſſu magis adaucta eſt. Idem ferendum judicium de Judaeis in Hungariam, Poloniam, Ruſſiam, & Galliam inde diffuſis, ibidemque multiplicatis: ubi ſane, in Gallia hoc eſt medio Seculo IV. ingenti degiſſe Judaeos multitudine, ex Synodis *Venetica* anno 465. habita Can. 12. relato Can. 14. *Omnes deinceps* Cauſſa XXVIII. Q. 1, & *Aghatenſi* an. 506. Can. 40. adverſus Judaeos apud Harduinum Concil. T. II. p. 798, & 1002, ex Lege *Gombeta*, ideſt a *Gundebaldo* Burgundiae Rege adverſus Judaeos anno 510. lata apud Lindembrochium in Corpore Veter. Legum, ex aliiſque Scriptoribus oſtendunt P. De Liron Benedict. in diſſert. de Judaeis in Gallia ſtabilitis, ac Baſnagius in Hiſt. Jud. lib. 7. cap. 10. p. 270. ſqq.

CIX. Poſtremo de Judaeorum ab Europae Provinciis expulſione obiter loquendo, e Gallia primo Philippi *Auguſti* edicto anno 1218. apud Dacherium Spicileg. T. VI. p. 471. ejecti, paullo poſt denuo recepti ſunt. E Burgundia excedere *Johannis* Regis cognomento *Rubri* juſſi anno 1239. apud D'Argentrè Hiſt. Britan. lib. 4. cap. 23. p. 207, univerſo deinde e Galliae Regno a S. *Ludovico* anno 1253. expulſi referuntur R. Salomoni ben Virgae p. 417, ac Matthaeo Pariſio Hiſt. p. 576; qui teſtis accedit anno 1241. a Judaeis tranſmarinis Conventu indicto deliberatum fuiſſe de bello Chriſtianis ubique, Ethniciſque inferendo, deque Monarchia univerſali Judaicae genti vindicanda. Paullo poſt a *Philippo Audace* anno 1275. revocati apud Guillelmum de Nangiaco Hiſt. Franc. T. V. p. 532, tum e Vaſconia, aliiſque ſub ditione Anglorum in Gallia Provinciis ab *Eduardo* I. Angliae Rege an. 1288, teſte Walſinghamo

mo in Vitis Reg. Angl. p. 53; tum a *Philippo Pulcro* univerſa e Gallia pulſi denuo an. 1306, Bzovio referente ad cit. an. n. 8. p. 83. tot fuiſſe numero exaggerantur Gantzio in *Tzemach David* p. 143, ut Iſraelitas ab Aegypto egreſſos aequarint; ſed a *Ludovico Huttino* octennio poſt, ideſt anno 1314. iterum in Galliam revocati ſunt. E Delphinatu quoque ab *Humberto* II. an. 1348. excluſi apud Auctorem *Des Memoires pour ſervir à l' Hiſtoire du Dauphinè* 1711. Pariſ., a *Carolo Delphino*, Normanniae duce an. 1356. denuo recepti, ut habet Continuator Guill. Nangii p. 822; anno poſt 1395. ab eodem *Carolo* VI. Rege e Gallia univerſa rurſus exterminati ſunt. In Anglia *Johannis* Regis edicto anno 1210, de quo Trivetus in Chron. p. 549, e Regno excluſi, eo defuncto paullo poſt loco remanere permiſſi ſunt. Eorumdem converſioni ingenti, ſed fruſtranea, *Henricus* III. opera incubuit, de qua Matth. Pariſius ad an. 1233, p. 269, a quo deinde *Richardo* fratri Germaniae Regi pro numerata pecunia venundati ſunt. Ab *Eduardo* I. deinde perpetuo e Regno Angliae exſilio Judaeos anno 1292. damnatos referunt Annales Dominicanorum Colmarienſes apud Urſtitium Hiſt. Germ. T. II. p. 25, Trivetus in Chron. ad an. 1290. apud Dacherium Spicileg. p. 654, Walſinghamus in Hypodig. Neuſtriae, ac Polydorus Virgilius Angl. Hiſt. lib. 17. p. 327, ubi exſilium iſtud Synodi *Londinenſis* an. 1291. operae adſcribit: ſed anno 1649. in Angliam denuo regrediendi facta Judaeis facultas eſt.

CX. In Hiſpania, poſtquam anno 1212. a *Cruceſignatis* dira omnia perpeſſi Judaei fuiſsent, ingentique affecti ubique clade, atque varia ſubinde fata ſubire compulſi, anno demum 1492. *Ferdinandi* V. *Catholici* edicto Hiſpania univerſa excluſi perpetuo fuere. Auctor eſt porro Mariana lib. 11. cap. 22. ex Hiſpania in exſilium abjiſse Judaeorum familias ſeptuaginta mille, ſive hominum octingentos mille; Iſaac Cardoſus anno 1679. in libro edito *Las Excellencias de los Hebreos* p. 373. ſqq. Judaeos profugos ex Hiſpania ſexcentos mille fuiſse, ſive familias centum viginti mille refert; quin Abarbanel exſulum unus Comment. in *Iſajae* XLVI. exſulum popularium exaggerat adeo numerum, ut eorum, qui ex Aegypto fuerant egreſſi, longe ſuperaverit. Ex his plerique Chriſti ana

ſtiana Sacra amplecti pretium operae duxere; plerique fame, peſte, igne, ferro, naufragio periere; in Africam profecti alii, in Italiam plerique, aliique in Luſitaniam, ubi a *Johanne* II. Rege recepti; alii in Latronum Inſulas ablegati, Cardoſo teſte p.388; remanere plerique in Luſitania ſub jugo permiſſi, ab *Emanuele* Rege poſtea anno 1497, qui fidem amplecti Chriſtianam abnuere, in exſilium pulſi ſunt, qua de re Lequiennius in Nov. Hiſt. Luſit. lib. 4. p.8, Mariana lib. 26. cap. 13, Oſorius lib. 1, & Baſnagius Hiſt. Jud. lib. 9. cap. 25. p.720. ſqq. Ex Hiſpania vero, ac Luſitania ejectos Judaeos magno ſe in Hollandiam numero recepiſſe teſtatur Daniel Levi de Barrios in *Caſa de Jacob* p. 23; alios pleroſque in Africam, in Regna Marochi, ac Feſſae; alios in Turcarum ditiones aufugiſse ſcribit Simon Luzzati de Statu Hebr. cap. 17. ſq. apud Wolfium in Bibl. Rabb. T. IV. p.1128. ſqq.; alioſque in Inſulas Azoras refert Genebrardus ex veteri Inſcriptione in S. Michaelis Inſula reperta, ubi tumulatus legitur Judaeus שׁעל מהיטבאל *Mehetabal Sual*; fuiſſeque quin ante pridem in Azoris Judaeos Procopius indicat de Bello Perſ. lib. 11. cap. 5. E Rhodo Inſula anno 1480. ab *Aubuſſonio* M. Magiſtro ejectos Judaeos refert Bouhours in in Hiſt. Aubuſs. T. VI. p. 457: quò denuo, anno 1652. Inſula a Turcis capta, regreſſos viderunt Stochovius Itin Lev. p. 227, ac Thevenotus Itin. lib. 1. E Regnis Neapolitano, ac Siculo, quò ex Hiſpania, ac Luſitania pulſi confugerant, *Caroli* V. edicto an. 1539. expulſi ſunt. A S. *Pio* V. Chriſti anno 1569. Conſtit. 110. *Hebraeorum gens* Bullar. Rom. Noviſſ. edit. Par. III. T. IV. p. 57. ſqq., & apud Laderchium Annal. Eccl. T. I. p. 204. ſqq., ac Spondanum ad cit. annum e Statu Eccleſiaſtico, Roma, & Ancona exceptis, Judaei excedere juſſi ſunt; quae a Clemente VIII. deinde an. 1593. Conſtit. 52. *Caeca, & obdurata* Bull. Par. I. T. V. p. 426. ſqq. confirmata eſt, excepta inſuper Avenione. A *Ferdinando* e Bohemia an. 1558. expulſi etiam, Pragae tamen familiis decem toleratis; quò tamen paullo poſt regredi permiſſi fuere: atque de his ſatis jam, ac ſuper.

DE

DE
MENSIBUS, ET ANNIS

Aegyptiorum, ſive Coptorum, Aethiopum, ſive Abyſſinorum, Congenſium, ſive Ambondorum, Angolanorum, ſive Matambenſium.

Articulus I.

I. AEgyptus Graecis hodie, ut de nomenclationis originatione antea dicamus, Ἀερία *Aëria* dicta a colore Nigro, Apollonio Rhodio Argon.lib.4.v.267, Stephano Byzant. de Urbib. p.14, & Euſebio in Chron.Oper.S Hieronymi T.VIII.p.205, qua de Aegypti denominatione Seldenu. de Diis Syris ſyntag. 1. cap. 4; quove itidem *Aëriae* nomine inſignitae leguntur Aethiopia, Libya, Creta, Thaſus, Cyprus, Sicilia apud Stephanum de Urb., ut in Not. p. 9. vidit Holſtenius; Χημίας *Chemias* etiam a ſoli *Nigredine* denominata Plutarcho de Iſid., & Oſir. p.364, ab Hebraea voce חום *Chum*, qua *Nigrum* denotatur Geneſ.xxx. 32, unde Cophtis Aegyptus nunc quoque Ϧⲉⲙⲓ *Chemi* adpellari ſolet; Terra *Chami* dicta quoque legitur Pſal. LXXVII. 51, CIV. 23, 27, & CV. 21; unde LXX. Interpretes כם *Cham* tranſtuliſſe pro חם *Ham*, ac ita Aegyptiorum lingua *Ham* dictam Aegyptum, obſervat S. Hieronymus in Geneſ. quaeſt. p.1316. *Aethiopia* itidem Aegyptus cognominata legitur ab Inquilinis, qui eò inhabita-

bitatum advenere, apud Feſtum, junctis Etymologico M., & Scaligero ad Feſtum voce Aegyptios; *Ogygia* a Coloniae duce *Ogyge*, inde deductae; *Hephaeſtia*, ſive *Vulcania* a Rege˜, *Vulcano*, qui Deorum prior in Regione hacce regnaſſe olim fertur; Μελάμβωλας a colore Incolarum *Nigro*, ut adnotavit Scholiaſtes Apollonii loc. cit.; *Aëria* ab Indo quodam homine, cui nomen *Aëtus*, derivata voce; *Potamia* item denominatione a Ποταμος fluvio, *Nilo* videlicet, deſumpta, ut eſt apud Euſtathium ad Homeri Odyſs. Δ. p. 1484, & ad Dionyſii Περιέγησιν p. 35. Verſ. Alex. Politi T. I. §. 30. p. 116. ſq., conferendusque Scaliger ad Euſebium p. 34, ubi Apollodorum emendat. *Aegyptus* deinceps, hodieque dum vulgari audire ſolet vocabulo derivato, vel ab *Aegypto* Beli filio, *Danai* fratre, *Seſoſtri* multis credito, Diodoro lib. 1. cap. 30, Joſepho adv. Appion. lib. 1. p. 1041, Euſebio, Stephano loc. cit. &c.; vel a *Nilo*, quem antea *Aegypti* fuiſſe nomine inſignitum liquet ex Homero Odyſs. lib. 14, notantibus Pauſania in Boeotic., Diodoro lib. 1. p. 39, Heſychio &c., videndique Marshamus in Can. Chron. Seculo x. p. 247. ſq., & Seculo xvii. p. 464., ac Perizonius Origin. Aegyp. cap. 1. p. 12. ſqq., ubi Γύψ Graecis *Vulturem* fuſci coloris volucrem denotari obſervat, indeque littera T interpoſita poſt Π factam *Aegyptum* conjicit. A voce *Aecopto* viciſſim, qua Regio *Coptorum* ſignificatur, Graecis, quibus *Aia* Regionem ſonat, *Aegyptum* efformatam exiſtimat Vells in *Geograph. of the old Teſtament* T. II. p. 5; a Nigredine Graecis *Gyps*, vel a *Vulture*, ſubnigri coloris ave, Graecis Ἐγυψ *Egyps* derivant cum aliis ſupra laudatis Angli Scriptores Hiſt. Univ. T. III. Par. I. ſect. 1. cap. 3. edit. Ven. p. 7: qua in editione, ut id obiter admoneam, non tam dolere˜, quam mirari ſubit, adeo turpiter Hebraea omnia fere vocabula Typothetarum inſcitia fuiſſe depravata. Aſt enim Hebraeis, Syris, & Arabibus olim, & hodie Aegyptus denominari ſolet מצרים *Mizraim* duali numero, quo duplex Regio Superior, quae *Thebais*, ac Inferior, quae *Delta* poſtea, deſignatur apud Joſephum Antiq. Jud. lib. 1. cap. 7, ac Syncellum in Chronog. p. 38. edit. Pariſ., Ven. p. 30: ſingulari etiam in S. Scriptura numero מצור *Mazor* IV. Reg. xix. 24, & Iſajae xix. 6, juncto

ibidem R. Davide Kimchio, & Micheae vii. 12; unde hodie Aegypti Metropolis *Cairus* Arabibus מצר *Meſer* dici perſeveravit; olimque primo anni Menſi ab Aegyptiis Μεσορὶ *Meſori* nomen inditum fuerat: qua de etymologia Bochartus Geog. Sacr. Par. I. lib. 4. cap. 24. Oper. T. II. p. 258. ſq., ac Cellarius Geog. Antiq. T. II. lib. 4. cap. 1. p. 800. Inde quoque derivato, ut videtur, nomine Μύαρα *Myara* dicta Aegyptus Stephano de Urb. legitur V. Αἴγυπτος, vitioſe tamen, ubi nempe pro *Myara* reponendum Μίσαρα *Miſara* jamdiu monuere Voſſius de Idolol. lib. 1. cap. 27, ac Perizonius Orig. Aegyp. cap. 1. p. 9. Quod animadverſum haud eſt Holſtenio in Caſtigat. ad Stephanum p. 14, neque Johanni Gavel in Not. ad eumdem Steph., neque Hadriano Heringae Obſervat. in eumdem Ethnicographum Miſcell. Obſerv. Crit. T. IV. p. 234, & T. IX. p. 965. ſq. Tuliſſe hoc vero *Mizraim* nomen Aegyptum a *Mizraimo* Gen. x. 6. 13. *Chami* filio, fratre *Chuzi*, qui Graecis *Asbolus* dictus eſt, teſtibus Eupolemo, & Alexandro Polyſthore apud Euſebium Praep. Evang. lib. 9. cap. 17, quo Graeco *Asboli* vocabulo, (quod proprium fuit etiam *Centaurorum* Ducis ab *Hercule* crucifixi apud Tzetzem Chil. 5. cap. 22), idem atque Hebraea voce חום *Chum* denotari, *Nigredinem* ideſt, obſervat Bochartus lib. 4. cap. 2. p. 210. Idem vero profanis vulgo Scriptoribus Herodoto lib. 2. cap. 4, Diodoro lib. 1. cap. 45, Graece p. 29, Plinio lib. 3. cap. 8, Veteri Aegyptio Chronographo, Manethoni, Eratoſtheni, & Apollodoro apud Syncellum p. 53, 91, & 210. edit. Pariſ., Ven. p. 42, 72. ſq., 168. &c. *Menes* adpellatus legitur. Quo ſub nomine ſane *Chamum* potius latere contra Scriptorum prorſus omnium fidem perperam exiſtimat Marshamus in Can. Chron. Seculo I. p. 23, 30. ſq.; *Mizraimi* filium e contra *Menem*, eique ab Aegyptiis deinde ſub *Hori* nomine, ſicuti patri *Mizraimo* ſub denominatione *Oſiridis*, atque Matri ſub *Iſidis* titulo, divinos poſt obitum honores fuiſſe decretos, perſuaſum habuere Kircherus Oedipi. Aegyp. T. I. Syntag. 1. cap. 10. p. 92. ſq., Abbas Sevinus in Ephemerid. Pariſ. Jun. 1710, Dominus de Mehegan de Orig., Progreſ., & fatis Idolol. cap. 8. p. 151. ſq., ac D. de Origny in Chronolog. Aegyp. Gallice adornata T. I. cap. 1. p. 22. ſq. *Menem*,

Digitized by Google

nem viciſſim tam a *Chamo*, quam a *Mizraimo* diſtinctum, longeque utroque poſteriorem, *Abrahamo* ſynchronum, ac Regem VIII. juxta Zacuthum in *Juchaſim* fuiſse putat Jacobus Perizonius Orig. Aegyp. cap.5. p. 65. ſqq.; ubi tamen ſecummet ipſe pugnare videtur, dum adverſus Sevinum in diſſert. Ephem. Pariſ. Jun. 1710. inſerta, qua *Menem* ſane a *Mizraimo* indiſtinctum vult, pugnans *Menem* ab Eratoſthene *Dionium* ideo, ſive *Jovium* interpretatum fatetur, quaſi ex *Jove* ortum, quod nempe poſt *Deos*, ac *Semideos*, quorum poſtremus *Jupiter* fuit, primus *Menes* ex hominibus regnarit. Quò fit, ut in Aegypto primum omnium imperaſſe *Mizraimum* indubium haberi oporteat, primamque ab ipſo fundatam Regum fuiſſe Dynaſtiam, qua de modo, priſciſque aliis, quae hanc excepere longe plurimis ante diſputandum occurrit, quam ad Aegyptiorum Menſes, Annique formam noſtra procedat oratio.

II. Omnium prima itaque, eademque antiquiſſima, *Deorum*, atque huicce proxima *Semideorum* in Aegypto Regum Dynaſtia Veteri Chronographo Aegyptio, ac Manethoni in epiſt. ad Ptolomaeum Philadelphum apud Syncellum in Chronog. p.18. ſq. edit. Pariſ., Ven. p.14. ſq. priori collocata loco fertur; ita quidem ut ex *Deorum* Dynaſtia I. regnarit I. Ηφαιστος *Vulcanus* annis 724. cum dimidio, ac diebus 4; II. Ηλιος *Sol* annis 86; III. *Agathaemon* annis 56; IV. Κρόνος *Saturnus* annis 40; V. *Oſiris* annis 28; VI. *Iſis* annis 7, VII. *Typhon* annis 29, omnes ſimul annis 970. Ex Dynaſtia II. *Semideorum* regnarint ſubinde I. Ωρος *Orus* annis 25; II. Αρης *Mars* annis 23; III. *Anubis* annis 17; IV. Ηρακλῆς *Hercules* annis 15; V. *Apollo* annis 25; VI. *Ammon* annis 30; VII. *Tithoes* annis 27; VIII. *Soſus* annis 32; IX. Ζεύς *Jupiter* annis 20, omnes ſimul annis 214: qui cum ſuperioris Dynaſtiae Regum *Deorum* annis 970. collecti ſummam efficiunt annorum 1184. Atque ita quidem a Chronographo illo Vetere, & a Manethone annos *Diis*, ac *Semidiis* adſertos pro *Lunaribus*, ſive Menſtruis, ſive Trimeſtribus acceptos fuiſſe Panodoro, & Aniano ſubjungit Syncellus p.41, ſive p.32, adeo ut *Deorum* VII. anni Menſtrui dumtaxat fuerint, qui in unum lecti annos *Lunares* efficiant 11988, qui *Solaribus* 969. aequantur; *Semideorum* IX. vero anni fue-

rint Trimeſtres, ſive *Hori*, qui ſimul collecti *Horos*, ſive Lunares Trimeſtres 858. efficiant, *Solaribus* 214. aequales, utrique in unam conjecti ſummam annos 1183. colligant. Huicce ſummae vero a Panodoro, & Aniano ſuperaddi annos 1058. ſubdit, quot ſcilicet ab *Adamo* uſque ad *Deorum* horumce regnum elapſos Duumviri illi cenſent, indeque uſque ad *Diluvium* annorum 2242. ſummam exſurgere. Riſu haec a Manethone, Beroſi exemplo, conficta ipſe Syncellus cum Euſebio magis digna habet, quam quae veri aliqua ſimili exponi figmenta interpretatione queant, neque rite ab antiquiori, quam a *Mizraimo*, Aegyptiaci regni exordium repeti poſſe ratus. Inſedit haec ipſa Gentis origines, & antiquitates ſupra modum amplificandi vanitas Veteri Chronographo Aegyptio apud eumdem Syncellum p.51. ſq., ſive p.40. ſq., a quo triplicem in ordinem tota Aegyptiorum Regum ſeries diſpeſcitur, ſcilicet in *Auritas*, quae *Deorum* Dynaſtia I. eſt, in *Meſtraeos*, quae Dynaſtia II. eſt *Semideorum*, atque in *Aegyptios*, quae propria *Hominum* Dynaſtia III. eſt. *Auritas* porro ab *Avari*, ſive *Abari* Aegypti Urbe, *Peluſio* deinde vocata, dictos minus vere autumant Goarius in Not. ad Syncellum edit. Ven. p.15, ac Marshamus in Can. Chron. p.107. ſq., a queis haud procul abſunt Fourmontius in Reflex. Crit. ad Hiſt. Vet. Popul. T.II. lib.3. cap.7. p.104. ſq., & De Origny in Aegypto Veteri T.I. cap.6. p.220. ſq. Verius ab Hebraea voce אור, aut אור *Aor*, aut *Our*, qua *Ignis*, aut *Lumen* ſignificatur, de *Vulcani* nempe, ejuſque filii *Solis* nomine, unde idem cum *Aloro* Chaldaeorum Rege ab Hebraea voce אל־אור *Al-Aor*, unde factus *Alorus*, & ipſo derivato nomine, *Vulcanus* videtur; qua e radice ſimiliter derivatus *Orus* in Aegyptiorum Dynaſtia II. *Semideorum* I, *Iſidis* filius, & *Oſiridis* aeſtimari facile poteſt, *Auritas* fuiſſe adpellatos conjiciunt Pezronius Antiq. temp. reſtit. p.159. ſq., ac Perizonius Orig. Aegyp. cap.2. p.24. ſq. Pro *Aegyptiis* vero hocce loci *Coptos*, ſive in Aegypto ſuperiori Thebaeos, ſicuti pro *Meſtraeis* intelligi Memphitas, & Tanitas in Aegypto inferiori, pro *Auritis* vero Sethroitas, ac Dioſpolitas debere cenſet Fourmontius in Reflex. Crit. T.II. p. 104. ſq. Atque ita quidem Dynaſtias haſce diſtribuere Veteri Chronographo illi

nuga-

nugaciſſimo adriſit, ut ex Diis *Vulcano* regni tempus adſignatum nullum ſit, *Soli* vero annorum myriades 3, *Saturno*, reliquiſque Diis XII. anni 3984. adſcribantur. *Semidiis* adhaec VIII. anni 217. ſint attributi; ac poſt hos Dynaſtiae xv. *Heroum*, Familiarum 15, (quas a Textu eliminandas Goarius exiſtimat, inſerendas verius DeVignolius vult), *Cynici* Cycli, (quo Cycli hujuſce revolutiones 15. intelligi nomine cenſet DeVignolius Chron. Sac. lib. 6. cap. 4. p. 661. ſq., ideoque corrigendum numerum annorum 443, ac legendum 1043, quot nempe Cycli revolutiones 15. efficiunt; ego vero tò *Cynici* Cycli non ad Familias 15, ſed ad annos 443. referri oportere arbitror, ita ut totidem Cycli annos eae regnum Familiae tenuerint), *Cynici*, inquam, Cycli 443; Dynaſtiae xvi. *Tanitarum*, Familiarum 8, anni 190; Dynaſtiae xvii. *Memphitarum*, Familiarum 4, anni 103; Dynaſtiae xviii. *Memphitarum* alteri, Familiarum 14, anni 348; Dynaſtiae xix. *Dioſpolitarum*, Familiarum 5. anni 194; Dynaſtiae xx. *Dioſpolitarum* iterum, Familiarum 8, anni 228; Dynaſtiae xxi. *Tanitarum* rurſus, Familiarum 6, anni 121; Dynaſtiae xxii. *Tanitarum* alteri, Familiarum 3, anni 48; Dynaſtiae xxiii. *Dioſpolitarum* rurſus, Familiarum 2, anni 19; Dynaſtiae xxiv. *Saitarum*, Familiarum 3, anni 44; Dynaſtiae xxv. *Aethiopum*, Familiarum 3, anni 44; Dynaſtiae xxvi. *Memphitarum* denuo, Familiarum 7, anni 177; Dynaſtiae xxvii. *Perſarum* Regum 5, anni 124; Dynaſtia xxviii. praetermiſſa, Dynaſtiae xxix. innominatae anni 39; Dynaſtiae xxx. *Tanitarum* iterum anni 18: qui ſimul omnes collecti annos efficiunt 36525. Hunc ipſum ſuperat itidem numerum ille, qui Aegyptiis Sacerdotibus acceptus refertur, vel a Laertio in Prooem. Segm. 2, ubi a *Vulcano* uſque ad *Alexandrum* enumerari annos 48863, Reges vero 330. ante *Amaſim* ſpatio annorum 13000: regnaſſe, Aegyptiorum e fama memorat; vel a Diodoro lib. 1. cap. 24, Graece p. 14, & cap. 26. p. 15, quo loci *Deos*, ac *Semideos* annis 180 0. regnum obtinuiſſe, a regno vero *Solis* uſque ad *Alexandri* expeditionem in Aſiam computari annos 23000, Aegyptiorum relatu tradit; quem annorum numerum auget inſuper p. 25. ſq., ac *Diis*, & *Semidiis* annos 18000, *Heroibus*, ſive *Hominibus* 15000.

15000. adſcribit, omnibus quin imo annos 30000. adſignat; vel a Pomponio Mela lib. 1. cap. 9, ubi ex eorumdem Sacerdotum traditione Reges in Aegypto 330. ante *Amaſim* ſupra annos 13000. regnaſſe narrat; vel ab Herodoto lib. 2. cap. 142, quo loci Aegyptiorum Sacerdotum computo Regibus hominibus annos 11340. tribuit uſque ad *Sethonem*, qui *Ezechiae* Regi Judae ſuppar aetate fuit; ab *Hercule* rurſus uſque ad *Amaſim* effluxiſſe annos 17000. refert cap. 143; a *Dionyſio* vero uſque ad eumdem *Amaſim* cap. 145. annos 15000. computat; vel a S. Auguſtino de Civit. lib. 18. cap. 40, ubi ab Aegyptiis Regibus ſuis antiquitatis non minus, quam annos 100000. tribui auctor eſt. Ex ipſomet quinimo Aegyptio Chronographo, ex quo ſua accepiſſe Manetho videtur, ſi rite inſtituatur computus, longe major annorum ſumma colligetur. Nempe ex regni *Vulcani*, quos ipſe praeterit, Manetho tamen ex ipſo adſignat, annis 9000, *Solis* 30000, *Saturni*, aliorumque *Deorum* 3984, *Semideorum* 217; poſthac *Hominum* 2324. a *Mene* uſque ad *Nectanebi* fugam, quae anno 15. ante *Alexandri* expeditionem adverſus Perſas, Aeram ante Chriſtianam anno 331. adornatam, contigit, collecta ſumma ad annos 45525. aſſurgit: quumque *Nectanebus* regno exſpoliatus fuerit ab *Artaxerſe Ocho* Perſarum Rege anno Chriſti ante natalem 346, inde fieret, quod ab Aegyptiaci regni exordio uſque ad Vulgarem Chriſtianam Aeram anni 45870. effluxiſſent.

III. Deorum porro in Dynaſtia I. nomine Patriarchas *Antediluvianos*, non ſecus atque a Beroſo, & Abydeno Chaldaeorum Reges X. primos, ſic ab Aegyptio Chronographo, & a Manethone decem priores Aegypti Reges fuiſſe deſignatos; pro Semideis autem in Dynaſtia II. accipiendos fore primos, qui a *Mizraimo*, ac deinceps, (a *Noacho* uſque ad *Mizraimum* ego, indeque *Homines* Reges opinor), in Aegypto regnavere, perſuaſum habuere Pezronius Antiq. temp. loc. cit., ac Perizonius Orig. Aegypt. p. 20. ſqq. Cum Panodoro adhaec, & Aniano, annos hujuſmodi pro *Lunaribus* accipiendos fore ſenſere Stillingfleetus Orig. Sacr. lib. 1. cap. 5, Jacobus Capellus Hiſt. Sacr., De Vignolius, aliique. Computum itaque annorum 1183. *Deorum*, ac *Semideorum* Dynaſtiis a Manethone adſcriptorum
ſic

ſic digerere inſtituit DeVignolius in Chron. Sac., & prof. T. II. lib. *6*. cap. 4. de Veteri anno §. *3*. p. *655*. ſqq. Praeconcepta nempe ſua pro opinione de Veteri anno diebus 360. dumtaxat conſtante, putat ex duplicato Cyclo *Majori* annorum 487. ſummam effici annorum 974, ex *Minori* vero Cyclo annorum 70, 69, 70, triplicato fieri annos 209, qui annis 974. additi ſummam reddunt annorum 1183. Ita nempe anni 1183. per dies anni 360. ducti efficiunt dies 425880, qui diviſi per dies $365\frac{1}{4}$ dant in quotiente annos Julianos 1166, diem 1, $\frac{1}{4}$: quo ex calculo Vir doctiſs. conficit annos a Manethone commemoratos fuiſſe *Lunares* quidem, qui ad *Solares* redacti dies 360. pro ſingulis annis reddunt. Confirmare ſuam hancce conjecturam pergit Diodori teſtimonio lib. 1. capp. 22, & 97, Graece p. 13, & 61, ubi ab *Iſide* circa ſepulcrum *Oſiridis* Vaſcula 360, quotidie lacte a Sacerdotibus implenda, fuiſse collocata, atque a Memphi ſtadiis 120. Vaſculum fuiſſe poſitum, in quod e Nilo aquam per dies ſingulos vicibus 360. deferri conſueviſſe refert. Verum adeo incerta ſunt iſta, nugacia, & inepta, quae de *Deorum*, ac *Semideorum* Dynaſtiis, Regnorumque duratione ſcripturivit Manetho, quam inde quidpiam ad veteris Aegyptiaci anni formam definiendam trahi rite queat. Praeterquam enim quod cum Manethonis calculis parum, nihilque cohaereant, qui vel a Veteri Chronographo Aegyptio, vel ab Herodoto, vel a Diodoro, vel a Laertio, vel a Pomponio Mela, vel a S. Auguſtino initi fuere computi, annos 1184. certe ex Manethonis calculis collegit Syncellus, uti ſupra vidimus; etſi alicubi vero anni 1183. colligi dumtaxat videantur, iis ſane a Panodoro, & Aniano eodem ex Manethone collectis addendi procul dubio ſunt Menſes *6*, ac dies 4, ſive dies 184, quot ſupra annos 724. *Vulcano* a Manethone tributi ſunt: quo fit, ut anni 1183. diebus 360. amplius ſinguli conſtiterint: qua rurſum de re paullo infra multo plura. Veteris Chronographi Aegyptii jam vero computum, a quo unius Interpolatoris vitio aberraſſe Manethonem ſuſpicatur Marſhamus in *Προκατασκευῃ* p. 2, ita cum eodem Marſhamo p. 9. ſqq. componere DeVignolius cit. lib. *6*. cap. 4. §. 4. p. *659*. ſqq., ac Eques de Origny in Chron. Aegyp. T. II. Sect. 4. cap. 1. p. 4. ſqq. ſatagunt. Nempe Cenſorinus de

Die

Die nat.cap.18. auctor eſt Aegyptiis diu obſervatum fuiſſe Nilum tum maxime effundi, quum *Sothis*, ſive Σείριος *Sirius*, ſive *Canicula*, Arabice شعرى *Sceerai*, Aegyptiis *Canopi* Soror putata, una ex iis, queis *Canis* Conſtellatio conſtat, exoriri incipit, ideoque ab ejus ortu Aegyptiis Anni caput exordiri religioni ceſſiſſe. Quandiu vero apud Aegyptios annus diebus 365. dumtaxat compoſitus fuit, quotannis Anni caput ejuſdem *Sirii* ortum horis 6, ſinguliſque quadrienniis die 1. antevertebat, ita ut nonniſi annis 1460. abſolutis ad eumdem, unde ceperat, Anni cardo *Sirii* ortum rediret, ideoque annorum 1460. revolutio iſta pro *Magno* reputari anno cepit. Jam vero Periodus iſthaec per Cyclum *Lunarem* xxv, (in annis enim vagis 25. eadem *Lunae* ratio eſt, atque in annis 19. fixis), in ſe ducta Periodum *Maximam* efficit annorum 36525, quae Ἀποκατάστασις Κοσμικὴ cenſetur, in qua ſcilicet omnium Syderum fieri revolutionem, Orbiſque univerſi renovationem Aegyptii exiſtimabant. Itaque Periodum hanc integram annorum 36525. a *Deorum*, *Semideorum*, ac *Hominum* Dynaſtiis xxx. impletam fuiſſe ſuppoſuit Vetus ille Chronographus; neque alium ſuppoſitum a Manethone computum ex Jamblico de Myſt. Aegyp. cap. de Diis p.153. verſ. Marſilii Ficini, ubi *Mercurio* Volumina 36525. a Manethone tributa leguntur, pro Voluminibus vero intelligi Orbium Caeleſtium revolutiones oportere cenſet, arguit Marshamus. Horum itaque opinione, ex condicto, deque induſtria cum a Veteri Chronographo Aegyptio, tum a Manethone ejuſmodi annorum 36525. duratio Aegypti Regibus adſcripta eſt; ut integrae videlicet Periodi *Maximae* revolutioni in Regno Aegyptiaco locum facerent. Niſi & opinioni huic id officiat, quod ex computis Aegyptiorum Sacerdotum apud Herodotum, Diodorum, Laertium, Melam, S. Auguſtinum &c., quin ex Chronographo ipſo, ipſoque Manethone inſtitutis, ut ſupra viſum eſt, Periodus iſthaec *Maxima* difficillime colligitur.

IV. Breviori itaque via, cui & ego, quoad geminas priores ſaltem *Deorum*, ac *Semideorum* Dynaſtias reſpicit, inſiſtendum opinor, procedendum hac in re ſibi rati longe plerique, ad fabulas omnino Aegyptiacas haſce origines, antiquitateſque fore amandandas perſuaſum habent. Nempe ne Chaldaeis

daeis de antiquitate ſe ſupramodum efferentibus, ſeque ideo Aſtrorum obſervationes habere gloriantibus ab annis, aut 720. millibus, Epigene referente apud Plinium lib. 7. cap. 56, (quem locum tamen in mendo cubare, ac legendum 720. dumtaxat Viri nonnulli eruditi monent); aut 470. millibus apud Ciceronem de Divin. lib. 1; aut 480000, referente Beroſo apud Plinium loc. cit., (ubi tamen reponendum 480. ſolummodo plerique volunt); aut 150. millibus, ut habet idem Beroſus apud Syncellum p. 17, ſq., alias p. 13. ſq.; aut 473. millibus apud Diodorum lib. 2. p. 145, gloriantibus, inquam, Chaldaeis, gloria, (quam Aegyptiis certe ob Aſtronomiae inventionem omnium primis deferre viſi ſunt Plato in Epinimide, Ariſtoteles Metaph. lib. 1, Laertius lib. 1. ſegm. 11, Manilius Aſtron. lib. 1, & Scaliger in hunc locum, ita ut ab Aegyptiis ab Babylonios eam fuiſſe traductam ferat Diodorus loc. cit; quamquam Joſephus Antiquit. Jud. lib. 1. cap. 9. hancce verius Babyloniis primam adſcribit laudem, & Ptolomaeus ipſe Babyloniorum Aſtronomicas prae Aegyptiis rationes in pretio habuit: qua de re adeundi Marſhamus in Can. Chron. p. 480, ac Burnetius Archaeolog. Philoſ. cap. 8. p. 380.); gloria, inquam, Aegyptii decederent, cum ſe primos fuiſſe hominum apud Herodotum, lib. 2. cap. 2, Diodorum lib. 1. p. 6. ſq., ac Melam lib. 1. cap. 9, tum Majores ſuos viciſſim Aſtronomiae ab annis centum mille vacaſſe, diligentemque dediſſe operam vaniſſimi jactabant homines, S. Auguſtino teſte de Civit. lib. 18. cap. 40. Et haecce certe vanitas *Scythas* viciſſim inceſſit, adeo ut ſuos ſupra Aegyptios natales evehere non erubeſcerent apud Juſtinum lib. 2. cap. 1, & Ammianum Marcell. lib. 22. cap. 34; quibus nihilo ſecius annorum nonniſi mille antiquitatis tribuit Herodotus lib. 4. capp. 5, & 7: vivebat is vero anno 450. circiter ante vulgarem Chriſti natalem. Adhaeſit & Phrygiis apud eumdem Herodotum lib. 2. cap. 2, & Claudianum in Eutrop. lib. 2. n. 251; atque Phoenicibus, Julio Africano referente apud Syncellum p. 17, ſive 14. ſe Gentes ſuper quaſcumque alias origine, & antiquitate efferentibus. Graecos aſt enim potiſſimum improba vanitas iſta eò compulit apud Lucianum in Dialogo de Aſtronomia, ut ſe non Chaldaeis, non Aegyptiis, non Scythis, non

Aethiopibus, non Phrygiis, ſed uni e ſuis *Orpheo* integram Aſtronomiae ſcientiam acceptam referrent. Nempe ſicuti Chaldaicas Beroſus Chaldaeus circa annum 280. Chriſti ante natalem, Tatiano in Orat. adv. Graecos p. 273. teſte, irriſus ideo Ciceroni de Divin. lib. 1, & Lactantio Divin. Inſtit. lib. 7. cap. 13. ſq., ſic Aegyptiacas antiquitates cum Vetus Chronographus, tum Manetho, uterque Aegyptius, Beroſo coaevus, Syncello teſte p. 17, alias 13, jactandas vaniſſimi adſumpſere Scriptores, immani *Diis, Semidiis*, ac *Hominibus* illa Regnorum duratione adſcripta, qua de ſupra, in quave ſane neque ſibimet ſatis uterque cohaeret. Pari deputanda profecto mendacio Sacerdotum Aegyptiorum apud Laertium in Prooem. ſegm. 2. relatio de *Solis* Eclipſibus 373, *Lunae* vero 832. ab exordio Monarchiae Aegyptiacae obſervatis; ſiquidem, uti T. I. Artic. II. §. v. p. 415. ſq. dictum eſt, Hipparcho, ac Ptolomaeo *Nabonaſſaraeam* ante Aeram Eclipſim colligere ullam denegatum fuit. Quocirca non tam refellendos, quam irridendos ſe una cum Chaldaeis Aegyptii propinarunt S. Auguſtino loc. cit., Syncello &c., adeundique Pagninus Iſag. ad S. Script. ſenſus cap. 2, Auguſt. Steuchus de Perenni Philoſ. lib. 1. cap. 3, Raym. Breganius Theologiae Gentium Enar. 2. cap. 14, &c.

V. Et Plato quidem in Timaeo p. 1044. auctor eſt *Solonis* ſub aetate Aegyptiorum origines a Sacerdotibus annos ſupra novem mille evectas minime fuiſſe. Herodotus quin imo lib. 2. cap. 142, qui Aegyptum & ipſe anno 100. poſt Solonem circiter peragravit, a Sacerdotibus Thebaeis Aegyptiaci imperii natales ultra annos 11340. non extendi teſtis accedit locuples. Verum mendacii manifeſtiſſimi non uno traditio iſthaec revincitur modo. Quis enim, quaeſo, non perſpicit de induſtria, ſed inconſulte, confictas Generationes 341. a *Mene* uſque ad *Sethonem*, quibus numero totidem imperarint Reges 341, totidemque numero Pontifices 341. rebus praefuerint Sacris? Deinde, velut ex Varrone arguebat S. Auguſtinus loc. cit., haud multum ſiquidem ante duo annorum millia litteras, Magiſtra *Iſide*, didicerint Aegyptii, quibus, amabo, libris tot Regum Dynaſtias, totque annorum Myriades complecti quivere? Hieroglyphica namque, & Anaglyphica Scripturae locum ante longe, quam uſu litterae veniſ-

veniſſent, apud Aegyptios tenuiſſe eorumdem diuturnus evincit uſus: quo de copioſe, eruditeque Goguetius Orig. Leg., Art., & Scient. Par. I. T. I. lib. 2. cap. 6. p. 160. ſqq., Warburthonus de Miſſione divina Moyſis lib. 4, ſive *Eſſai ſur les Hieroglyphes des Egyptiens* &c., De Origny in Aegypto Vet. Gallice elucubrato T. I. cap. 7. ſqq. p. 231. ſqq., quo loci obſervat a Manethone apud Syncellum p. 54, ſive 43. *Athoti* Mizraimi filio, ſive Menis characterum inventionem tribui, a Sanchoniatone apud Euſebium Praep. Evang. lib. 1. p. 32, & 36. adſcribi *Theuto*, eidemque a Platone itidem in Phaedro, idque circa annum 1900. Chriſti ante natalem; (quin & *Thaauto*, Germanis olim culto ſub *Vvodan*, aut *Godan*, aut *Goth*, ideſt *Dei* nomine, cui aedificata Waſſelburgi Ara legitur apud Gruterum p. 54, alteraque Vibis, prope Rhenum Urbe, qua de Joh. Eberhardus Rau in Monum. vetuſtatis German. an. 1738, Litterarum inventio ab eiſdem accepta refertur), ſed horum profecto Characterum notione Hieroglyphica primum veniſſe Vir doctiſs. probat: queis de fuſe in Proleg. I. diſputatum eſt. Jungendum & illud, quod Herodoto lib. 3. capp. 29, & 37. utique referente, *Cambyſis* Perſarum Regis, poſtquam Aegypto potitus eſt, juſſu una cum Fanis, in quorum adytis Gentis Annales ſervandos diſtricte Sacerdotibus demandatos teſtes accedunt liquidi Diodorus lib. 1. p. 84, & lib. 16. p. 122, Plato in Timaeo p. 1043, ac Syncellus p. 40, ſive 31, Monumenta Gentis omnia flammis abſumpta fuere. Falſitatis quoque apertiſſimae documento, argumentoque ſunt tot, ac tantae, quae apud Chronologos, Hiſtoricoſque Aegyptiacarum rerum regnant ubique tenebrae, ubique diſſenſiones, ubique pugnae, queis de fuſius infra. Quae omnia proculdubio in cauſſa fuere, cur tam Chaldaeis, quam Aegyptiis in re Chronologica fidem prorſus omnem abnegandam fore communi ſcripſerint calculo Herodotus lib. 2. cap. 100. ſqq., Diodorus lib. 1. p. 53, Varro apud S. Auguſtinum de Civit. lib. 18. cap. 40, Ariſtoteles Metereolog. lib. 1. cap. 14, Plutarchus in Numa p. 72, Cicero de Divin. lib. 1. n. 109, Aulus Gellius Noct. Attic. lib. 14. cap. 1: videndique, qui haec fuſe perſequitur, doctiſs. Goguetius diſſert. 3. de Babyl., Aegyp. &c. Antiq. Par. III. Orig. Leg., Art., & Scient. inſerta p. 273. ſqq., ac Jaquelotius de Exiſt.

Dei T.I. diſſert.1. cap.12. p.265. ſq., quo loci obſervat anno 500. circiter ante Chriſtianam Aeram Democrito, & Epicurro deinde pro Mundi creatione pugnantibus, Philoſophis aliis, qui Mundum ab aeterno ſtatuebant, nullum prorſus, quod Belli Thebani, ac Trojani aetatem excederet, Monumentum adferferre praeſto fuiſſe: quod argumento eſſe poteſt efficaciſſimo flocci, naucique iis factas, quas avide poſtea, ullo abſque delectu, arripuit, ſuoque Praeadamitarum Syſtemati, dignum panno fruſtum, adaptare non praetermiſit Iſaacus Pereyrius in Syſtem. Theolog. Par. I. lib. 3. cap. 5. ſqq., a Babyloniis, Aegyptiiſque tanto jactatas hiatu Antiquitates.

VI. Haſce Aegyptiorum attamen Origines, Antiquitateſque, qua *Hominum* Regum ſaltem Dynaſtias ſpectat, ad fabulas haud prorſus amandandas, neque in immenſum fore extendendas Viris pleriſque eruditis, queis praeivere ſententia Julius Africanus, Euſebius, ac Syncellus, viſum eſt, ut obſervat Petavii Annotator Ration. Temp. T. II. Par. II. lib.2. in Annot. ad cap.3. Et ſane Marshamus in Can. Chron. Seculo XI, & XIV. p. 309. ſqq., & p. 375. ſqq. ex annis 36525, quot a Manethone, ac Veteri Chronographo Aegyptio Dynaſtiis XXX. tributi ſunt, annos 1400. dumtaxat admiſit, in Aegyptiaca Hiſtoria nihil ante *Seſoſtrim*, quem peſſime cum *Seſacho* confundit, non obſcurum, ac dubium eſſe ratus: quae ſumma tamen juſto nimis exigua recte aliis viſa eſt. Scaligero Iſag. Can. lib. 2. p.122, 274, & lib 3. p. 309. Africani ſententia adlibuit; a quo Dynaſtiarum XXX. Regibus, qui a *Mene* uſque ad *Nectanebum* Aegypti Regum poſtremum, ab *Artaxerſe Ocho* Perſarum Rege interemptum, a quo perinde Aegypti Regnum ad Perſas tranſlatum eſt, anni 4837. adſcripti ſunt apud Syncellum p.54.ſqq. edit.Pariſ.,Ven. p.43. ſqq., quo loci Euſebio dinumerati ſunt anni 5226: videndique Auctor Obſerv. in Chronolog.Vet. Hebr.Aegypt.Chald.&c. p.69, ac Freretus in Defenſ. vet.Chron. Par.II. de Chron. Hiſt. Orient. p.385.ſqq. Aliis Euſebii magis adriſit computus; Herodoto, aut Diodoro adſtipulari maluere alii;alii Scriptores Arabes ſequi delectati ſunt; aliiſque Syncellum amplecti placuit; ſed a nullo, ut ſciam, hactenus ea Origines Aegyptiacae in luce collocatae ſunt, ut nullum de iis ambigendi locum amplius reliquerint.

rint. Oſtendet id luce clarius immanis computorum differentia, qui ex Arabibus Scriptoribus inſtituti fuere a Zacutho in *Juchazim* fol. 134, a Kirchero Oedip. Aegyp. T. I. Syntag. 1. p. 81, & ab Anglis Scriptoribus Hiſt. Univ. T. III. Par. III. cap. 3. edit. Ven. p. 168. ſqq.; Aegyptiacis vero e Monumentis ab Herodoto lib. 2. cap. 99. ſqq., a Diodoro lib. 2. p. 28. ſqq., Dicaearcho in Fragm. apud Scholiaſtem Apollonii lib. 4. v. 272, Manethone, Veteri Chronographo Aegyptio, Eratoſthene apud Syncellum p. 51. ſqq. edit. Pariſ., Ven. p. 40. ſqq., a Joſepho adv. Appion. lib. 1. p. 1040. ſq., a Julio Africano apud Syncellum ibid., ab Euſebio in Chron. verſ. S. Hieronymi T. VIII. p. 71. ſqq., a Syncello p. 91. ſqq edit. Pariſ., Ven. p. 72. ſqq., quae differentia ex ſequenti, quod oculis ſubjicio, Diagrammate abunde adparebit.

AEGYPTI REGES

EX ZACUTHO		EX KIRCHERO	
1 Mitzarim	16 Marcobis	1 Beiſar, ſive Buſiris	17 Darem
2 Cophtim	17 Abſar	2 Mezra, ſive Mizraim	18 Kachim
3 Caphtorim	18 Sa	3 Kipht, ſive Copht.	19 Kabus
4 Bodiſir	19 Thereras	4 Aſchmun, ſive Aeſculapius	20 Vvalid II.
5 Adim	20 Malich	5 Athrib	21 Dalu Ka Al-Ajuz
6 Sadath	21 Charabta	6 Sana, ſive Sa.	22 Darkun.
7 Manchaeus	22 Chalban	7 Tedaris, ſive Idris	23 Tardas, ſive Tudis
8 Menas	23 Mall	8 Malik, ſive Malia.	24 Loſaſch, ſive Lakis
9 Menachius	24 Tutis	9 Karaya	25 Marina
10 Mercurius	25 Churia	10 Kelkeli	26 Malus, ſive Matres
11 Belatus	26 Dalipha	11 Harbiya	27 Mauakil, ſive Batulus
12 Athib	27 Eman	12 Tulis, ſive Tautis.	28 Bula, ſive Belus
13 Calimon	28 Valid	13 Hazupha, ſive Juriak.	29 Aſchiaf, ſive Sezach
14 Carſon	29 Rian	14 Amhas Alpha	30 Lachas,
15 Saumbeni	30 Maadan	15 Vvalid	31 Phuis
		16 Riyam	32 Pharao Al-Araj.

VII. Ex Arabum porro hiſtoriis huncce Regum Aegypti Catalogum a *Mizraimo* uſque ad *Moyſis* tempora ſe deſcripſiſſe profitetur R. Abraham Zacuthus Judaeus Salmaticenſis in *Juchazim*, ſive Genealogiarum libro, anno Chriſti 1502. ſcripto, Conſtantinopoli anno 1556, & Cracoviae anno 1580. cuſo.

ſo. A *Kobtim* ſane *Mizraimi* filio *Cophtitas* originem duxiſſe ipſe non dubitat. Sub *Carſone* regnum e familia *Caphtorim* translatum ad familiam *Kobtin*, ſive ad *Cophtos*, e quibus *Saumbeni* primus fuerit, inepte nugatur. *Tuiim* Regem xxiv. fuiſſe *Pharaonem* I, ſub quo *Abraham* in Aegyptum deſcendit; ab ejuſque Regis conjuge *Churia* ancillam *Hagar* Abrahamum accepiſſe; *Tuti* vero ſucceſſiſſe viduam *Churiam*, iſtique filiam *Dalipham Momam*, momar ipſe refert. *Rian* adhaec fuiſſe *Pharaonem*, ſub quo floruit *Joſephus*, ſequutum vero *Maadan*, qui & *Talma* dictus eſt, *Pharaonem* fuiſſe, ſub quo *Moyſes* in vivis egit, turpi annorum 150. circiter anachroniſmo, Verpus indoctus concludit. Catalogum huncce porro a Zacutho contextum haud plurimum diſcrepare a duobus aliis, quos ſecum communicatos fuiſſe a Pocockio ex Abulfeda, ex Al Makriſio, & Al Schamio deſcriptos tradit, auctor eſt Marshamus in Can. Chron. Seculo v. p. 72. ſq. Neque multum abhorrere ab eo, quem ex Kirchero profert etiam Fourmontius in Reflex. Crit. ad Hiſt. Vet. Popul. T. II. lib. 3. cap. 6. p. 34. ſqq., utrumque conferenti adparebit. Siquidem aſt enim ſeries utraque iſta nihil omnino cum laterculis, ex Veteri Chronographo Aegyptio, Manethone, Eratoſthene, Apollodoro, Julio Africano, Euſebio, ac Syncello deſcriptis, commune habere videtur; neque vocabula ſatis Aegyptiace ſonare linguae peritis abunde perſuaſum eſt; neque ullos indicant Regnorum annos, unde illorum exordium inire, finemque ſtatuere liceat, haec ideo a nugivendulis Verpis de ſuo conficta reputant Bochartus Geogr. Sacr. Par. I. lib. 4. cap. 38. p. 316, & cum ipſo Marshamus loc. cit. Quo perinde loci habendi videntur Catalogi, quos ſive Pocockius, ſive Kircherus, ſive Angli Scriptores Hiſt. Univ. ex Arabibus dedere. Et poſtremi hi quidem ex Al-Soyuti in Aegypto ante Diluvium regnaſſe referunt I. *Nakraum*, aliis dictum *Amaſum*, annis 180; II. *Natras* filium, ab iſtoque Urbes aedificatas fuiſſe pleraſque; III. *Meſram* fratrem; IV. *Aicam*, ſub eoque *Edrim*, ſive *Henochum* fuiſſe translatum in Caelum; V. *Aryach* filium, eoque regnante Angelos *Harut*, & *Matut* de Caelo deſcendiſſe; VI. *Haſibim*, ab iſtoque omnium primo Nilimetrum fuiſse conſtructum; VII. *Huſal*, ſub eoque

eoque in lucem *Noachum* prodjiſſe; VIII. *Tedarſan* filium iſtumque primo Nilum in alveos deduxiſſe; IX. *Sarkak*; X. *Sabluk* filium; XI. *Saurid*, ab iſtoque Pyramydes omnium primo exſtructas fuiſſe; XII. *Hujib* fratrem; XIII. *Manus*, aliis *Makaum*; XIV. *Afrum* filium; XV. *Malinum*; XVI. *Pharaonem*, eumque in Diluvio periiſſe. Poſt Diluvium vero refert ex Ebn Schunah a *Kbit*, ſive *Kut* in Aegypto Monarchiam fuiſſe fundatam, poſt Diſperſionem imo *Chamum* in Aegypto regnaſſe, ac poſt obitum regnandi locum *Beiſaro* filio feciſſe, ab iſtoque plures aedificatas, operam praeſtante *Canach*, ſive *Cancahendi* Viro Indo ſapientia inſigni, Urbes fuiſſe. Adhaec fundatam ab *Athrib* Urbem *Ain-Shams*, ſive Heliopolim, *Saim* Urbem a *Saua*; a *Kelkeli* vero omnium primo Magicam inductam artem fuiſſe. Kircherus etiam ex Abdalla ben Ghekedi divinando magis, quam definiendo, *Tulim*, ſive *Tautim* Regem XII, quem a Graeco *Mercurio* indiſtinctum habet, aetate *Abrahamo* ſupparem facit. A *Walid* Rege XV, quem *Thardani* Amalecitarum Regis filium adfirmat, Aegyptum fuiſſe occupatam; ejus filium *Riyan*, quem linguas 70. loquutum refert Kitab Tafaſir, Patriarchae *Joſepho* coaevum fuiſſe, regnandique in Aegypto finem Amalacitas in *Katim* feciſſe, inde ad *Kabus*, genere Arabem, translato Aegypti regno, ſubjungit. Sub *Walid* II. Rege XX. in vivis egiſſe *Moyſem*; defunctoque *Walid*, Foeminas regnaſſe annis 160: e quibus *Daluka* conjux *Pharaonis* Rubro in mari demerſi, fuerit. *Aſchiaſem* eumdem fuiſſe cum *Seſacho*, eumque *Salomoni* aetate ſynchronum; *Iſajae* ſub aetate regnaſſe *Lacham* Regem XXX, ejuſque ſucceſſorem *Phuim* refert: in quibus a Zacutho quam immaniter diſtet, nemo non videt. Hiſce itaque ex Arabibus depromptis Monumentis ultro dimiſſis, agedum, locus dandus eſt Herodoto, ac Diodoro, videndumque, an ex his Aegyptiacae accendi lux tam Hiſtoriae, quam etiam Chronologiae aliqua queat, ex quibus ecce, qui Aegypti Reges memorati leguntur.

AEGY-

AEGYPTI REGES

EX HERODOTO		EX DIODORO	
Menès	Mycherinus	Menes	Nilus
Nictocris	Aſychis	Buſiris	Chemmis, ſive Cheebes
Moeris	Anyſis	Myris	Chephres, ſive Chabraeus
Seſoſtris	Sechos	Seſooſis	Mycherius, ſive Mycetinus
Pheron	Pſammetichus	Seſooſis II.	Tnephactes
Proteus	Nechaus	Amaſis	Bocchoris
Rampſinitus	Pſammis	Actiſanes Aethiops	Sabachon
Cheops	Apries	Mendes, ſive Marrus	Pſammetichus
Chephrenes	Amaſis	Ketna, ſive Proteus	Apries
		Remphis	Amaſis

VIII. Aegypti Rex I. itaque *Menes* habitus eſt Herodoto, qui poſt illum e libro Sacerdotes Aegyptios ſibi alios Reges 330, qui totidem hominum aetatibus regnaſſe ferebantur, recenſentes audiviſſe perhibet, in quibus Aethiopes 18. fuiſſent, unaque *Nictocris* foemina alienigena. Poſtremum ex his fuiſſe *Moerim*, a quo *Vulcani* aedificata veſtibula fuerant. Illuſtrem valdequam extitiſſe poſtinde *Seſoſtrim* expeditionibus; victoriis, monumentis. Hunc excepiſſe *Pheronem* filium; iſtumque *Proteum*, a quo *Alexandrum*, vulgo *Paridem*, rapta cum *Helena*, tempeſtate jactatum, hoſpitio fuiſſe receptum refert. *Rampſinitum* perinde, alioſque ſupra memoratos in Regum Aegypti cenſum referre ex Sacerdotum fide pergit. *Anyſi* regnante ex Aethiopia ingenti cum manu in Aegyptum excurriſſe *Sabacum* regem, ibique per annos 50. regnum occupaſſe, queis expletis, ultro ex Aegypto *Sabaco* excedente, regnum denuo *Anyſim* obtinuiſse ſubjungit. *Sethone* regnante, a *Sennacheribo* Aſsyriae Rege Aegyptum invaſam fuiſse memorat; a primo vero Rege *Mene* uſque ad *Sethonem* hunc, ex Sacerdotum relatu, interceſſiſse Generationes 341, totidemque Reges, atque Pontifices totidem; in tribus vero Generationibus annos centum computari, annoſque decemmille in Generationibus tercentis, atque in Generationibus una, & quadraginta annos mille tercentos quadraginta, ſe didiciſse teſta-

teſtatur. Poſt *Sethonem*, Aegypto in duodecim partes diviſa, totidem ſibi Reges ab Aegyptiis fuiſse delectos, quibus poſtea Regulis ſublatis, toti unum deinceps Aegypto jus dixiſse *Pſammetichum* ſubdit. Poſt annos 54. *Pſammeticho* in regno ſucceſſiſse filium *Nechaum*, iſti poſt annos 17. *Pſammem* filium, huicce poſt annos 6. filium itidem *Apriem*: quo poſt annos 25. loco pulſo, interfectoque, in *Amaſim* regnum ab Aegyptiis fuiſse translatum, & ab *Amaſi* perinde ablatum, in Perſas a *Cambyſe* transfuſum refert. Haec de Aegypti Regibus Herodotus, quem in primo Aegypti Rege, atque poſtremo recenſendo cum ceteris probe cohaerere Scriptoribus vides, in reliquis plurimum diſcrepare Regum nominibus, annis, ac numeris. Prae Manethone nihilominus, ſibi Herodoto magis adhaerendum duxere, exipſoque Hiſtoriae Aegyptiacae ſeriem conſtruere tentavere inter alios Conringius in Adverſariis Chronolog. cap. 16. ſqq., ac Stillingfleetus Orig. Sacr. lib. 1. cap. 5. Verum non erat ſane, cur Herodoto ſua ex Sacerdotum Aegyptiorum fide accepiſse referenti, prae Manethone, qui & ipſe Sacerdos Aegyptius dicam Herodoto haud ſemel conſcripſit, auſcultandum ſibi Duumviri illi proponerent. Eò vel maxime, quod ab Herodoto Aegyptiorum Regum ſeriem nimio decurtatam, dum ante *Seſoſtrim* duos memorat dumtaxat Reges; atque viciſſim Regum numerum praeter modum ſane exageratum fuiſse, dum a *Mene* ad *Seſoſtrim* Reges 330, uſque ad *Sethonem* Reges 341, totidemque Generationes, atque Pontifices fuiſse, annoſque 11340. interfluxiſse refert, non videre nequibant. Quam annorum utique ſummam ad Menſes redigendam cum Jacobo Cappello Hiſt. Sac., & Exot. ad an. M. 3282. ſtatuit Stillingfleetus, adeo ut Julianos annos 931. ea non exceſserit. Sed ita eamdem juſto breviorem utique a *Mene* uſque ad *Sethonem* effecit. Ab Herodoto adhaec Γενεὰς Ἀνθρώπων Generationes hominum 341. interceſſiſse; quarum 3. conficere annos 100, omnes 341. annos 11340. adfirmat, diſerte traditum eſt, ut proinde Herodoto vim manifeſte inferat, qui annos apud ipſum pro Menſibus interpretari velit. Videndus, qui Conringium, ac Stillingfleetum multis exagitat, Perizonius Orig. Aegyp. cap. 11. p. 160. ſqq. Vindicare tamen Herodotum

rurſus adgreſsus Eques de Origny in Chron. Aegyp. T.II.ſect.4. cap.2. p.36. ſqq., a *Mene* revera ad *Seſoſtrim* Reges 330, diverſis attamen in Regionibus, eodem regnaſse tempore, oſtendere nititur: Thebis nempe poſt *Menem* 23; This poſt *Cencenem* 15; Elephantinae 9; Memphis poſt *Toſorthrum* 102, ex Paſtoribus 6, iique omnes in Superiori Aegypto; in Inferiori vero Heliopoli poſt *Curudem* 22; Dioſpoli 99; Heracleopoli 38; Xois 16. Ita nempe haud ipſi difficile erat e Dynaſtiis undequaque accerſitos Reges 330. dinumerare, quos huic implendo numero opus erant: aſt de Regum ſucceſſione Herodotus diſserte loquitur, non de Regibus eodem ſimul tempore, non eodem loco tamen, regnum obtinentibus. Unde tamen Reges 341, totidemque Pontifices, accerſet, numero Regum a *Mene* uſque ad *Sethonem*, ipſi *Sevechum*, ac *Taracam*, implendo? Quum ipſemet Chron. T.I. ſect.3. cap.2. p.299. ſqq. a *Seſoſtri* ad *Sethonem* numerandos Reges 42. omnino agnoverit, qui Regibus 330. ſuperadditi Regum numerum 372, Regibus 31. amplius ideſt, quam deſiderarit Herodotus, adauctum efficient. Qua ratione tandem tot annorum, quot Reges illos regnaſse Herodotus refert, myriades longe ultra Mundi exordium excurrentes, vindicabit, in tutoque locabit? Viden itaque, ut Herodoti in haece, quam Aegyptiis ipſe Sacerdotibus acceptam refert, parte fidem ſeponere quò tutius, eò ſatius erat!

IX. Atque jure, meritoque ideo ab Herodoto, quem imo fabulis ceu multum delectatum arguit, in hiſce ſibi diſcedendum ſtatuit Diodorus; utpote qui poſt *Menem* in Aegypto ex ipſius progenie Reges 52. per annos 1400. amplius regnaſſe perhibet. Poſt *Buſirim* ipſius e ſtirpe Reges 8. alios regnum obtinuiſſe, ab horumque poſtremo *Buſiri* VIII. Thebas Graecis, Dioſpolim Aegyptiis, ac Memphim, (quam poſteriorem Urbem a *Mene* aedificatam ſcripſit Herodotus), fundatas Urbes fuiſſe refert. Poſt generationes 12. *Myrim* Regem memorat; poſt generationes 7. *Seſooſim*, ſive *Seſoſtrim* collocat, ei regni annos 53. adſcribens, ab eoque Aegyptum in Nomos 36. fuiſſe diſtributam, totidemque iis praefectos Νομάρχέας ſubjungit. *Seſooſi* filium homonymum ſucceſſiſſe, iſtique plures alios; de-

inde

Digitized by Google

inde *Amaſim* deviſtum ab *Actiſane* Aethiopiae Rege; huicce *Mendem* Aegyptium ait. Poſt Anarchiam generationum 5, regnaſſe *Ketnam*, alio nomine *Proteum*, ac poſt hunc *Remphim*. Interjectis deinde generationibus 7, in regnum irrepſiſse *Nilum*, ejuſque de nomine fluvium, antehac *Aegyptum*, fuiſse deinceps adpellatum. Poſt *Kemnim* regnaſse *Chephrem* annis 56, juxta alios regnaſse *Chabraeum*. Poſt *Boccborim* inane longum ſpatii tempus relinquit Diodorus, a *Sabacone* deinde Aethiope reſtitutum Aegyptiis regnum adſerit. Sequitur annorum 2. Anarchia, ſubinde Regum XII. per annos 15. ſeries; poſt ſolus imperium obtinuiſse *Pſammetichus* fertur Diodoro, cui hac in parte conformem ſupra vidimus Herodotum. Inter hunc, & *Apriem* generationes 4. deinde interponit; *Apriei* regni annos 22. dumtaxat adſignat; atque a poſtremo *Amaſi* poſt annos 55. ad Perſas imperium fuiſse translatum & ipſe confirmat. Ante Perſas Reges 470. Indigenas regnaſse ſummatim edicit; atque a primo denique Rege *Homine* ad ſuam aetatem, (in vivis ipſe ſub Julio Caeſare, & Auguſto agebat), regnaſse per annos 15. mille Reges ſubjungit: quem ſane locum fruſtra ſollicitari a Jacobo Cappello Hiſt. Sac. ad an. M.1682, ac Stillingfleeto Orig. Sacr., eoſque perperam emendandum, ac pro 15. mille reponendum 9500. contendere ex ipſo Diodori textu oſtendit Perizonius Orig. Aegyp. cap. 11. p.170.ſqq. Qui tamen, Diodorus ideſt lib. 1. p. 13, ab *Oſiride*, & *Iſide* uſque ad *Alexandrum* M. annos 10. mille, juxta alios 23. mille effluxiſse; & p.40. a *Chemni* ad ſua tempora elapſos fuiſse annos 1000, juxta alios 3400. ſcripſerat: unde hominem videas ſuae haud certum ſententiae, cuique certius adhaereret, ſane non habuiſse. Junge, quod ex Regum ſerie, cujuſmodi ex Diodoro modo deſcripta eſt, certa erui Chronologica ratio, certaque annorum excerpi ſeries nequit; quin ex Regibus 470, quot ipſe ante Perſas in Aegypto regnaſse perhibet, vix Reges 118. extundi poſsunt; in eorumque adhaec numero, annis, ac nominibus ab aliis multum diſcrepat Scriptoribus; videnduſque Perizonius Orig. Aegyp. cap. 11. p. 167. ſqq., ubi multis Diodori Chronologiam explodit. Fruſtra vero Reges 52, quos a *Mene* uſque ad *Buſirim* regnaſse, quin eos indicet, Diodorus

adſirmat, cos haud Heliopoli ſucceſſive, ſed in quatuor diverſis Regionibus ſimul, Thebis, Heracleopoli, Thinis, ac Memphis regnaſse accipi debere jubet Eques de Origny in Chron. Aegyp. T II. ſect.4. cap.4, p.132. ſq.; eos enim ſucceſſive, Diodori ſententia, regnaſse inde evincitur, quod Regi annos 1400. amplius ipſis adſcribit. Ab hiſce computis longius adhuc Dicaearchus in Fragm. apud Scholiaſtem Apollonii lib.4.v.272, relatus Marshamo in Can. Chron. Seculo X. p.248, abſuit, ubi poſt *Horum* Iſidis, & Oſiridis filium regnaſse *Senſonchoſim*, ab iſtoque uſque ad Olympiadem I. annos 2500, a *Nilo* vero ad Olymp.I. annos 436, omnes ſimul 2936. effluxiſse ſcripſit. Abfuit & longius adhuc Vetus Scriptor Anonymus apud Conſtantinum Manaſsem in Annal., quem pone ſequitur Uſſerius in Annal. Vet. Teſt. p.5, a quo Regni Aegyptiaci a *Mene* ad *Cambyſem* durationis anni 1663. recenſiti leguntur, adeo ut Mundi anno 1816, ante Chriſti natalem 2188. inceperint. A Graecis itaque ad Scriptores Aegyptios ſtylo deflexo, quae a Veteri Chronographo, & quae a Manethone apud Syncellum contexta Aegypti Regum Dynaſtiarum fuerit ſeries, inquirenda jam eſt, eſtque ea ſane, quam adpoſitum exhibet Schema.

EX VETERI Chronographo Aegyptio.				EX MANETHONE Sebennyta Sacerdote.			
DYNASTIAE.		REGES.	ANNI.	DYNASTIAE.		REGES.	ANNI.
XVI.	Tanitarum	8	191	XVI.	Paſtorum Graecorum	32	518
XVII.	Memphitarum	4	103	XVII.	Paſtorum Thebaeorum	43	153.
XVIII.	Memphitarum	14	348	XVIII.	Dioſpolitarum	16	263
XIX.	Dioſpolitarum	5	194	XIX.	Dioſpolitarum	6	209
XX.	Dioſpolitarum	8	228	XX.	Dioſpolitarum	12	135
XXI.	Tanitarum	6	121	XXI.	Tanitarum	7	135
XXII.	Tanitarum	3	48	XXII.	Bubaſtitarum	9	120
XXIII.	Dioſpolitarum	2	19	XXIII.	Tanitarum	4	89.
XXIV.	Saitarum	3	44	XXIV.	Saitarum	1	6
XXV.	Aethiopum	3	44	XXV.	Aethiopum	3	40
XXVI.	Memphitarum	7	177	XXVI.	Saitarum	9	150
XXVII.	Perſarum	5	124	XXVII.	Perſarum	8	124
XXVIII.	Praetermiſſa			XXVIII.	Saitarum	1	6
XXIX.	Tanitarum		39	XXIX.	Mendeſiorum	4	20
XXX.	Tanitarum	1	18	XXX.	Sebennytarum	3	38
			1687				2005

X. Ge-

X. Gemino ex hocce laterculo invicem collato liquido adparet, quam in Dynaſtiarum, Regum, Annorumque ſerie, numero, & computo immaniter inter ſe diſcrepent Vetus Aegyptius Chronographus, atque Manetho, quin diſcrepantiae huicce demonſtrandae immorari diutius opus ſit. Retro tamen flectendo computos, poſt *Deorum* plane, ac *Semideorum* Dynaſtias, Familiae Regum xv. regnaſse per annos 443. Veteri Chronographo illi feruntur, quin ullam tamen diſtincte exprimat, Regiſque cujuſpiam ullius Dynaſtiae proferat nomen: queis ſubinde Dynaſtiam xvi, reliquaſque ſequentes adjungit, adeo ut Reges *Homines* ex Dynaſtiis ſimul omnes ejus ſententia regnarint annos 2130. A Chronographo jam vero iſto Manethonem immaniter diſcrepare obſervavit Syncellus p. 52. edit. Pariſ., Ven. p. 41. ſq., liquidoque cum ex ſuprapoſito adparet Diagrammate, tum ex infra dicendis planius adhuc fiet. Enim vero fabuloſis *Deorum*, atque *Semideorum* Dynaſtiis praetermiſſis, *Hominum* Dynaſtiis xv. poſt Diluvium a Manethone ſui & ſinguli Reges, & anni tributi apud Syncellum p. 54. ſqq., alias p. 43. ſqq. habentur, ita tamen ut eodem ex Manethone alia Regum ſeries, annorumque ſumma a Julio Africano, ab Euſebio alia digeſta fuerit, ab eaque, quae a Veteri Chronographo illo ingeſta eſt, utraque diverſa, velut ex ſequenti adparebit Schemate. Et certe Goarius in Annot. ad Syncellum p. 16, ac Perizonius Orig. Aegyp. cap. 22. p. 398. ſq., Dynaſtiarum xv. ſummam annos 443. non excedere a veroſimili procul alienum pronuntiant; ut ille propterea annorum centuriam unam, vel alteram ſummae adjungendam exiſtimet; iſte vero exigui adhuc momenti additionem hanc in tot Dynaſtiis habeat: eò vel maxime, quod Manethoni e Dynaſtiis hiſce xv. ſumma non minor, quam annorum 3000. ingeſta fuerit. Verum pro Veteri Chronographo illo utroque ſtans pede Langius de Annis Chriſti lib. 2. cap. 6, Veteris iſthaec Chronici excerpta ipſius Manethonis eſse cenſet, adeoque ex Manethone Dynaſtiis illis xv. annos 3417. adcenſendos exiſtimat, quam deinde annorum ſummam Veteris illius Chronographi computo ſic accommodare ſtudet, ut ſcilicet anni 2917. unius dumtaxat Menſis extiterint, anni 300. quatuor Menſium, anni 200. reliqui Menſium ſex., qui ſimul omnes collecti annos 443. duodecim Menſium efficiunt. Sed enim

enim ſi iſthaec ſemel interpretandi Scriptores licentia ſinatur, quid amplius in Scriptoribus integrum, & ſacrum erit? Veri tamen aliquam Chronographi hujuſce computus praeferre ſpeciem viſus eſt Anglis Scriptoribus Hiſt. Univ. T. III. Par. II. cap. 3. edit. Ven. p. 7 ſq., ita tamen, ut ab annis 36525, quot Dynaſtiis xxx. durationis tributi ſunt, ablatis annis 34201, quot *Deorum*, ac *Semideorum* Dynaſtiis adſcripti ſunt, reliqui 2324. pro *Hominum* Dynaſtiis reliquis admitti tuto queant. Verum a Manethone longe Chronographum hunc diſcrepare non videre Viri Doctiſs. nequibant, deque induſtria magis Periodum illam annorum 36525. fuiſſe confictam, ut ſupra vidimus. Satius ergo ſit auſcultare Syncello, a quo collatus uterque fuerat, inter utrumque ingens in ſummis intercedere diſcrimen adfirmare non dubitanti, quam ſumme diſſitis hiſce componendis ingenio fruſtra defatigari.

XI. Nihil obſuit totum id tamen, quo minus Manethonis ſi dei haud facile derogandum fore, ſuoque Aegypti Regum Dynaſtias ab eo digeſtas gradu habendas pronuntiare haud dubitaret Fourmontius in Reflex. Crit. ad Hiſt. Vet. Popul. T. II. lib. 3. cap. 7. p. 93. ſqq. Nempe gentili Scriptori alienigenis prae aliis fidem praeſtandam eſſe contendit, neque officere, ſi Regum nomina ab eo prolata ab aliis apud alios diſcrepent; e diverſis apud diverſos linguae dialectis id facile proficiſci diſcriminis admonens. Dynaſtiarum addit Catalogum a Manethone contextum apud Julium Africanum, Euſebium, ac Syncellum ſus deque perverſum, interpolatumque redintegrari poſſe, comparatis inter ſe Regum nominibus, rerum eventibus, temporum ſynchroniſmis. Bene, optimeque, ſed hoc eſt opus, hic labor, quo hactenus nemo bene, optimeque defunctus eſt. Age tamen, videamus, an viro Doctiſs. ejuſmodi ſpartam ita demum exornare contigerit, numeriſque abſolvere ſuis, ut deſiderandum nihil amplius ſuperſit. Principio itaque Dynaſtiam I. *Deorum* vii, ac Dynaſtiam II. *Semideorum* ix. ex induſtria fuiſſe intruſas haud ambigit. Ecce tibi quo ipſo in limine Manethonis fides habenda loco, Fourmontio judice, ſit. Adhaec *Auritas* indiſtinctos a *Sethroitis*, Populis ex Arabia, aut Phoenice advenis, reputat; *Meſtraeos* non alios, quam a *Mizraimo*

mo deſcendentes Inferioris Aegypti accolas fuiſſe; *Aegyptios* vero eoſdemmet, ac *Coptos*, non a *Nigredine* ita dictos, ſed ab Urbe *Copto* vetuſtiſſima in Aegypto Superiori. Dynaſtiam itaque I. fuiſſe *Tanitarum*, quae apud Euſebium Dynaſtia XV. collocatur, proximam huicce Dynaſtiam XVI. Regum 32. fore locandam, hiſque duabus Dynaſtiis XV, & XVI. Reges complecti Dynaſtiarum I. II. III. IV. V. VI, quas in duas illas XV, & XVI. transfundendas eſſe putat: adeo ut primus Aegypti Rex haud fuerit *Menes*, quem Phoenicem genere, profeſſione Paſtorem, ac in Aegyptum paullo ante *Abrahamum* fuiſſe profectum, Memphim occupaſſe, verbo, Patrem *Athotis*, ideſt *Eliezeris*, Servi *Abrahami* Geneſ. XV. 2, fuiſſe cenſet, ſed fuerit *Saites*, alias *Salatis*, alias *Silites*, qui & ipſe Paſtor ex Arabia primus *Tanitarum* Dynaſtiae fundamenta in Aegypto ſuperiori jecerit. Mitto vero, quae ſuas in conjecturas ex nominum etymologiis congerit, in quibus falli quam pronum ſit, ac facile, abunde, puto, in Proleg. I. §. LXVI, & Proleg. III. §. LXIX. factum eſt planum. In unam Dynaſtiam XVII. perinde Dynaſtias IX. X. XI. XII. transfundere non dubitavit, adeo ut quartum in Dynaſtia XVII. locum *Seſoſtri*, qui in Dynaſtia XII. tertium occupabat, locum faciendum duxerit. Dynaſtiae XVI. Reges adhaec eoſdem, ac Reges Dynaſtiae XVIII. eſſe arbitratur; Dynaſtiae XVII. rurſus adcenſendos eſſe Reges 33. Dynaſtiarum XIX. XX. XXI. XXII. XXIII. XXIV. XXV. vir Doctiſſ. exiſtimat, adeo ut poſt *Seſoſtrim* primus *Kapſaces*, poſtremus *Taraca*, ipſius opinione, regnarit. Adhaec Reges 60. Dynaſtiae VII; Reges 27. Dynaſtiae VIII; Reges 60. Dynaſtiae XIII; Reges 60. Dynaſtiae XIV. in Dynaſtiis paſſim aliis fuiſſe confuſos praeſidenter pronuntiat, in Dynaſtiis XVII, ac XVIII. plane quaerendos. Denique Dynaſtias XXVI. XXVII. XXVIII. XXIX. XXX. ſuo integras permanere loco permittit, velut eas, quae recte procedunt, in quibuſve difficile captu nihil occurrit. Quo fit, ut ex Dynaſtiis XXX. Dynaſtias IX. vix ipſe conflaverit. Qua in re Manethoni ſane manifeſtiſſime repugnat, qui Dynaſtias XXX. numero omnino memorat. Quid adhaec vero, quod ab omnibus ipſe unus ſententia, Veteribus, & Nuperis receptiſſima omnibus, de *Mene*, ſive *Mizraimo* primo Aegypti Rege recedit? Quid imo,
quod

quod *Athotem* ex Rege facere *Abrahami* famulum velle, a Scriptorum omnium fide procul abhorrere profecto eſt? Quid etiam, quod Aegyptiaci Regni a Gentium diſperſione haud procul exordia multo infra, quam oportet, ſequiorem in aetatem detrudit? Ceteris vero dimiſſis, Manethonis ſane Catalogum turbare Julius Africanus, & Euſebius de induſtria voluiſſe aeſtimandi haud ſunt: ſed enim uterque Manethonem etſi ſequuti Africanus, & Euſebius in Chron. p. 90. ſqq., alios uterque ex ipſo Reges, alioſque Regnorum computos excerpſere, collegereque, ut inde mirari valde ſubeat, quam immaniter uterque a Manethone, & ab invicem diſcrepet, veluti ſuppoſito diſces e Schemate, ut agnoſcere tandem oporteat, nihil certi, ac rati ex Manethone erui poſſe.

EX JULIO AFRICANO				EX EUSEBIO CAESARIENSI			
	Dynaſtiae	*Reges*	*Anni*		*Dynaſtiae*	*Reges*	*Anni*
I.	Thinitarum	8	253	I.	Thinitarum	8	252
II.	Thinitarum	7	224	II.	Thinitarum	9	302
III.	Memphitarum	9	214	III.	Memphitarum	8	198
IV.	Memphitarum	8	274	IV.	Memphitarum	17	448
V.	Elephantinorum	9	248	V.	Elephantinorum	31	100
VI.	Memphitarum	6	203	VI.	Innominata	1	3
VII.	Memphitarum	70	*dieb.* 70	VII.	Memphitarum	5 *diebus*	75
VIII.	Memphitarum	27	146	VIII.	Memphitarum	19	100
IX.	Heracleotarum	19	409	IX.	Heracleopolitarum	4	100
X.	Heracleotarum	19	185	X.	Heracleopolitarum	19	185
XI.	Dioſpolitarum	16	43	XI.	Dioſpolitarum	16	43
XII.	Dioſpolitarum	7	160	XII.	Praetermiſſa		
XIII.	Dioſpolitarum	60	184	XIII.	Dioſpolitarum	60	453
XIV.	Praetermiſſa			XIV.	Xoitarum	76	184
XV.	Paſtorum Phoenicum	6	284	XV.	Dioſpolitarum		250
			2827				2618

XII. Tam

XII. Tam vero in harum Dynaſtiarum XV. Regum computis ex Manethone deductis inter ſe diſcrepant Africanus, & Euſebius, quam etiam in eorumdem Regum ſerie, numero, ac nominibus, uti conferenti utriuſque Catalogum ſuperius ex Syncello deſcriptum liquido patebit; neque enim ſat nobis otii ſuppetit, ut haec prolixius, quam oportet, reique pretium exigit, perſequi velimus; quum & id praeſtitum abunde fuerit a Duum Viris doctiſſ. Vallarſio in Not. ad Euſebii Chron. p. 71. ſqq., & a Fourmontio in Reflex. Crit. ad Hiſtor. Vet. Popul. T. II. lib. 3. cap. 6. p. 47. ſqq. Conciliare iſta tamen conatus eſt ita Marshamus, ut Dynaſtiis I, & II. collaterales efficiat Dynaſtias III., & IV., a *Memphitarum* III. ablatum *Necherophem* ad finem Dynaſtiae II. *Thinitarum* rejiciat; Dynaſtiam V. *Elephantinorum* omnino negligat; Dynaſtiae VI. *Memphitarum* adjungat *Thebaeorum* Dynaſtiam VII; Dynaſtias VIII, & IX, in quibus adeo differunt Africanus, & Euſebius, prorſus abjiciat, ideo quod *Memphitarum* regnum jam tum defeciſſe, & cum *Thebano* prorſus coaluiſſe ipſe putet; quum potius *Thebanum* desiiſſe in *Memphitico* liquefactum indicet Diodorus lib. I. p. 32; Dynaſtias X, & XI. flocci, naucique faciat; cum Dynaſtia XII. copulet Dynaſtiam XIX; poſt quam Dynaſtias inſequentes fuiſſe confuſas opinatur; *Dioſpolitarum* Dynaſtiam XXI, ac *Tanitarum* Dynaſtiam XXIII. loco, ordineque dimoveat; Dynaſtiam XXVI. *Saitarum* poſtponat Dynaſtiae XXVII. *Perſarum*: ita nempe ſus deque pervertendae Dynaſtiae omnes, perturbandaeque fuerant, ut ſuo quaeque loco demum collocaretur, unaque componeretur cum altera; videndique Perizonius Orig. Aegyp. cap. 7. p. 93. ſqq., ac Fourmontius in Reflex. Crit. p. 67. ſqq., ubi multis jure Marshamum redarguunt, atque refellunt. Neque magis in Dynaſtiis uſque ad XXX. ex Manethone collocandis, computandiſque Regum annis inter ſe cohaerent Africanus, & Euſebius. Hic enim *Thebaeorum* XVI, quam ab anno I. *Abrahae* exorditur, Reges 5, annos 190. attribuit; *Paſtorum* Phoenicum XVII, quam a *Jacobi* anno 3. auſpicatur, Reges 4, annos 106; *Dioſpolitarum* XVIII, quam a *Moyſis* egreſſu deducit, Reges 16, annos 349; *Dioſpolitarum* XIX. Reges 5, annos 194; *Dioſpolitarum*

tarum xx. Reges 12, annos 178; *Tanitarum* xxi. Reges 7, annos 130; *Bubaſtitarum* xxii. Reges 3, annos 49; *Tanitarum* xxiii, quacum Olympiadem I. cepiſſe, in eaque Regem II. *Oſorchum* eumdem cum *Hercule* Aegyptio habitum refert Syncellus p. 77, ſive 59, Reges 3, annos 44; *Saitarum* xxiv. Regem 1, annos 44; *Aethiopum* xxv. Reges 3, annos 44; *Saitarum* xxvi, ſub qua a *Nechao* II. Rege vi. expugnatam Hieroſolymam fuiſse, captivumque in Aegyptum abductum *Joachazum* tradit Syncellus p. 76, ſive 61, Reges 9, annos 168; *Perſarum* xxvii. Reges 8, annos 120; *Saitarum* xxviii. Regem 1, annos 6; *Mendeſiorum* xxix. Reges 5, annos 21; *Sebennytarum* xxx. Reges 3, annos 20. adſcribit: queis tam ab Africano, quam ab Euſebio Dynaſtia altera *Perſarum* xxxi. Regum 3, annorum 12, uſque ad *Alexandrum* M. adjungitur: qui omnes ab Euſebio computati anni ſimul collecti ſummam efficiunt annorum 1637; quum ab Africano ex eodem Manethone recenſiti ad ſummam annorum 2006. adſcendant. Qua de re, quod ab Africani computis paſſim aberraverit, Euſebius multa ſaepe reprehenſione dignus, quod ab eo videlicet in numerandis Regibus, in eorum nominibus ſupprimendis, in recenſendis quin etiam regnorum annis, eorumque texenda ſerie, maximeque, quod Reges ab Africano in Dynaſtiam xv. relatos, ad Dynaſtiam xvii. ipſe retulerit, atque ita *Apophim*, ſub quo *Joſephus* in Aegypto poteſtatem exercuit, ſuo de loco dimoverit, eidemque Dynaſtiae xvii. Reges 4, annoſque 103. dumtaxat tribuerit, ab Africano, inquam, defecerit, viſus eſt Syncello p. 59, 62. ſq., 89. ſq., 73. edit. Pariſ., Ven. p. 46. ſq., 49. ſq., 55. ſqq., 58. Qui excuſatione ipſe viciſſim indignum ſe praeſtitit, quod p. 57, ſive 45. in Dynaſtia iv. *Memphitarum* nono loco *Seſoſtrim* repoſuit, quem rurſus p. 60, ſive 48. in Dynaſtia xii. *Dioſpolitarum* tertium imprudens recenſuit.

XIII. Julio Africano itaque adſtipulari haud ambegit Eques de Origny in Chronolog. Aegypt. Gallice adornata T. I. cap. 2. ſqq, p. 30. ſqq., ita tamen, ut Dynaſtiae xxx. e Manethone deſcriptae ab Africano haud una alteri veluti ſucceſſiva accipiendae ſint, ſed imo totidem diverſae, quot diverſos praeferu n.

ferunt in fronte titulos, fuerint, adeo ut diverſis in Aegypto Regionibus eodem tempore diverſi imperaſſe Reges intelligantur. Id diverſis indicari titulis Dynaſtiis a Manethone diverſis praefixis; id confirmari Artapani teſtimonio apud Euſebium Praep. Evang. lib.9. cap.27, ubi Aegyptum olim in plura Regna fuiſſe partitam auctor eſt liquidus. Euſebio nihilominus adſtipulari non dubitarunt Jacobus Cappellus in Hiſt. Sacr., & Exot. ad an. M. 2269, ad fabulas attamen Dynaſtias XVII. omnes rejiciens, etſi ex his Dynaſtiae XVI, & XVII. receptae Euſebio ſint; ac Uſſerius in Annal. Vet. Teſt. p. 5. ſqq. a Dynaſtia XVII. *Paſtorum* Aegyptiacam exorſus hiſtoriam; poſt *Mizraimum* primos tres illius Reges *Salatem*, *Baeonem*, & *Apachnam* ante *Abrahami* natalem floruiſse perſuaſus. Sub *Apophi* eum in Aegyptum adveniſse, ac ſub *Amoſi*, ſive *Thethmoſi* in vivis adhuc egiſse. Sub *Mephramuthoſi* ductum in Aegyptum *Joſephum*, rei deinde ſummae ſub *Themoſi*, *Amenophi*, & *Horo* praefuiſse. Sub *Rameſse Miamun* ortum *Moyſem*, ſub *Amenophi* de Aegypto egreſsum, eumque *Seſoſtris* Herodoto, *Rhampsis* Tacito, *Seſooſis* Diodoro, *Aegypti* Joſepho, *Sethoſis* Manethoni dicti patrem fuiſse: quae omnia, & alia fuſe ad incudem revocat, exagitatque Perizonius Orig. Aegyp. cap.12.ſq.p.181. ſqq. Mirum vero, quam ab utroque, Julio Africano ideſt, ac Euſebio diſcrepet Joſephus adv. Appion. lib.1. p.1040. ſq., ubi Dynaſtiae XV, juxta Africanum, ſive Dynaſtiae XVII, juxta Euſebium, *Paſtorum*, qui Duumviris illis *Phoenices*, Joſepho *Hycſi* dicti *Iſraelitae* viſi ſunt, non ſecus atque Euſebio in Chron. p.125, inficias vero ivere quammaxime Scaliger in Not. Euſeb., Uſſerius in Annal. p.5, Marshamus in Can. Chron. p.102. ſqq., & p.323. ſq. De Vignolius in Chron. Sacr. T. I. lib. 3. cap.1. §. 8. p.598, Clericus ad Exodi I. 8, &c.; contra quos viden, ut pro Joſepho, ac Euſebio pugnent Vallarſius in Not. ad Euſeb. p.123. ſqq., Perizonius Orig. Aegyp. cap.19. p.343. ſqq., & cap. 20. p.365. ſqq., &c., Reges ex Manethone quoque ipſe recenſet. Africano enim Reges 6. numerati ſunt, annique 284. tributi; Euſebio Reges 4, annique 106; Joſepho vero Reges 6. utique recenſiti ſunt, ſed eis anni 210. adſcripti. Rurſus Dynaſtiae XVIII. *Dioſpolitarum* ab Africano Reges 16,

anni 263, ab Euſebio Reges 16, anni 348, a Joſepho vero Reges 17, anni 329. adſcripti leguntur. Neque alii porro Joſepho Reges amplius Aegypti, niſi ex Dynaſtiis hiſce duabus, memorati habentur: conferendique, qui hos adinvicem conferre diligenter computos haud neglexere Fourmontius in Reflex. Crit. p. 46. ſq., ac Vallarſius in Not. ad Euſeb. p. 71. ſq. Ob id ſane Joſepho obſtringimur, quod ipſe adv. Appion. lib. 1. n. 14. ex Manethone Regis in Dynaſtia *Heliopolitarum* ordine v. nomen, Syncello praetermiſſum, qui fuiſſe *Timaeus* dicitur, *Spanio* proximus, nobis ſervavit: in eo tamen gravius peccavit, quod poſteaquam Antiq. lib. 1. cap. 6, & lib. 2. cap. 9. recte *Arphaxado* aetate ſupparem *Mizraimum* feciſset, adeo ut diſperſionis tempore aetatis uterque annum 99. attigiſset, indeque ab *Arphaxadi* natali uſque ad natalem *Moysis* anni 775. effluxerint, queis additi *Moysis* aetatis anni 80. pro *Exodo* dant annum 855. ab *Arphaxadi* nativitate, ſive *Mizraimi*, ſui perinde velut oblitus, ſibique parum deinde cohaerens adv. Appion. lib. 1. n. 15. cum Phoeniciis Paſtoribus confundens Iſraelitas, quos cum *Moyſe* ab Aegypto ſub *Themosi* anno 4. egreſſos ſcripſit, annis 304. *Exodum* antevertit, Paſtorum expulſionem ſiquidem ab Aegypto in annum 550. poſt *Mizraimum* conferat. Videndi De Origny in Chron. Aegypt. T. I. cap. 5. p. 68. ſqq., ac De Vignolius Chron. Sac. T. I. lib. 3. cap. 1. p. 597. ſq.

XIV. His itaque dimiſſis, Syncellum magis ſequendum ultro ſibi propoſuere Eruditorum de genere Proteſtantium etſi par nobile, Marshamus in Can. Chron. p. 18. ſqq., ac DeVignolius in Chron. Sac. T. II. lib. 6. cap. 5. p. 664. ſq. Ad tempus nempe Μυθικόν Fabuloſum *Deorum*, ac *Semideorum* Dynaſtiis ultro rejectis, reliquas *Hominum* Dynaſtias ad Hiſtoriae veritatem redigere uterque adnixus viribus, quibus pollebat omnibus, eſt. Aſt enim Marshamus, etſi a Syncello ex Aegypti Dynaſtiis priori *Heliopolaeam*, ſive *Dioſpolitanam*, ſive *Taniticam* in Aegypto Inferiori, gradu collocatam, ac poſt annos 124. *Thebaeam* poſitam non videre ipſe nequiverit, *Thebaeae* tamen, ſive *Memphiticae*, ſive *Thiniticae* in Superiori Aegypto, primum facere locum, indeque Aegyptiacae Aerae cardinem exordiri, atque Periodi *Sothiacae* annorum 1460. initium.

initium ducere, annis 124. videlicet tardius, haud dubitavit. A Regum *Heliopolitarum* e contra, ſive *Tanitarum* Dynaſtia exordium petere, quae utpote a Syncello p. 91. ſqq. edit. Pariſ., Ven. p. 72. ſqq. annis 124, ut modo innui, *Thebaeorum* Dynaſtia anterior, collocata eſt, quaeque propius ad Hiſtoriae Sacrae Chronologiam attingere credita eſt, eodemque ab initio Periodi *Aegyptiacae*, non annorum 1460. quidem, uti Marshamo viſum, ſed annorum 960. dumtaxat, deducere cardinem DeVignolius maluit. Ita tamen uterque Catalogum inſtruit, a Syncello quin imo ſequi inſtructum voluit, ut ab eo in annorum numero uterque diſceſſerit. Suppoſito ex Diagrammate *Heliopolitarum* in Aegypto Inferiori Regum, cui paullo infra *Thebaeorum* in Superiori Aegypto Regum ſchema ſubjicitur, annorum differentia iſthaec adparebit, quae cum DeVignolii computo Regum *Heliopolitarum* intercedit, quorum ipſe exordium ab anno 2285. ante Chriſtianam Aeram deducit, ex Syncello vero deducendum ab anno Chriſti ante natalem 2724. oſtendetur; quaeque cum Marshami computo Regum *Thebaeorum* interponitur, quorum initium in annum 2600. ante Chriſtianam Aeram a Syncello conferri palam fiet, ipſe vero cum anno 2343. Chriſti ante natalem, annis 257. ideſt tardius, conſignavit.

HE-

HELIOPOLITAE REGES

In Aegypto Inferiori ex Syncello, cum Annis Regni ante Chriſtianam Aeram.

1.	Mizraimus	35.	2724.
2.	Curudes	63.	2689.
3.	Ariſtarchus	34.	2626.
4.	Spanius	36.	2592.
5.	6. Anonymi	72.	2556.
7.	Serapis	23.	4484.
8.	Seſonchoſis D. XII. D.	49.	2461.
9.	Amenemes	29.	2412.
10.	Amaſis	2.	2383.
11.	Aceſephtres	13.	2381.
12.	Achoreus	9.	2368.
13.	Armiyſes	4.	2359
14.	Chamois	12.	2355.
15.	Ameſiſes	65.	2343.
16.	Anooymus	14.	2278.
17.	Uſe	50.	2264.
18.	Rameſes D. XV.	29.	2214.
19.	Rameſsemenes	15.	2185.
20.	Thyſimares	31.	2170.
21.	Rameſſeſeus	23.	2135
22.	Rameſſe Menos	19.	2116.
23.	Rameſſe Baetis	39	2097.
24.	Rameſſe Vaphres	29.	2058
25.	Concharis D. XVI. Theb.	6.	2029.
26.	Silites D. XV. Paſt.	19.	2023.
27.	Baeon	44.	2004.
28.	Apachnas	36.	1960
29.	Apophis	61.	1924.
30.	Sethus	50.	1863.
31.	Certus	29.	1813.
32.	Aſethus	24.	1784.
33.	Amoſis D. XVIII. D.	22.	1760.
34.	Chebron	13.	1738.
35.	Amephes	15.	1725.
36.	Ameſes	11.	1710.
37.	Miſphragmuthoſis	16.	1699.
38.	Miſphres	23.	1683.
39.	Tuthmoſis	39.	1660.
40.	Amenophis	34.	1621.
41.	Horus	48.	1587.
42.	Achencheres	25.	1539.
43.	Athoris	29.	1514.
44.	Chencheres	26.	1485.
45.	Acheres	8.	1459.
46.	Armaeus	9.	1451.
47.	Rameſes	68.	1442.
48.	Amenophis	8.	1374.
49.	Thuoris D. XIX. D.	17.	1366.
50.	Nechepſus	19.	1349.
51.	Pſammuthis	15.	1330.
52.	Anonymus	4.	1325.
53.	Certus D. XIX. D.	20.	1311.
54.	Rhampſis	45.	1291.
55.	Amenſes	26.	1246.
56.	Ochyras	24.	1220.
57.	Amedes D. XXI. D.	27.	1206.
58.	Thuoris D. XIX. D.	50.	1179.
59.	Atnothes D. I. Thin.	28.	1129.
60.	Cencenes	39.	1101.
61.	Venephes	42.	1062.
42.	Suſacim D. XX. Tan.	34.	1020.
63.	Pſueous D. XXI. Tan.	25.	986.
64.	Amenophes	9.	961.
65.	Nephecheres	6.	952.
66.	Saites D. XXIV.	15.	946.
67.	Pſinaches	9.	931.
68.	Petubaſtes	44.	922.
69.	Oſorthon	9.	878.
70.	Pſammus D. XXIII. Tan.	10.	869.
71.	Concharis	21.	859.
72.	Oſorthon D. XXII. Bub.	15.	838.
73.	Taeelophes	13.	823.
74.	Boechoris	44.	810.
75.	Sabachon D. XXV. Aeth.	12.	766.
76.	Sebechon	12.	754.
77.	Taraces	20.	742.
78.	Amaes	38.	722.
79.	Stephinates D. XXVI. Sait.	27.	684.
80.	Nachepſus	13.	657.
81.	Nechaab	8.	644.
82.	Pſammitichus	14.	636.
83.	Nechaab II.	9.	622.
84.	Pſamuthis alter	17.	613.
85.	Vaphres	34.	596.
86.	Amoſis	50.	562.

XV. A *Miz-*

Digitized by Google

XV. A *Mizraimo* itaque Heliopolitarum regnum anno Mundi 2776, qui fuit ante Chriſtianam Aeram annus 2724, a quo utpote a Mundi exordio ad vulgarem Chriſti natalem anni 5500. computantur Chronog. p. 1, cepiſse tradit diſerte Syncellus p. 91, alias 72, quem cum *Mene* eumdem facere, ſicut Herodotus lib. 2. cap. 4, ac Diodorus lib. 1. cap. 45, Graece p. 29, non dubitavit; illudque in *Amosi* poſtremo ex Heliopolitis Rege LXXXVI., poſt ideſt quam ab anno Chriſtianam ante Aeram 2724. per Dynaſtias X. in Regibus LXXXVI. annos 2162. perduraſset uſque ad Mundi annum 4944, qui fuit Chriſti ante natalem annus 556, defeciſse tandem, a *Cambyſe* anno 5. in Perſas translatum, ſcribit p. 210. ſq., alias p. 168, ſubjectamque Perſis Aegyptum permanſiſſe uſque ad *Darium Nothum*, adeoque Dynaſtiam XXVII. *Perſarum* Regum fuiſse subjungens. *Darii Nothi* anno 2. a Perſis Aegyptios defeciſſe, ſed ab *Artaxerſe Ocho* in ordinem poſt annos 57. fuiſse redactos, *Nectanebo* Aegypti Rege debellato, fugereque in Aethiopiam, juxta quoſdam, aut Macedoniam, juxta alios, (a quibus *Olympiadi* praeſtigiis deluſae commixtus *Alexandrum* genuiſse fertur), compulſo ſubjungit p. 255. ſq., alias p. 203. ſq. Intra hoc itaque rebellionis tempus, a *Darii Nothi* anno 2. ideſt ad annum 1. *Artaxerſis Ochi*, ſequentes Dynaſtias interſerit Syncellus p. 256. ſq., ſive p. 204. ſq., *Saitarum* XXVIII, e qua *Amyrtaeus* annis 6. regnum obtinuit; *Mendeſiorum* XXIX, in qua Reges 4. regnaſse, *Nepherites* annis 6, *Achoris* annis 13, *Pſammuthis* annis 2, *Menas* annis 4. feruntur; *Sebennytarum* XXX, e qua *Nectanebus* annis 8, ac *Teos* annis 2. regnum tenuiſse Syncello traduntur, adeo ut *Nectanebo* expulſo, ab Aegyptiis adhuc per annos 2. ſuffectus *Teos* videatur. A *Teo* porro Dynaſtiam XXXII, praetermiſsa Dynaſtia XXXI, *Heliopolitarum* incipit Syncellus: quod errore factum opinor, ideoque *Sebennytarum* Dynaſtiae XXX. adnectendum *Teum* exiſtimo. Sed enim ſiquidem *Amyrtaeus* in Dynaſtia XXVIII. *Saitarum* regnare primus occeperit anno Mundi 5092, juxta Syncellum p. 256, alias p. 205, qui fuit ante Chriſti natalem 408, inde fit, ut nonniſi poſt annos 104, quo Heliopoli regnare *Amosis* deſiit, regnare Sais *Amyrtaeus* inceperit. Aſt enim *Amosis*

regni

regni annus 8, quo a *Cambyſe* regno exſpoliatus is eſt, cum anno Mundi 4944, ut ſupra dixi, juxta Syncellum, concurrit, iſque anno Chriſti ante natalem 556. reſpondit: *Cambyſes* vero, a quo anno 5. regni ab Aegyptiis regnum ad Perſas translatum fuit, regnum auſpicatus eſt Chriſtianam ante Aeram anno 529, juxta Theonem in Can. Reg. Aſtron., ideoque *Cambyſis* annus 5. cum anno Chriſti ante natalem 524. congruit. Differentia itaque Syncellum inter, ac Theonem eſt annorum 32, quot amplius, quam oportuit, Aegyptiaci Regni durationi Syncellus adſcripſit.

XVI. In *Thebaeorum* adhaec Regum in Superiori Aegypto Catalogo, quem ex Eratoſthene, ſive ex Apollodoro, qui ab Eratoſthene illum accepit, ipſe deſcripſit, contexendo, ſimiliter a *Mene* incipit Syncellus, ita tamen, ut ipſi in regno Heliopolitano annos 35, in Thebaeo regno annos 62. adſcripſerit, illic eum regnare cepiſſe anno Mundi 2776, qui fuit ante Chriſti natalem 2724, heic regnum eumdem fuiſſe auſpicatum poſt annos 124, Mundi 2900, Chriſti ante natalem 2600. adfirmans. Quae cauſa fuit, cur DeVignolius Regni utriuſque exordium ab eodem anno exordiendum exiſtimarit. Cum *Amuthantaeo* vero Rege XXXVII. Catalogum ſuum claudit p. 147, ſive 117, cum anno Mundi 3975, Chriſtianam ante Aeram 1525, illum per annos 1075. deduxiſse contentus, adjecta Regibus ſingulis Graeca Aegyptiaci nominis interpretatione, prout eam ab Eratoſthene hauſerat, qua de fuſe Jablonskius apud DeVignolium in Chron. T. II. lib. 6. cap. 4. p. 736. ſqq. Aliorum, qui ſequuntur *Thebaeorum* adhuc Regum LIII. nomina, ab Apollodoro ſcriptis conſignata, ceu nullius boni acceſſioni futura, ut ipſe perperam judicat, ab ſe negligi ſubjungit. Quo loci tamen a Goario Syncelli Interprete erratum, ubi τῶν δὲ τοῦ τοῖς ἐφεξῆς ἄλλων ΝΓ. Βασιλέων vertit *Aliorum, qui ſequuntur, Regum Thebaeorum LIII*; quaſi alii, praeter illos 37, aut 38, ab Apollodoro Reges enumerati fuerint, quum ab illo nonniſi Reges 37, aut 38. fuiſſe relatos putet, obſervat Perizonius Orig. Aegyp. cap. 6. p. 84. ſq., ubi Marshamum propterea redarguit, quod ideo Reges *Thebaeos* 38, Regibus aliis 16. ex Dynaſtia XVIII. accerſitis ſupplendos duxerit.

xerit. Sed in Catalogo ſane ſingulorum Regum ſumma ab anno Chriſti ante natalem 2600. inita cum anno 1550. concluditur ex ipſo Syncello, a quo alioqui eum anno 1525. fuiſſe concluſam ſuperius innuebam, annis 25. tardius ideſt, quam oporteret. Eumdem vero Regum *Thebaeorum* Catalogum ex Syncello ipſo relegens DeVignolius Chron. lib. 6. cap. 4. §. 12. p. 733. ſq., ab eodem, quo *Heliopolitarum* Regum Periodi Julianae anno 2429, ante Chriſtianam Aeram 2285, illum exorditur, quamvis ab eodem ipſo quoque, quo Syncellus auſpicatus eſt, Mundi anno 2900. & ipſe incipiat: cui certe Mundi anno 2900, ac ſimul anno Mundi 2776. idem reſpondere Periodi Jul. annus 2429, & annus Chriſti ante natalem 2285. nequit. Accedit & illud, quod *Thebaeos* Reges annis 124. poſt *Heliopolitanos* regnare eepiſſe Syncellus diſerte ſcripſit: qua proinde a Chronologia non erat, cur, Syncellum in Regum ſerie tenenda ſequutus, DeVignolius recederet. Obſervandum denique, quod *Thebaeos* inter Reges, qui Syncello n. XII. *Chnubus* dicitur, eumdem eum *Anubi* interpretatur Jablonskius apud DeVignolium Chron. T. II. p. 748; qui n. XV. *Saophis*, is indiſtinctus a *Suphi*, atque *Cheope* videtur Jablonskio ibid. p. 750, ac Perizonio Orig. Aegyp. cap. 14. p. 232. ſq.; qui n. XX. *Apappus*; idem eſt, ac *Apopbis* Syncello, *Aphophis* Manethoni, & *Apopis* Plutarcho de Iſid. p. 651. dictus, admonente Jablonskio apud DeVignolium p. 753. *Myrtaeo* Rege XXIII. denique regno detruſo, *Thebaeo* potitus eſt regno, *Heliopolitano* adjecto, *Seſoſtris*, quem ab *Aegypto*, *Harmeſſe*, *Rampſe*, *Rameſie*, *Rapſe*, *Ramphe*, *Rapſeo*, *Rapſuce*, *Seſoosi*, *Setho*, *Sethosi* indiſtinctum apud Joſephum adv. Appion. lib. 1. p. 1041, 1052. ſqq., alioſque faciunt Perizonius Orig. Aegyp. cap. 12. p. 194. ſqq., De Origny. Chron. Aegyp. T I. ſect. 3. cap. 1. p. 285. ſq., aliique, qua de re fuſius alibi; dicta vero hactenus ex adpoſito *Thebaeorum* Regum Diagrammate ex Syncello deſcripto magis eluceſcent.

 THE-

THEBAEI REGES

In ſuperiori Aegypto ex Syncello cum Annis Regni ante Chriſtianam Aeram.

1. Menes	62. 2600.	20. Apappus	100. 2031.
2. Athothes I.	59. 2538.	21. Acheſchus	1. 1931.
3. Athothes II.	32. 2479.	22. Nictocris Foem.	6. 1930.
4. Diabies	19. 2447.	23. Myrtaeus	22. 1924.
5. Pemphos	18. 2418.	24. Thyeſimares	12. 1902.
6. Tegar Amachus	79. 2410.	25. Thynillus	8. 1890.
7. Stoechus	6. 2331.	26. Semphrutraces	18. 1882.
8. Goſormies	30. 2325.	27. Chuter Taurus	7. 1864.
9. Mares	26. 2295.	28. Meures	12. 1857.
10. Anoyphes	20. 2269.	29. Chomoephta	11. 1845.
11. Sirius	18. 2249.	30. Anchunius	60. 1854.
12. Chubus	22. 2231.	31. Penteathyris	16. 1774.
13. Rauoſis	13. 2209.	32. Stamenemes	23. 1758.
14. Biyris	10. 2196.	33. Siſtoſichermes	55. 1735.
15. Saophis	29. 2186.	34. Maris	43. 1680.
16. Senſaophis	27. 2157.	35. Siphaeas	5. 1637.
17. Moſcheris	31. 2130.	36. Phruron	19. 1632.
18. Muſthis	33. 2099.	37. Amuthantaeus	63. 1613.
19. Pammus	35. 2066.		

XVII. Retro nunc flectendo veſtigia, in *Heliopolitarum* Regum Dynaſtia primum *Mizraimum* eumdem plane, atque *Menem* aliis dictum eſſe haud dubitat Syncellus p.91, ſive p.72, qui tamen *Thebaeorum* Regum Dynaſtiam a *Mene* inchoat, eumque regnare cepiſſe Mundi anno 2900, qui fuit ante Chriſtianam Aeram 2600, ideoque Regni *Mizraimi* exordio poſterior annis 124, diſerte adfirmat p.91, alias 73. Sub *Rameſſemeno* Rege XXII. *Abrahamum* deſcendiſſe in Aegyptum ſubjungit p.101, ſive 81; *Concharis* vero Regis XXV. in in Dynaſtia XVI. anno 6, Mundi 3477, *Cyniei* apud Manethonem Cycli a *Mizraimo* Rege I, anno Mundi 2776, *Arphaxadi* 34, *Phalegi* 5, completos fuiſſe annos 700; indeque Dynaſtiae XVII. *Tanitarum* Reges IV, juxta Manethonem, regnare cepiſſe, a *Silite* ideſt, auctor eſt liquidus p.103. ſq. edit. Pariſ., Ven. p.82. ſq. Ex hocce porro Syncelli loco *Sothiacam* Periodum I. a *Mizraimi* anno 1, quem Syncellus cum anno 2724, ante

ante Chriſti natalem conjungit, Syncello vero adſtipulatus Marſhamus in Can. Chron. Seculo XI. p. 309. ſq. in eumdem annum Periodi I. *Sothiacae* exordium ita confert, ut is *Mizraimi* annus 1, Mundi 2776, fuerit Periodi Julianae annus 1988, ante Chriſtianam Aeram 2724, (quamvis eumdem ipſe Catalogum a *Mizraimo* exorſus, annis poſt 382, a Julianae Periodi ideſt anno 2371, Chriſti ante natalem 2343. incipiat), Periodi I. tamen *Sothiacae*, quam a principio annorum 1460. utique fuiſſe perſuaſum habet, ab eodem Chriſtianam ante Aeram anno 2724. exordium ducit, ita tamen, ut Periodum inſequentem ab anno Periodi Julianae 3448, ante Chriſti natalem 1266, annis 56. tardius ideſt, duxerit, quam ex Cenſorino deducenda ſit. De Vignolius ex adverſo Chron. lib. 6. cap. 5. §. 5. p. 665. ſqq., & p. 713. ſq. cum Syncello Catalogum Aegypti Regum a *Mizraimo*, non anno tamen Periodi Julianae 1988, Chriſtianam ante Aeram 2724; ſed a Mundi anno 2776. quidem, Periodi tamen Julianae anno 2429, ante Chriſti natalem 2285, annis 439. tardius ideſt, quam Syncellus, auſpicandum duxit. Adhaec Periodi *Sothiacae* I. annum 1. ab anno Julianae Periodi 2429, ſed ante Chriſtianam Aeram anno 2277, ita perinde exordiendum autumavit, ut Periodum hancce, non annis 1460. ſed tum annis 960. dumtaxat, iiſque dierum 360, ex duobus nempe Cyclis *Minoribus* annorum 480. conflatam, conſtitiſſe velit; adeoque ut Periodus II. *Sothiaca*, ſive *Sothiaca* I. annis 1460. conſtans, qua de Cenſorinus de Die Nat. cap. 21, ipſius opinione, inceperit Periodi Julianae anno 3389, Chriſti ante natalem 1325, eademque annis dierum 365. conſtans, annis 58. ideſt tardius, quam a Marſhamo incepta fuerit. Sed enim ita Syncelli Catalogum ſectando, inde ſequeretur, ut *Amoſis* Regis LXXXVI, ſub quo anno hoc eſt regni poſtremo, a *Cambyſe* ad Perſas Aegyptium translatum eſt regnum, initium in annum Chriſtianam ante Aeram 123. incidiſſet, annis 406. poſt ideſt, quam *Cambyſes* regnare, juxta Theonem in Can. Reg. Aſtron., ceperit. Non ante viciſſim annum 884, qui Chriſti natalem anteceſſit, Periodum inchoaſſe *Sothiacam* vult Newtonus; contra vero annis 2783. Chriſtianam antevertiſſe Aeram *Sothiacae* Periodi exordium contendit Freretus; eamque de-

 nique

nique cum *Mizraimi* anno 1. cepiſſe ab anno Mundi 1816, adeo ut *Amoſis* Regis LXXXVI, ſub quo ad Perſas Aegyptium tranſductum eſt regnum, annus 1. cum Mundi anno 3433, Periodi *Sothiacae*, ſive Aegyptiacae Aerae anno 1617. concurrerit, exiſtimat Eques de Origny in Chron. Aegypt. T.I. p.74. ſq., & p.370: qua de re fuſius infra. Ad Syncellum modo ſtylo deflexo, in hac ipſa ſane Dynaſtia XVI. ſub *Apophi*, Regni anno 4, Mundi 3580, in Aegyptum *Joſephum* abductum fuiſſe ſcribit Syncellus p.109, Ven. p.87. Ab *Aſetho* Rege XXXII, Mundi anno 3716, anno, qui diebus 360. dumtaxat ante conſtabat, dies 5. primo aggregatos fuiſſe, eumque factum dierum 365, ex fama refert p.123, alias p.98. Sub *Amoſi* vero Rege XXXIII, qui *Aſethum* proxime excepit, lucem adſpexiſſe *Moyſem* aliorum ex opinione perhibet, ſua illum ſub *Aſetho* prodiiſſe opinatus p.121. ſq., Ven. p.96. ſq. *Armaeo*, qui & *Danaus*, Rege XLVI, Mundi anno 4058, e regno fugato, qui Argis potitus ibi tyrannidem arripuit, *Rameſſem*, qui & *Aegyptus*, ipſius fratrem Aegypti regnum obtinuiſſe, ſuoque de, quum antea Graecis *Aeria* diceretur, *Aegypto* nomen feciſſe adſerit p.155, ſive 123 ſq. *Thuorim* Regem LVIII, qui regnum anno Mundi 4319. auſpicatus eſt, eumdem fuiſſe cum *Polybo* Alcandrae conjuge, Homeri Odyſſaea celebrato, ad quem *Menelaus*, diruta Troja, vagus, erranſque cum *Helena* recepta divertit, p.169, alias p.135. perhibet. A *Suſacim* Rege LXII. anno Mundi 4478. Libyes, Aethiopes, Trogloditas, ac deinde Hieroſolymitas fuiſſe ſubjugatos advertit p.177, Ven. p.141. *Bocchori* Rege LXXIV. capto, vivoque combuſto, a *Sabacone* Aethiope Rege LXXV. Aegypti regnum occupatum fuiſſe anno Mundi 4732. ſcribit p.184, ſive 147. In *Amoſi* denique Rege LXXXVI, anno Mundi 4944. Aegypti defeciſſe regnum, ad Perſas a *Cambyſe* translatum, refert p.210. ſq. edit. Pariſ., Ven. p.168. ſq. Hiſce Dynaſtias IV. alias *Saitarum*, *Mendeſiorum*, *Sebennytarum*, ac *Heliopolitarum* alteram ſubnectit, queis de ſupra; donec a Perſis occupatum denuo, indeque demum ad Macedones ab *Alexandro* M. Aegypti regnum translatum eſt. Atque haecce praecipua fuere, quae a Syncello hac illac adnotata, in unum colligenda faſciculum habui, unoque luſtranda intuitu objicio.

XVIII.

Digitized by Google

XVIII. Atque conciliari principio contraria, & pugnantia, quae de *Mizraimo*, ac *Mene* ſcripſiſſe videtur Syncellus, hoc modo poſſe opinor, ut primo *Mizraimus* Heliopoli regnare ceperit; poſt annos 35. regni vero, a Diſperſione 124, regnum item Thebis injerit, annisque 27. tenuerit. Catalogum ad haec *Thebaeorum* Regum, in quo *Menis* filius *Athothes* regnaſſe annos 59. legitur, cum Regum *Thinitarum* Catalogo, in quo annos 27. idem regnaſſe *Athothes* fertur Africano, & Euſebio, componere ita haud difficile accidit, ut ſcilicet *Athothes*, poſtquam Thinis, ac Thebis, utraque in Superiori Aegypto Urbe, regnaſſet annos 27, *Thinis* regno *Cenceni* filio dimiſſo, regnare ipſe Thebis annos 32. perrexerit. Thinis autem poſt *Cencenem*, Reges XII. alios per annos 446, a *Mene* uſque ad *Nephercherem* regnum obtinuiſſe teſtatur Syncellus p.54. ſqq. edit. Pariſ., Ven. p.43. ſqq., videndique Marshamus in Can. Chron. p.87, ac De Vignolius in Chron. T.II.p.767. ſq. Quo tempore Heliopolis in Aegypto inferiori a *Mene*, eodem fere Memphis in ſuperiori Aegypto fundatum ab *Athothe* regnum fuiſſe, tum diſerte indicat Syncellus p.54. ſq., ſive 43. ſq.; tum inde arguunt Marshamus p.28, ac De Vignolius p.785, quod Memphim a *Mene* conditam explicite tradit Herodotus lib.2. cap.99, & a *Menis* filio Memphis Palatium aedificatum refert Syncellus loc. cit.; tum exinde ſuadetur, quod *Toſerthrus* Memphitarum Rex II. Medicinae aedificiaque e lapidibus conſtruendi artis inventor fertur apud Syncellum, ibid., quod ipſum de *Athothe* Thebaeorum Rege II. refertur, adeoque unus, idemque uterque fuerit, utrobique Rex. Ita ſcilicet ab *Athothe* Thebaeo retento regno, Thinitano *Cenceni* filio relicto, in Heliopolitano *Mizraimo* ſuccedente *Curude*, Memphiticum ad *Necherophem* translatum fuiſſe putare fas eſt: quod *Memphiticum* perinde regnum in Dynaſtiis III. IV. VI. apud Manethonem, & Africanum in Regibus XXIII. per annos 569. duravit uſque ad annum Chriſti ante natalem 2031, juxta Syncelli computum, quo Memphiticum denuo ſub *Apappo* in Thebaeum coaluiſſe regnum, indi io, argumentoque ſunt tergemini, qui utrobique regnaſſe leguntur Reges, qui uni ſane, iidemque omnino fuiſſe videntur, nempe Thebis *Apappus* Rex XX. annis 100, Memphis *Phiops* annis 100;

100; *Acheſcus* Thebis anno 1, *Menteſuphis* Memphis anno 1; Thebis *Nitocris* foemina, Memphis *Nictocris* foemina: in qua demum *Memphitarum* regnum defecit ante Chriſtianam Aeram anno 1930, juxta Syncellum, poſt ideſt quam per annos 676, a *Mene* videlicet initio ducto, illud perduraſſet: videndique Marshamus p.58, & 87, ac DeVignolius p.783. ſqq. Accedit & illud, quod in Regum *Thebaeorum* Catalogo, qualem ex Eratoſthene, ſive Apollodoro deſcriptum a Syncello exhibet Goarius, inter *Siphaeam* Regem xxxv, & *Phruronem*, alium in Mſs. Regem deeſſe cenſet, qui regnarit annos 14, Syncello ſiquidem *Phruron* Rex xxxvii, regnaſſeque annis 5. dicitur. Sed enim *Sipheas*, ſive verius *Saphtas*, quo de plura infra, *Nili*, quo *Phruron* cognomen ab Eratoſthene donatus eſt, pater dictus legitur a Cotta apud Ciceronem de Nat. Deor. lib.3. cap. 56, (ubi tamen perperam *Nilo* patre, typographi, puto, errore, pro *Nili* patre, habetur, de quo Marshamus p.240, ac DeVignolius p.773), *Saphtas*, inquam, Eratoſtheni *Mercurius* II. etiam cognominatus, Manethoni *Agathodaemonis* pater apud Syncellum p.40, alias 31, quod alterum *Phruronis* cognomen fuit, adpellatus eſt; ideoque *Saphtae* proxime ſucceſſiſſe videtur *Phruron*; ideoque in ejuſdem regno colligi annos 14, & 5. oportet.

XIX. Quod grave tamen negotium faceſſit, atque Syncelli *Thebaeorum* Regum computum funditus evertere videtur, auctoritas eſt Herodoti lib. 2. cap.13; quo loci refert eo, quo ipſe in Aegypto moram egit, tempore a *Myris* obitu annos 900. necdum effluxiſſe. Natus eſt porro Herodotus anno 53. bellum ante Peloponneſiacum, Gellio teſte lib.15. cap.23, qui fuit ante Chriſti natalem annus 484, velut Uſſerio in Annal. p.93, Marshamo in Can. Chron. p.237, DeVignolio in Chron. p.769. ſq., Frereto in Defenſ. Vet. Chron., ſive annus 481, uti Soucieto in Faſtis Mundi p.23. viſum eſt; aetatis vero anno 40, Chriſti ante natalem 444, ſive 441, Hiſtoriae conſcribendae Thurii in Italia, (in Lucania Urbis ideſt, Sybaris etiam, & Copias dictae Straboni lib.6. p.182, Livio lib.34. cap.53, ac Stephano de Urb. p.138, ubi conferendus Holſtenius in Not.), animum adpoſuit, Plinio teſte lib.12. cap.4, ut obſer-

obſervatum eſt Uſſerio p. 107. ſq., Hiſtoriamque anno Chriſti ante natalem 442. abſolvit, uti Soucietus exiſtimat p. 25. Jam vero *Myris*, ita vocatus etiam Diodoro lib. 1. cap. 51, Graec. p. 33, idem fuiſſe videtur, qui Eratoſtheni, & Apollodoro *Maris* dictus, inter Thebaeos Reges XXXIV. recenſitus legitur apud Syncellum, iſque, Herodoto teſte, anno Chriſtianam ante Aeram 1340, quadriennio ante ideſt, quam Hiſtoriae manum ipſe admoviſſet, hoc ab anno Herodoti Aegyptiaci itineris ducto initio, mortem oppetiit: quo ſane ab Herodoti computo annis 297. abeſt Syncellus, a quo *Maris* obitus in annum Chriſti ante natalem 1637. confertur. Huic igitur ab Herodoto deducto computo ſuam tam *Heliopolitarum*, quam *Thebaeorum* Regum cum Marshamo ſuperſtruere Chronotaxim maluit De-Vignolius in Chron. lib. 6. cap. 4. §. 12. p. 770. ſq., ad hancce computo Syncelli accommodato. Sed enim, uti ſuperius obſervatum eſt, inde ſequitur, quod in *Heliopolitano* Regno *Amoſis* Regis LXXXVI, ac ultimi, a *Cambyſe* regno exſpoliati, annus 1. Regni in annum Chriſtianam ante Aeram 123. incidiſſet, in annum 406. ideſt, poſtquam *Cambyſes* regnum injiſſet, ſi alioqui Syncelli annos Regibus attributos loco ſtare DeVignolius ſinit; juxta Herodoti vero computum, qui a computo Syncelli annorum 562. recedit annis 297, *Amoſis* annus 1. cum anno Chriſti ante natalem 265. concurriſſet, in annum 260. poſt ideſt, quam *Cambyſes* regnare ceperit. Multo verum alio ex capite Syncelli hac in parte ſtare Chronologia nequit, juxta quam initio fieret, ut *Mizraimi* Regni exordium, Textus Hebraici computo, ut par eſt, inhaerendo, ad Mundi annum 1280, ante Diluvium 376. referendum foret. Aſt enim longe poſt Diluvium, ſub *Phalego*, Gentium diſperſionem contigiſſe, antequam ſane a *Mizraimo* fundatum in Aegypto regnum haud fuit, etſi ante *Phalegum* factam diſperſionem aliquam putet Marshamus Seculo I. p. 27, S. Scripturae Gen. x. inſiſtendo, fatendum eſt. Ab *Hebero* jam vero anno 34, a Diluvio 100. genitus *Phalegh* legitur, ideoque paullo ante, vel poſt ab *Hebero* procreatus *Jectanes*, prout hic *Phalego* fratre major aliquibus ſit, aliiſque minor, fuit. Sed enim *Jectanes*, ejuſque filii tredecim Gen. x. 25. ſqq. inter Coloniarum Duces nume-

numerati leguntur; & a *Jectane* ſane propagatos ſe Arabes ferunt apud Pocokium in Specim. Hiſt. Arab. p.40. ſqq.; quò fit, ut longe poſt Diluvium facta diſperſio illa fuerit, contra quam cum Marshamo putavit Uſſerius in Chronolog.Sac.Par.I.cap.5. p.26. Atque Diſperſionem quidem anno *Phalegi* ultimo, a Diluvio 340. factam cenſent Gantzius in Tzemach David ad an. 1996, ac Judaei in Seder Olam Rabba ſub init., ac R. Gedalias in Schalſcheleth Hakkabala p.7. Sub media *Phalegi* aetate, a Diluvio anno 220. Cornelius a Lapide, Tornicllus, Abulfaragius Dynaſt. hiſt. p.11. &c. A Diluvio anno 153. Petavius Doct. temp. lib.13. in Chron. p.518; anno 100. Uſſerius in Annal.Vet. Teſt. p.5.; anno 180. Cumberlandus Orig.gent. antiq. p.150; anno 275. Kircherus de Turri Babyl. cap.8: poſt Diſperſionem vero primam factam ſub *Phalego*, Colonias in Arabiam a *Jectane*, ejuſque filiis ductas fuiſſe putant Auctores Doctiſs. Angli Hiſt. Univ. T.II. Par.I.ſect.4. cap.2.edit. Ven.p.84. ſq., qua de Chronologia ad Textum Hebraicum exigenda, Par.II. fuſius, ſi Superis placebit, agendum erit. Longe ante Diluvium attamen, Chriſti ante natalem anno 2783, ex Cenſorini, ac Syncelli calculis Periodi *Sothiacae* I. exordium conſignandum fore colligere ſibi viſus eſt Freretus, qua de Periodo infra prolixe. Accedit & illud amplius ad Syncelli Chronologiam ſufflaminandam, quod ab ipſo cum *Memphiticis* confuſos perperam *Thebaeos* fuiſſe Reges tribus paullo ſuperius exemplis palam eſt factum. Confuſos adhaec paſſim cum *Heliopolitanis*, gravi cum anachroniſmo, Reges aut *Thinitas*, veluti *Cencenem*, quem inter Heliopolitas 60. loco recenſet, quum *Athothis* Thebaei Regis II. filius is fuerit; aut *Thebaeos*, velut *Athotem* ipſum, quem inter Heliopolitas 59. ordine collocat; ex aliiſque factos ab ipſo alios ex Catalogo ſupradeſcripto abunde patet; ubi & alios profecto Reges geminatos fuiſſe adparet, veluti *Rameſſem*, *Amenophim*, *Thuorim* &c., qui non alii ſane, quam *Rhampſis*, *Amenſes*, *Ochyras* &c. aeſtimandi ſunt; veluti *Athotim*, *Cencenem*, *Veneſrem* &c., qui nonniſi *Athoris*, *Cencheres*, *Acheres* &c. eſſe videntur: (& *Cencenes* ſane, ſive *Cencheres* Graecis idem, ac *Chna* Phoeniciis apud Sanchoniathonem, Hebraeis *Chanaan*, filius *Athotis*, viſus eſt

Cum-

Cumberlando in Sanchon. p.94. ſqq.), veluti *Concarim*, *Oſorthum*, *Tacelophem* &c., qui ſuperioribus in Dynaſtiis jam recenſiti, non ſecus, ac *Certus*, *Amenophis*, *Sebechon* &c. bis numerati, ſicut & *Amedes*, ſive *Smedes*, ac *Suſacim* certo videntur: conferendus tamen Perizonius Orig. Aegypt. cap.13. ſqq. p.204. ſqq., ubi pleraque Regum Aegypti nomina a Syncello relata cum relatis ab Euſebio componere, ſuoque figere loco, haud ſemper feliciter tamen, allaboravit. Queis e cenſu deletis, *Heliopolitarum* Regum a *Mizraimo* uſque ad *Amaſim* computus, annis cum a Diluvio retardatus, tum Regum decurtatus, cum Hebraici Textus, noſtraeque Vulgatae Chronologia accommodari, mea quidem opinione, haud difficile poſſet. Quod ut ego tentem, operae, temporiſque diſpendio, quod prolixum jam nimis feci, atque plus utique fortaſſe, quam oportebat, prohibeor.

XX. Regum *Thebaeorum* in Aegypto Superiori Dynaſtiis, ab Eratoſthene contextis, eliminatis, Dynaſtias nihilominus *Heliopolitarum* Regum in Inferiori Aegypto a Syncello memoriae ſervatas, velut eas, quae Sacra cum Hiſtoria affinitatem habeant, amplectendas duxit Pezronius Antiq.temp.cap. 13. p.167. ſqq., ita tamen, ut Dynaſtia XVII. ante *Moyſis* aetatem abſoluta fuerit omnis; ſub *Apophi* Rege ipſi 27, Syncello 29, *Joſephum* in Aegypto rei praefectum fuiſſe publicae exiſtimet; *Moyſis* ſub aevo in geminas dumtaxat *Thebaeorum* in Superiori Aegypto, ubi tum *Amuthantaeum*, in Eratoſthenis Catalogo Regem 37, ac ultimum regnaſſe putet, ac *Tanitarum* in Aegypto Inferiori ceteras Dynaſtias coaluiſſe velit. In Dynaſtia ad haec *Tanitarum*, ſive *Heliopolitarum*, ſive *Dioſpolitarum* XVII. Reges 31. uſque ad *Amoſim*, a Mundi anno 2904, a Diluvio 648, a Phalego 117, a *Mene* ſcilicet, regnaſſe per annos 1000. putat. Sub *Amoſi*, Julio Africano, & Euſebio in Dynaſtia XVIII. Rege 1. recenſito, Syncello Rege 33, ipſi 32, quem a *Themoſi*, ſive *Tuthmoſi*, Syncello Rege 38, Africano, & Euſebio in Dynaſtia XVIII. Rege 7, indiſtinctum, & *Aliſphragmouthoſis*, a quo *Dioſpolitarum* Dynaſtiae IV. Rege ultimo, quemve ab Africano, & Euſebio Dynaſtiae XV. perperam adcenſitum autumat, *Paſtoribus*, a quibus *Tanitarum*

fundatum regnum fuerat, expulſis, uno ſub imperio, ac *Memphitico* regno totius Aegypti Inferioris regna conflata fuiſſe perſuaſum habet, filium haud facere dubitavit, *Moyſis* ex Aegypto egreſſum collocat. Qua in Chronologia retexenda plurima Pezronium peccaſſe obſervant Perizonius Orig. Aegypt. cap. 10. p.134. ſqq., ac Fourmontius in Reflex. Crit. lib.3. cap.6. p.72. ſqq.; nempe *Amoſim* cum *Tuthmoſi*, a quo annis 100. diſtat, confundendo; eumdem *Aliſphragmouthoſis*, qui nullibi inter Aegypti Reges adparet, niſi unum apud Joſephum, a quo is cum *Miſphragmuthoſi* confuſus eſt, filium putando, qui *Aſethi* filius *Amoſis*, filius vero *Miphris*, iſteque *Miſphragmuthosis*, fuit *Tuthmosis*; e Catalogo *Heliopolitarum* Regum *Ariſtarchum* Regem III, & *Serapidem* Regem VII, a ceteris poſitos Chronologis, perperam eliminando; Dynaſtias XV, XVI. XVII. XVIII. invicem permiſcendo, ſuoque pro arbitrio decurtando; Dynaſtias XVII. collaterales fuiſſe omnes, omneſque earumdem Reges una ſimul regnaſſe opinando; peſſime denique cum *Seſoſtris* Epocham ad *Deborae* tempora detrudendo, qua de infra, tum *Menis* aetatem infra, quam oportebat, tempus retardando, velut ex computo nobis inito liquido adparet. Ceteris denique in Aegyptiacarum Originum, Antiquitatumque ſtudio diligentius obverſatus Jacobus Perizonius Orig. Aegypt. cap.4. ſqq. p.34. ſqq. in ea intime perſuaſione haeſit, ut Aegyptiacas Dynaſtias adeo turbatas, corruptas diſcrepantes, confuſaſque apud Manethonem, Veterem Chronographum, Joſephum, Africanum, Euſebium, ac Syncellum, certum intra hiſtoriae ordinem redigi, certumque inde aut Regum numerum, aut Regnorum annos exculpi nequire putet. Vitio perinde vertere haud veritus eſt Scaligero Iſag. Can. p.316. ſq., ac Marshamo in Can. Chron. p.18. ſq., quod *Heliopolitarum* ille a Manethone, iſte *Thebaeorum* ab Eratoſthene deſcriptas tam magni Dynaſtias fecerint; ſed & *Thebaeis* Eratoſthenis iſte adnectere *Dioſpolitanos* Aegypti Superioris a Manethone in Dynaſtia XVIII. recenſitos, quos ipſe, ad *Dioſpolitanos* Inferioris Aegypti referendos vult, haud dubitaverit. Quam ego in ſententiam eò pronior abeo, quò diligenter Aegyptiorum Dynaſtiis ad incudem revocatis, in iis adeo turbata video tempora,

Regum-

Digitized by Google

Regumque adeo perturbata nomina, nec non annorum ſus deque perverſam ſeriem, ut laterem proinde eos lavare putem, qui diuturniorem his in ordinem redigendis operam non tam impendunt, quam perdunt.

XXI. Atque haec quidem, prolixiora tametſi, ac fortaſſe praeterquam opus fuiſſet, praenoſcere ante oportebat, quam de Aegyptiaci Anni forma definire rite quidquam attentaretur. Ad hancce modo ſpartam, quae mea propius intereſt, exornandam propere accedendo, principio eodem prorſus fabularum loco habenda proculdubio ſunt, quae de antiquiſſima apud Aegyptios Anni ratione ex Manethone Sebennyta in Epiſt. ad *Ptolomaeum Philadelphum*, qua eidem Regi Aegyptiaci Regni Dynaſtiarum texit hiſtoriam, cujuſque meminit etiam Euſebius, refert Syncellus in Chronog p.41. edit. Pariſ., Ven. p.32. Nempe Annum Aegyptiis antiquitus, ſub *Deorum* ideſt Dynaſtia, fuiſſe *Menſtruum*, ex diebus 30. conflatum; ac deinde a *Semideis*, qui regno poſt *Deos* praefuere, Annum vocatum *Horum*, atque trimeſtrem fuiſſe conſtitutum. Quo loci ex Panodoro, a quo ſententia parum diſtitit Anianus, profeſſione uterque Monachus, ſubjungit Syncellus apud Aegyptios Anni formam ante Mundi annum milleſimum, ſive ab *Adamo* uſque ad *Enochum*, (a quo primam fortaſſe Periodum *Sothiacam* fore auſpicandam infra cum Frereto videbimus), penitus ignoratam fuiſſe: eo vero anno ab *Egregoris*, proprio motis loco, ac cum hominibus converſatis, tum primum Aegyptios de *Solis*, ac *Lunae* periodis, de duodecim Zodiaci ſignis, deque gradibus 360, Luminaris utriuſque motu peragendis, edoctos fuiſſe. Paullo ante p.32. edit. Pariſ., Ven. p.25. ex Alexandro Polyhiſtore ſimilia regeſſerat Syncellus, a quarto ſcilicet *Egregororum* Principe *Chorubiele* edoctos homines fuiſſe annum, qui ante Diluvium uno die computabatur, *Solis* per duodecim Zodiaci ſigna, graduſque 360. periodo, ideoque diebus 360. conſtare: quin id tamen ignari percipere initio potuerint homines. Aegyptios aſt enim, Panodori, & Aniani ex opinione referre pergens Syncellus, tum primum ad *Lunae* periodum, longe breviorem, reſpectu potius habito, ex ipſius curſu, prae *Solari*, diebus 30. coaleſcente, Annum computandum lege ſta-

tuiſſe perhibet. Locum huncce porro de *Egregoris*, ut id obiter indicem, e libro *Enochi* apocrypho deſcriptus eſt Syncello, atque integer ex Africano deſumptus in Chronog. p. 19. ſq., 24. ſqq. edit. Pariſ., Ven. p. 15. ſq., 19. ſqq., ubi obſervat, quod ſicut a S. Juda Epiſt. Cathol. v. 14. ſq. *Enochi* liber indicatus legitur, etſi ſpurius, ita neque mirum, quod apochryphorum dictis uſus aliquando fuerit etiam S. Paulus, qui ad Corinth. 11. 9. illud *Oculus non vidit* &c. ex Heliae pſeudepigraphis, illud ad Galat. v. 6. *Neque Circumcisio aliquid valet* &c. ex Moyſis pſeudonyma Revelatione, ad Epheſ. v. 14. illud *Excitare, qui dormis* &c. ex Hieremiae adulterinis deſumpſit, alia ex Poetis ullo abſque piaculo depromere haud veritus: quod etiam obſervatum eſt Euthalio Sulcenſi Epiſcopo a Zacagnio edito, quo de videndi Fabricius in Bibl. Graeca T. VIII. p. 367, ac Longuerue in Cogitatis p. 154. Ex eodem quin etiam *Henochi* libro, idem refert Syncellus p. 33. ſq. edit. Pariſ., Ven. p. 26. ſq., ante quidem *Adami* poſteris Hebdomadum vice Annos fuiſſe, numeratos, velut auctorem ſe praeſtat Alexander Polyhiſtor, cui fidem haud tamen hac in parte ipſe praeſtandam exiſtimat, ſed *Henochi* poſtea anno 165, a Mundi conditu 1286, Dei juſſu ab Arcangelo *Uriele*, Aſtris praepoſito, eidem *Henocho* revelatum fuiſſe, quid *Menſis*, quid *Solis* converſio, quid *Annus* demum eſſet: & Annum quidem Hebdomadibus 52. conſtare, annos 1286. conſtare myriadibus dierum quadraginta ſex, & 9390, Hebdomadum vero myriadibus ſex, & 7056. ex aequo comparari. Inde profectum opinor, ut *Henocho* Aſtronomiae inventio, ac ſcientia tribueretur ullo abſque dubio a Judaeis R. Gedalia in *Schalſcheleth Hakkabala*, Catena traditionis apud Sgambatum in Archivis Vet. Teſt. p. 126, R. Eliezere in Capitul. cap. 8, ubi Intercalationis, Annique rationem a Deo cum didiciſſe teſtatur apud Sgambatum p. 138, R. Zacutho in *Jucbazim* fol. 134, R. Salomone Sullam in Addit. ad *Jucbazim* ibid. col. 2, ac R. Schem Toſi in ספר אמונות Par. III. cap. 4. apud Pfeifferum Exercit. de Henoch cap. 4; ab Arabibus Beidavio in Alcorani Suratam de Maria apud Hottingerum in Hiſt. Orient. lib. 1. cap. 3. p. 22, Elmacino ibid., Aben Nephio apud Kircherum Oedipi T. I. p. 67, Abulfaragio Hiſt. Dynaſt. p. 7, ubi

ubi cum *Thoth*, ſive *Hermete* unum a Graecis *Henochum* factum ſubdit; a Graecis Artapano, Eupolemo, Alexandro Polyhiſtore apud Euſebium Praep. Evang. lib. 9. capp. 11. 16. ſq., videndusque Huetius Demonſt. Evang. Prop. IV. cap. 8. §. 7. edit. Ven. T. I. p. 122. ſq., ubi ex Levit. XVI. 8. vocabulo לעזאזל *Laazazel*, quod LXX Graece Τῷ Ἀποπομπαίῳ, pro *Capro Emiſſario* accipitur, ſicut & Vulgato Interpreti, ſuperſtitioſos anſam verpos arripuiſſe ex Daemonibus *Azalzelem* decimum inter *Egregoros* confingendi ex R. Eliezere in Pirke Aboth, & R. Abrahamo Menacheno in Levit. ibid. rite obſervat.

XXII. Hiſce ſimilia porro, quae profert Syncellus, de *Egregoris* habentur etiam in pſeudepigrapho Teſtamento XII. Patriarcharum, in Teſtamento *Rubeni* cap. 5. apud Grabium in Spicileg. Patrum T. I. p. 150, & 213, & apud Fabricium in Codice pſeudepig. Vet. Teſt. T. I. cap. 62. p. 166. ſq.; quae tributa *Henocho* fragmenta, ab Helleniſta quopiam Judaeo, ut Bangio in Caelo Orient. p. 30. ſqq., ac Fabricio Cod. pſeudep. cit. p. 179. viſum, vel a Carpocratiano aliquo, ſive Gnoſtico, ut Grotius in S. Judae epiſt. v. 14, ac Simonius Bibl. Crit. T. III. cap. 3. p. 41. ſq. exiſtimant, poſterior hic etſi Judaei Helleniſtae opus fuiſſe nec abneget, quae, inquam, fragmenta in lucem edita quoque videre eſt a Kirchero Oedip. T. II. Par. I. p. 69. ſq., a Sgambato in Archiv. Vet. Teſt. Tit. XIII. cap. 4. p. 129. ſqq., a Bolducio de Eccleſia ante Legem lib. 1. cap. 14, a Lambecio Hiſt. Litter. p. 8. ſq., a Pfeiffero ad calcem diſſert. de Henocho, a Schotano Bibl. Hiſt. Sac. p. 83. ſqq., a Godfrido Vockerodto ad calcem Diatribae de Societat. litter. Antediluvian., a Bangio in Caelo Orient. exerc. 1. p. 25. ſqq., ab Heideggero in Hiſt. Patriarch. p. 267. ſq., ab Erneſto Grabio Spicileg. Patr. T. I. p. 344. ſq., ab And. Schmidio in Pſeudoveteri Teſt. p. 19. ſq., a Juriaeo in Hiſt. Crit. Rituum Par. I. cap. 4, ac Fabricio in Codice pſeudep. Vet. Teſt. T. I. p. 179. ſqq. Ab Aethiopibus vero adhuc dum *Henochi* Apocalypſim, Aethiopice *Maſapha Einok*, jactari credidere Aegidius Lochienſis Ordin. noſtri in epiſt. ad Peireskium apud Gaſſendum in vita Peireſchii lib. 5. p. 167, Grotius epiſt. 737. ad Peireſchium, Sgambatus loc. cit., Poſtellus de Origin. cap. 2, Genebrardus in Chronolog. lib. 1. &c.;

negant

negant tamen Ludolphus Hiſt.Aethiop.lib.3. cap.4, & Comment. in Hiſt. Aethiop.p.347, ac Hottingerus Hiſt.Orient.lib.3. Par.II. cap.6. p.319, & Enneade diſſert. diſſert. 1. de Prophetia Henoch p.3.ſq.; Auctorem libri eſſe *Babailam Michaelem*, ut ex titulo adparet, qui veteribus ex fragmentis, inter quae & iſtud *Henocho* adſcriptum, quiſquilias ejuſmodi compilavit. *Sabaeos* etiam ſe *Edris*, (quem *Edrem* tamen ſeculis multis *Henocho* poſteriorem faciunt Bartoloccius Bibl.Rabbin. Par II. p.845, & Maraccius in Not. ad Suram 19. Alcorani p.435), ideſt *Henochi* libros poſſidere, eoſque Abrahamo in ciſta Adami fuiſſe viſos, fabulari alibi vidimus; videnduſque Hottingerus in Theſ. Philolog. p.85, & Hiſt. Orient. p.21. ſqq. *Henochi* adhaec prophetiam olim revera ſcripto fuiſſe conſignatam, e qua *S. Judas* locum deprompſerit, etſi poſtea fraude Haereticorum depravata fuerit, perſuaſum habuere poſt S. Auguſtinum de Civit. lib. 15. cap.23, Scaliger in Graecis Euſeb. p.405, Grotius ad Epiſt. S.Judae v.14, Grabius in Not. ad Spicileg. Patr. T.I. p.345, Valtonus Proleg.II. §.7, Druſius de Henoch cap.25. Suppl. Crit. Sacr. T. VI. edit. Francof. p. 2043. ſq., Heinſius Exercit. Sacr. ad S. Petri epiſt. 1. cap. 3. v.19. p.572. ſq., Wiſthonus in Tentamine reſtituendi genuinum Vet. Teſt. textum Anglice edito p.109.&c. Verius ex Prophetia *Henochi* vel Traditione ſervata, vel Dei revelatione cognita locum a *S. Juda* citatum fuiſſe cenſent Medina de recta in Deum fide lib.6. cap. 24, Pereirus in Geneſ. lib.9. n.6, Scribonius ſerm.17. in cit. epiſt. S. Judae p.259, Calovius in Bibliis illuſtr., Surrhenuſius in Βίβλῳ Χαταλλαγῆς p.709. ſqq., Pomarius in Epiſt. S.Judae p.378, Hottingerus Enneade diſſert. 1. p.6, Carpzovius in Annot. ad Goodwini Antiq. Sac. Codic. lib.1.cap.6. p.116, Pfeiſſerus Exercit. de Henoch cap.4. §.8., Cavaeus in vita S. Judae cap.5, Simonius Hiſt. Crit. lib.3. cap.21., videndus etiam in Bibl. Crit. T. III. cap. 3. p. 41. ſqq., Witſius in Meletem. Leidenſ. p.501. ſq., Ludolfus loc. cit, Fabricius Cod. pſeudep. Vet. Teſt. T.I. p.207, Baſnagius Hiſt. Jud. lib.4. cap.12. p.269. ſq., Beauſobrius in Not. Gallicis ad S. Judae Epiſt. T. II. p.240. ſq. &c.; quae de locis a S. Paulo ex Apocryphis prolatis intelligi ſimiliter poſſunt.

XXIII.

XXIII. Jam vero, ut & iſtud, in viam, e qua digreſſus ſum, antequam me recipiam, obſervem, quod ſane obſervatu haud indignum, ſcituque minus injucundum exiſtimo, qui hocce loci E'γρηγόροι *Egregori* Syncello dicuntur, hi ſane בְּנֵי הָאֱלֹהִים *Benei Elohim* Geneſ. VI. 2, *Filii Dei*, adpellati leguntur, Judaeis Kabbaliſtis *Sephiroti*, qui primo collocantur gradu, proximo deinde *Iſchimi*, videndusque Rittangelius in Kabbala revelata, ubi Rabbinorum deliria ejuſmodi refellit, Chaldaeis *Annecdoti*, Graecis vero *Aeones*, *Ginni*, ſive *Genii*, ac *Titanes*, Latiniſque *Semidei* dicti, qui numero fuiſse viginti, ſcientiaſque varias, & artes homines docuiſse feruntur; videndique Fourmontius in Reflex. Crit. ad *Hiſt.* Vet. Popul. T. I. lib. 2. ſect. 2. cap. 5. p. 30. ſqq., ubi *Egregororum* nomina interpretari ſatagit, atque Bannier Mytholog. lib. 2. cap. 5. edit. Neapol. T. II. p. 455. ſqq., ibique Baſſius in Not., quibuſque *Egregoris* cum foeminis, harum forma captis, fuiſse commercium, ex eiſque generatos fuiſse *Enakim*, ſive Gigantes, ab his deinde *Nephilim*, atque ab iſtis *Eliudaeos* procreatos refertur: queis de, variiſque Gigantum nominibus aliis conferendi Voigtius in Miſcell. Bibl. p. 6. ſq., Carpzovius in Diſput. Academ. p. 154. &c., *Egregori*, inquam, ſive *Benei Elohim*, qui fuerint hi, & illi, Veteres inter Scriptores, ac Nuperos lis eſt. Nam hoc utrobique loci *Egregororum*, atque *Benei Elohim* nomine *Angelos* praevaricatores, ſive *Daemones*, qui praeſtigiis, ac magiis foeminas dementarint, falſo putarunt olim Philo de Gigantibus lib. 1, Joſephus Antiq. lib. 1. cap. 3, R. Salomon Jarchi ad Numer. XIII. 34, Julius Africanus apud Syncellum p. 19. ſq., ſive 15. ſq., S. Juſtinus in Apolog. breviori p. 44, S. Irenaeus lib. 4. cap. 30, Tertullianus de Idolol. cap. 4, Apolog. cap. 22, ac de Cultu Foemin. lib. 1. cap. 2, & lib. 2. capp. 3, & 10, Clemens Alex. in E'κλογαῖς Προφητικῶν p. 801, & 808, Paedag. lib. 2. p. 222, & lib. 3. p. 450, ac Strom. lib. 5. p. 550, Pſeudo Clemens Recognit. lib. 1. cap. 29, Lactantius Divin. Inſt. lib. 2. cap. 15, aliique, quos pone ſequi non ambegit Kircherus loc. cit., cui dicam idcirco conſcripſit Simonius in Bibl. Crit. T. III. cap. 3. p. 45. ſqq., queis de adeundi Svicerus in Theſ. V. A'γγελος, Pamelius in Paradoxo Tertull. 1, Halloixius in vita Papiae p. 665, Eugubinus de

Peren.

Peren. Philoſ. lib.8. cap.3, Vandalaeus de Orig., & progr. Idol. p.121. ſqq. &c., quibus favere videntur cum Graeca LXXviralis Codicis Alexandrini Verſio Geneſ. VI.2, ubi po *Υἱοὶ τοῦ Θεοῦ*, quemadmodum habent Vaticanus, Alexandrino longe praeſtantior, aliique Graeci Codices, *Ἄγγελοι τοῦ Θεοῦ* legitur, tum Vulgata Latina Jobi 1.6, & 11.1, quo loci *Filii Dei* habentur, ſicut & Pſalmo XXVIII.1., magis explicite vero Jobi XL1.16. *Angeli* leguntur; quin Exodi XV.11, ubi pro בָּאֵלִם *Baelohim*, ut habet Textus Hebraeus, *In Diis*, ut Arias Montanus, Pagninus, aliique vertunt, *In Fortibus* Vulgatus Interpres, *In Angelis* legunt Interpretes alii, in hiſque Buxtorfius diſſert.5. de Nomin. Dei §.46. p.274. ſq., ubi ex אל *El* Dei nomine ideo pleraque Angelorum nomina, quae deſinunt in *El*, fuiſſe conflata, veluti מיכאל *Michael*, גבריאל *Gabriel*, רפאל *Raphael*, aliaque plurima apud Kabbaliſtas, videnduſque Soucietus etiam in Diſsert. Crit. de Dei nomine *El* p.182. *Egregororum* e contra, ſive *Benei Elohim* adpellatione filios *Sethi*, filiarum vero *Hominum* nomine, foeminas e *Caino* procreatas accipiendas fore docuere S. Auguſtinus de Civit. lib. 15. cap.23, cui praeceſſiſſe videtur Origenes contra Celſum lib.5. p.267, S. Joh. Chryſoſtomus in Gen. hom.22, Theodoretus in Gen. q.47, S. Cyrillus adv. Jul. lib.9, & in Gen. lib.3, Caſſianus Collat.8. cap.21, Syncellus p.19. ſq., alias p.15. ſq., aliique, quos pone ſequi non dubitarunt Goarius in Annot. ad Syncellum edit. Ven. p. 6, Joh. Clericus ad Gen. VI.2. Deylingius Obſerv. Sacr. Par. I. obſer. 27. p.140. ſq., videndique Sixtus Senen. Biblioth. Sanc. lib.5. Annot.73, & 77, Sgambatus in Arch. Vet. Teſt Tit. VIII. p.115. ſq., Auctor *Conjectures ſur les Memoires Originaux*, queis uſus Moyſes in deſcribenda Geneſi videtur, cap.6. p.341. ſqq., &c. Verius aliis eo, unde poſtea Graeca orta fabula de *Ἀλωέως*, derivata ab *Eloha*, Deo, videtur, nomine *Elohim*, ab Hebraea radice אל *El*, qua *Potens*, *Fortis*, *Magnus* deſignatur, ac in Deo quidem *Subſtantive*, ut ajunt, in Hominibus vero *Adjective*, veluti Exodi XV.15, IV. Reg. XXIV.15, Ezech. XVII.13, vel אלה *Elohah*, qua *Juravit* non modo, ſed אל adjecto ה, quaſi *Potentiſſimum* ſignificatur, ut Marco Marino in Arca Noe obſervatum eſt, deſignatos fuiſſe *Potentes* viros, *Proceres*,

ceres, ſive *Magnates*, eorumque ideo filios *Nephilim*, Pon tentum virorum, ſive Procerum filios, horum filios *Eliuda eos*, quomodo pro *Diis* accipi ſane *Proceres* Exodi XXI.6, & XXII. 8, 28, perſuaſum habent vulgo Hebraei, Onkeloſus in Targo, Symmachus in Verſ. Graec., R. Salomon Jarchius &c., e Chriſtianis Eugubinus loc. cit., Sgambatus in Arch. p. 115, Seldenus, Mercerus, Worſtius apud Heideggerum in Hiſt. Patriarch. T.I. exer. II. Theſi 11, Leidecherus de Republ. Hebr. lib. 1. cap. 4, Deylingius loc. cit., Buddeus Hiſt. Vet. Teſt. Periodo I. T.I. ſect. 2. p. 138, Heinſius Exercit. Sacr. ad 1. S. Petri III. 19. p. 571. ſq. &c., conferendique, qui ceteris doctius, ac copioſius hocce de argumento diſputant Buxtorfius in diſſert. 5. de Nomin. Dei Hebr. p. 264. ſqq., ac Soucietus in Diſſert. Crit. de Dei nomine El p. 176. ſqq., ubi inter alios Goſsuetium אל *El* nomine *Deum* proprie, non vero *Potentem* ſignificari pugnantem multis oppugnat, valideque refellit.

XXIV. Juxta haec itaque de Anno tam *Solari*, quam *Lunari* cum *Henocho* ab Angelo, tum Hominibus ab *Egregoris* tradito, ſed ab Aegyptiis *Lunari* magis, prae *Solari*, recepto, a Panodoro, & Aniano *Deorum* VII. Aegyptiaci regni annos 3984, quot iis a Veteri Aegyptio Chronographo tributi ſunt apud Syncellum, pro *Lunaribus* 11988. habitos fuiſſe, *Solaribus* 969. aequiparatos: queis additi *Semideorum* IX. regni anni 214. cum dimidio, additique rurſus anni 1058. *Solares*, quot a Mundi exordio uſque ad *Deorum* regni initium interfluxiſſe Duumviris illis ſupponuntur, ſummam efficiunt annorum 2241. Panodori, & Aniani porro ſupputationem hancce Syncello fuiſſe improbatam, improbabilemque multa efficere, velut eam, quae de induſtria ad Chronologiae LXX. Interpretum Graecae, qua ab *Adamo* ad Diluvium anni totidem 2241. ſupputantur, computos non tam exactam, quam confictam fuiſſe ſuſpicari fas eſt, ſuperius obſervatum eſt; conferendique Gyraldus de Diis Gent. T.I. Syntag. 1, Goarius in Annot. ad Syncellum edit. Ven. p. 7. ſq. &c. Panodoro nihilominus, & Aniano praeivere ſententia Alexander Polyhiſtor, & Eupolemus apud Syncellum non modo, ſed alii longe plures apud Diodorum lib. 1. p. 15. ſq., Proclum in Timaeo lib. 1, Varronem re-

latum Lactantio Divin. Inſt. lib.2. cap.13, Plutarchum in Numa, Solinum cap.3, Plinium lib.7. cap.48. &c., quibus Annus olim apud Aegyptios, *Solis* motu nondum cognito, ad menſtruum *Lunae* circuitum deſcriptus fuiſſe videtur, adeo ut cujuſque *Dei* anni 1200. intra annorum 100. intercapedinem coarctarentur; quadrimeſtris deinde ſtatutus fuerit Annus, ita ut anni 300, quot ſinguli regnaſſe ferebantur Reges, annorum 100. calculum non excederent. Longe pejus eſt vero, quod ex Palaephati fragmento in Chronico Alexandrino, ſive Paſchali p.45. edit. Pariſ., Ven. p.37. colligitur: cujus nempe opinione longo prius tempore Regnorum apud Aegyptios tempora, non annis, non menſibus, diu poſt uſurpatis, ſed diebus numerari dumtaxat, ſingulaeque dierum periodi pro tot annis putari conſueviſſe feruntur. Aſt enim Cenſorinus de die Nat. cap.48. auctor eſt a *Piſone* Rege tum primum Annum, qui antiquiſſimo a tempore Trimeſtris fuerat, Quadrimeſtrem factum, atque poſtremo ad Menſes 12, dieſque quinque fuiſſe productum. Nugas ſed enim, ac fabulas vocat haec, quae de Anno Menſtruo, ac Trimeſtri adferuntur, Salmaſius de Annis Climact. p.750, Annumque, ſicut Hebraeis, quibus de S. Auguſtinus de Civit. lib.15. cap.14. acerbe eos exagitans, qui *Patriarcharum* annos *Lunae* ſenio dimetiri auſi ſunt, ſic Aegyptiis a Monarchiae exordio *Solarem*, Menſiumque 12. fuiſſe auctores ſunt Herodotus lib.2. cap.4, Joſephus Antiq. lib.1. cap.3, Lucianus de Aſtrolog. p.361, Macrobius Saturn. lib. 1. cap. 12, Clemens Alex. Strom. lib.1. p.361, adeunduſque S. Auguſtinus de Civit. lib.12. cap.10, & lib.16. capp.12, & 14, atque jungendi Calmetius Praef. in Gen. de Chronolog. Aegypt., Lamius de Trinit. lib.1. cap. 3, Auctor Obſervat. in Chron. Vet. p.70. ſqq., aliique infra allegandi.

XXV. Altera haud adeo longe abs vero abhorrens eorum ſententia eſt, Veterum ſermone trita, vulgataque, qui *Athothi* Menis, ſive *Mizraimi* filio, velut omnium primo inducta primum apud Aegyptios Anni forma, quam a Parentibus ipſe proculdubio acceperat, refertur. Atque is utique idem, ac *Thoth*, initiali A. omiſſa, quam omiſſionem in linguis Orientalibus frequentem oſtendit Cumberlandus in Sanchoniat. fragm. p.44,

p.44, *54*, & *186*, aeſtimandus eſt, Alexandrinis *Thoot* dictus, Aegyptiis *Copt*, ſive jam vulgo *Thoth*, Phoenicibus *Taaut*, Rabbinis כתבב *Catthabah* apud Auliſium de Scholis Hebraeor. lib.1. cap.23, falſo *Tath*, qui loco *Cath* reſtituendus eſt etiam Euſebio in Chron. p.201, Graecis *Hermes*, Latinis *Mercurius* apud Euſebium Praep. Evang. lib. 1. cap. 7, Veteribus Gallis *Teutates* denominatus. Quamquam *Thoth* ipſum *Chamum* fuiſſe putat Auliſius loc. cit.; *Moyſem* Huetius Demonſt. Evang. Prop. IV. cap.3. §.2. edit. Ven. p.73, qui cap.7. §.3. p.108. obſervat eumdem *Mercurium* Danis olim *Tiis* dictum fuiſſe, ex Daniae Monumentis apud Wormium lib. 1. cap. 4, Anglis *Teves*, indeque a *Theuth* Germanis T*heutonicorum* nomen adhaeſiſſe putat. Etſi a *Dieths*, *Fortitudinis* vocabulo, ita dictos malit Aventinus in Nomencl. Annal. Bojorum praefixa; a T*heud* vero, *Populi* nomine cenſet Grotius in Hiſt. Gothor.; quin etiam ex voce *Theut*, Sinis T*eu*, Mexicanis T*eutl*, Graecis θεὸς, T*heos*, indeque Latinis *Deus* effictum nomen exiſtimat: conferendi tamen Bochartus Geog. Sac. lib. 1. cap. 42. p.*662*, quo loci plura de Nomenclaturis e T*hoth* derivatis ad Gallos, Anglos, Germanos, Suecos &c. habet, Spencerus de Legib. Hebr. Ritual. edit. Tubing. Pfaffii T.II. lib.3. diſſert. 1. cap. 12. ſect. 2. p. 738, ubi ſicuti a Graecis ex יהוה *Jehovae* depravato nomine *Jovis* Numen, idemque a Celtis *Jou*, ut obſervat Pezronius Antiq. Celt. cap.2, ſic ex Hebraeo תהו T*ohu*, non ſecus ac ex בהו *Bau*, effictum a Phoenicibus T*aautum*, ac Aegyptiis T*hoth* exiſtimat, atque Bruckerus Hiſt. Crit. Philoſ. lib. 2. cap. 9. de Philoſophia Celtarum, quo loci dubia valdequam omnia oſtendit, quae de T*heutatis*, ſub *Mercurii* adpellatione, cultuque Veteres apud Gallos a Jacobo Martinio de Relig. Gallor. T.I., a Gerardo Voſſio de Idolol. lib.1. cap.*35*, ab Elia Schedio de Diis German. Syntag. I. cap.12, a Cudwortho Syſtem. intellect. cap. 4. §. 27, aliiſque traduntur. Qua etiam in opinione de *Moyſe* ſub Aegyptio T*hoth* latente Huetio adhaeſit C. Aug. Heumannus Act. Philoſoph. T. II. p. *687*. ſqq., utriuſque tamen conjecturas haud ſatis firmas, verique ſimilis gradu haud poſitas oſtendere adgreſſus eſt Bruckerus Hiſt. Crit. Philoſ. T.I. lib.2. de Philoſ. Aegyp. cap.7. §.3. p.256. ſqq.

Sub *Thoth* viciſſim nomine latere *Chanaanus* viſus eſt Krigſmanno in Conjectaneis de Germ. gentis origine, ac conditore Hermete Triſmeg., & Bocharto Geog. Sac. Par. I. lib. 1. cap. 2. p. 11; *Joſephum* putant Galaeus in Philoſoph. Gent. p. 15. ſq., & Sgambatus in Archiv. Vet. Teſt. p. 205; *Sethum* alii apud Auliſium loc. cit.; *Miſoris*, a voce *Aſar*, qua *Regnare* ſignificatur, dicti, quem eſſe *Mizraimum* S. Scripturae, ex Sanchoniathone arguit Cumberlandus Hiſt. Sanchon. p. 94. ſqq., filium tradit Sanchoniathon, teſte Philone Byblio apud Euſebium Praep. Evang. lib. 1. cap. 6. ſq., qua de re Bannier Mytholog. T. II. edit. Neapol. p. 317. ſqq. *Henochum* vero exiſtimat Kircherus Oedip. Aegyp. p. 67, 79, & 114, opinionem mutuatus ab Arabibus, quibus *Hermes* I. non alius eſt, quam *Edris*, nobis *Henochus*, vixiſſeque anno 1000. ab *Adamo* creditur, dictus Chaldaeis *Ouriai*, Aegyptiace *Orus*, ideſt *Magiſter*, Arabibus inſuper cognominatus *Alaoval*, ideſt *Primus*, (quo ipſum ab *Hermete* II. diſtinguunt, atque hunc *Al Mothaleth al hecmat*, ideſt *Termagnum*, tres ob qualitates Regis, Philoſophi, aut Sacerdotis, ac Prophetae, adpellare ſolent), quem *Hermetem* I. nempe, denominatum etiam *Al Herameſſah*, & *Al Akbar*, ideſt *Hermetem Magnum*, tempore conjunctionis *Solis* cum Planeta *Mercurio*, Arabibus *Ethared* dicto, natum fabulantur, quove de plura Herbelotus Bibl. Orient p. 449. ſq. Uulgo tamen *Thoth* idem habetur, ac *Athothes*, qui Eratoſtheni in Catalogo Regum Thebaeorum *Meni* proximus ſtatuitur, ac pro *Hermogene*, ideſt, velut explicat Jablonskius in epiſt. ad De-Vignolium Chron. T. II. p. 737. ſq., *Mercurio*, Planetam intellige, quod haud obſervatum Jablonskio eſt, accepto, poſitus exponitur, idem atque *Toſorthus*, qui poſt *Menem* in Dynaſtia I. *Memphitarum* locatus eſt, *Horus* etiam, & *Aeſculapius* Manethoni denominatus; cuique poſt obitum ſub *Anubis* nomine Arae erectae leguntur, qua de re Hardion Hiſt. Sac., & prof. lib. 1. cap. 5, ſub *Oſiridis* denominatione vero divinos ab Aegyptiis honores fuiſſe decretos ex Plutarcho de Iſide p. 364, ubi idem *Mizor*, ac mox *Oſiris* dicitur, arguit Cumberlandus in Sanchon. p. 94. ſqq.

XXVI. Huicce *Thoth* itaque, haud confundendo ſane cum alte-

altero ſequioris aetatis cognomine, *Triſmegiſto*, hoc eſt *Termagno*, etiam dicto, quo de fuſius infra, acceptas referri Aegypti ſolebant Leges, ritus Deos colendi, ſcribendi rationem tam Vulgarem, quam Sacram, Grammaticae regulas, Geometriae, Medicinae, Aſtronomiae &c., Sanchoniathone, Philone Byblio, ac Porphyrio teſtibus apud Euſebium Praep. Evang. lib. 1. cap. 6. ſq., Diodoro quoque lib. 1, Platone in Phoedro, ac Philebo, Laertio lib. 1, S Cyrillo contra Julian. lib. 1. &c.; quin & in ipſum primam Idololatriae originem, in *Henochum* ideſt, refundi ab Arabibus obſervat Herbelotus loc. cit. Quamquam ex triplici ſcribendi genere, Aegyptiis olim uſurpato, *Hieroglyphico*, *Hieratico*, & *Epiſtolographico*, de quibus Porphyrius in vita Pythagorae, & Clemens Alex. Strom lib. 5. edit. Sylburgi p. 237, Potteri p. 657, primam dumtaxat, atque tertiam Scripturae ſpeciem, *Hieroglyphicam* nempe, & *Vulgarem*, (undē liquet perperam aliquibus, in queis Graveſonius Hiſt. Vet. Teſt., & Tract. S. Script. Par. I. §. 1, perſuaſum fuiſſe, *Moyſem* primum Gentium omnium haberi Scriptorem deberi, quo de argumento ſane affatim in Proleg. I.), primo illi *Thoth* adſcribendam fore; ſecundam vero ſcribendi formam, *Hieraticam* ideſt, ſecundo *Thoth*, alias Graecis *Triſmegiſto*, acceptam fore referendam auctor eſt Manetho apud Syncellum p. 40. edit. Pariſ., Ven. p. 31, qua de re Lamius de Trinit. lib. 1. cap. 7. Quo circa a Cotta apud Ciceronem de Nat. Deor. lib. 3. cap. 56, alias 22, duplici peccatum errore, ideo quod quinque diſtinctis Mercuriis, Graecis tribus, Aegyptio uno, Phoeneate altero, ſive Arcade, tum Aegyptium cum Arcade confudit, tum ab Arcade litteras Aegyptiis traditas ſcripſit, obſervat Marshamus in Can. Chron. Secul. 1. p. 35; conferendique, qui plura de *Thoth* dabunt, Gyraldus in Hiſt. Deorum T. I. ſyntagm. 9. edit. Lugd. Bat. p. 303, ac Natalis Comes Mytholog. lib. 5. cap. 5. edit. Ven. 1567. p. 134. ſqq. Sed enim cuncta, quae de *Thoth* Aegyptiorum utroque feruntur, adeo in obſcuro, incertoque latent, ut Viris non obeſae utique naris omnis ideo prorſus fides eis abjudicanda viſa fuerit, cujuſmodi ſunt Joh. Henr. Urſinus Exercit. 2. de Zoroaſtre, Mercurio, & Sanchon. ſect. 2. p. 80. ſqq., & Bruckerus Hiſt. Crit. Philoſ. T. I. lib. 2. cap. 7. §. 3. de

Phi-

Digitized by Google

Philoſ. Aegyp. p.252. ſqq. Quo plane fluxae, dubiaeque admodum fidei loco habenda putant, emunctaeque viro naris abjicienda, quae de Anni forma ad *Solis* curſum exigenda, dierumque 365. a *Thoth* inſtituta, cui idcirco primus, ex ipſius nomine Anni menſis *Thoth* nuncupatus, perpetuo fuerit dedicatus, feruntur apud Diodorum lib. 1. p. 32, Strabonem lib. 17. p. 145. ſq., Ciceronem de Nat. Deor. lib. 3. &c. Tum enim *Thoth* antiquiorem Aegyptiis Annum *Solarem* fuiſſe, a *Mizraimo* ipſo primum inductum, veri ſit valdequam ſimile; tum ab eodem *Thoth* Anno *Biſſextili* dies 6. aggregatos fuiſſe, uti fertur, oppido falſum paullo poſt oſtendetur; tum quae priori *Thoth* adſcripta feruntur, poſteriori *Triſmegiſto*, quem *Moyſis* aetate poſteriorem faciunt, ab aliis longe pluribus accepta referuntur.

XXVII. Atque in his quidem a *Thoth* II, ſive *Hermete* Thebano, cognomento *Triſmegiſto* Hebdomadae diebus 7. de Planetarum VII. nomine tributa denominatio refertur apud Clementem Alex. Strom. lib. a. p. 334, Philaſtrium Brix. de Haereſ. capp. 103, ac 112. &c., cujuſmodi denominatio in Alphabeto Aegyptio a Ludovico de Dieu Animadv. ad Acta Apoſt. cap. 7. v. 43, & a Kirchero in Lex. Copto p. 49, & Prodr. Cop. cap. 5. p. 147. edito ita ſe habet: Πιρη *Sol*, Πιιο *Luna*, Ρηφαν *Saturnus*, Πιζευς *Jupiter*, Μολοχ *Mars*, Σουρεθ *Venus*, Πιερμης *Mercurius*. Verum fragmentum hocce recentioris figmentum aetatis eſſe, & Graecam olere originem, (ſub *Ptolomaeis* enim Graecum ſermonem tam altas in Aegypto radices egiſſe, ut Coptica Dialectus multo plures a Graeca acceperit, quam e veteri lingua Aegyptia ſervarit voces, advertit Bochartus in Geog. Sac. Par. I. lib. 1. cap. 15. p. 58. ſq.), recte ſuſpicatus eſt Spencerus de Legib. Hebr. Ritual. T. II. lib. 3. cap. 3. diſſert. 1. p. 667. *Saturnus* enim olim *Phoenon*, Martiano Capella lib. 8, Achille Tatio Iſag. in Phoenom., & Firmico Matheſ. lib. 1. cap. 2. teſtibus, dictus eſt, *Sol* nomine *Oſiridis* gaudebat, *Jupiter*, ſicut Hebraeis, *Ammun* Aegyptiis etiam adpellatus eſt, *Mars*, ut apud Phoenices, *Pyroeis* apud Aegyptios nomen tulit, *Mercurius*, ſicut Arabibus *Ethared*, Graecis Στιλβὸν a *Lucendo*, Aegyptiis *Thoth* poſtea denominatus eſt: videndique qui plura de Hebdomadae diebus a Planetis inditis nominibus apud Hebraeos,

braeos, Arabes, Aegyptios, Phoenices, Graecos, Latinos, Germanos, Anglos, Belgas, Danos &c. diſputant Sherlogus Antiq. Hebr. lib.2. diſſer.1. §.11, Seldenus de Jure Nat., & Gent. lib.3.cap.19. ſqq.p.423. ſqq., & p.458.ſqq., Spencerus loc.cit., & DeVignolius Chron. Sac. T.II. lib.6. cap.4. p.683. ſqq. Utut haecce tamen de *Thoth* ſe habeant, ex dictis arguere ſane fas eſt, eamdem primum Menſium, Annique formam Aegyptiis obſervatam fuiſse, quae a *Mizraimo* omnium primo tradita fuerat, ipſe vero a *Chamo* patre, iſteque] a priſcis Gentis Patriarchis accepiſse putandi ſunt; ut jam tum videlicet ab initio, ſub *Oſiride*, uti ſcribit Diodorus lib.1. p.7. ſqq. edit. Steph., ad *Sirii* ortum, ſive *Caniculae*, ſive *Sothis* Annum dirigere Aegyptii edocti fuerint, juxtaque pateras 360. in *Oſiridis* ſepulcro diſpoſitas Annum in dies 360. diſpertire a *Mizraimo* didicerint, velut Alphonſo DeVignolio viſum eſt de Annis Aegyptiacis Miſcell. Berolin. T.IV. p.2. ſqq.; videndique Petavius Variar.Diſſert. ad Uranolog. lib.2. cap.4. p.77, ubi antiquiſſima ſub aetate ab ortu *Caniculae* apud Aegyptios auſpicari quidem Annum conſueviſſe e Porphyrio de Antro Nymphar. cum Vendelino probat, Annum tamen diebus 365. conſtitiſſe ex Gemino, Theone, ac Cenſorino comprobat; atque Freretus in Defenſ. Vet. Chronolog. Par.III. ſect.1. p.411.ſq., ubi recte adnotat ex hoc paterarum 360. numero inferre haud fas eſſe, tum apud Aegyptios Annum fuiſſe dierum 360. dumtaxat, quem fuiſſe a prima jam tum aetate dierum 365. & ipſe putat, ideo quod *Epagomenae* dies veluti *Furtivi* haberi ſolerent, qui referri in cenſum ab Aegyptiis ideo negligerentur. Quae vero Menſes, Annoſque ſupputandi ratio Aegyptiis primum uſurpata eſt, eamdem Arabibus, & Aethiopibus uſu perinde veniſſe cenſendum eſt, poſt nempe quam Arabes, & Aethiopes in poteſtatem devenere *Seſoſtris*, Graecis ita dicti, alias *Seſooſis*, aut *Seſoncoſis*, Aegyptiis *Sethoſis*, aut *Sethoni*, alias *Seſoſiris*, ideſt *Secundi Oſiridis*, (quem minus vere *Roboamo* aetate ſupparem agunt, cum *Seſacho* confundentes, Marſhamus, Newtonus, Soucietus &c.; Hebraeorum *Judicibus* ſynchronum faciunt Conringius, Pezronius, Perizonius, Blanchinius &c; *Iſraelis* vero ex Aegypto egreſſu priorem, atque Chriſtiana Aera annis

nis 1570. anteriorem fuiſſe verius pugnat Freretus in Defenſ. Vet. Chron. p. 224. ſqq.; *Menis* viciſſim, ſive *Mizraimi* poſt annos 1400. ſucceſſorem, ex Diodoro arguit Tourneminius differt. 5. Oper. Menochii T. II. p. 414. ſqq., videnduſque Rollinus Hiſt. Aegypt. T. I. Par. III. p. 120. ſqq.; cuique filius adtribuitur *Rampſes*, alias *Pheron*, ſive *Pharao*, is nempe, qui Hebraeorum filios mares aquis ſuffocari Nili impie praecepit, cujuſque poſterioris filius *Amenophis* hujuſce nominis tertius, atque *Seſoſtris* nepos, is fertur, qui Hebraeos perſequens, Maris Erythraei aquis, una cum Exercitu, obrutus eſt, quo de argumento, celebrique *Seſoſtris* Epocha fuſius, ubi de Aegyp., Arab., Aethiop. &c. Aeris agendum erit), ab eo, *Seſoſtri*, inquam, armis, belloque ſubacti.

XXVIII. Etſi igitur inficias ego quidem haudeam, prima ab aetate traditas ab Hebraeorum Patriarchis Aegyptiis Aſtronomicas diſciplinas eiſdem perinde fuiſse quammaxime excultas, certiora tamen, quibus id comprobetur, monumenta deſiderantur ante *Seſoſtris* Epocham, ad quam referre proinde gradum praeſtat. Atque *Seſoſtris* ante tempora utique *Zodiacum* Aegyptiis in duodecim Conſtellationes diviſum fuiſse docemur ex ipſorum Mythologia; qua conſtat antiquiſſimo more ſingulas duodecim Conſtellationes duodecim *Magnorum* Deorum ſymbolis expreſsas fuiſse, quae duodecim Animalium figuris, ac nominibus deſignari ſolebant, quatenus Signis illis praeeſſe totidem *Magni* Dii credebantur, *Vulcanus*, *Ammon*, *Agathodaemon*, *Oſiris*, *Horus*, *Anubis*, *Iſis*, *Typhon*, *Mendes*, *Saturnus*, *Pan*, *Athor*, quorum ſub quolibet tres alii, *Decani* olim dicti, atque ſub *Decano* quolibet tres *Aſſeſſores* collocari ſolebant; adeo ut jam tum Conſtellationes 156. Aegyptiis numerarentur. A Graecis poſtea Conſtellationes extra *Zodiacum* exiſtentes, Graeca Civitate donatae ſunt, etſi nonnullae origine eſsent Aegyptiae, uti notavit Freretus in Defenſ. Vet. Chron. Par. III. p. 501. ſq. Sicut itaque Hieroglyphicis, ſymboliſque cum *Deorum* officia, tum *Heroum* geſta deſignare Aegyptiis in more poſitum erat, ſic etiam ſymbolis, Hieroglyphiciſque *Zodiaci* ſigna, ſyderum curſus, Annique tempora indicare ſolemne fuit. Ita humanis ſimulacris *Solis* periodos, muliebribus *Lunae* phaſes

phaſes Aegyptiis deſignari olim conſueviſse obſervat de Mehegan de Orig.,progr.,&c.Idolol.cap.8.p.140.ſq. *Serapidem* apud Aegyptios ab *Oſiride* indiſtinctum, eumdemque cum *Sole* fuiſſe, haud dubium eſt, ut alio planum in loco fiet. Inter alias jam vero *Serapidis* effigies in rem facit approbe noſtram ea, quae apud Montfauconium extat Suppl. Antiq. Explic. T.II. p.152, ex ipſoque deſcripta legitur Auctori Gallo Diſsert. de Deo Serapide Amſt., & Pariſ.1760. editae p.47. Eam Serpens, *Meiſi* Aegyptiace dictus apud De Vignolium in Chron. p.671, in ſpirae modum,totam ita circumcingit,ut quatuor aequa tortuoſos inter ſinus relinquat ſpatia, quae ſic implent *Zodiaci* ſigna XII, ut in ſinu quolibet ſigna III. *Soli* percurrenda trium Menſium ſpatio indicentur, ac ita quatuor diſtincte Anni tempeſtates repraeſententur. Indicat idipſum gemina *Serapidis* effigies in *Domitiani* Nummo una apud Morellium in Specim. Rei Num. T.III. Tab.23. n.14. expreſsa, cujuſce capiti impoſita conſpicitur Sphaera, gradibus, ſigniſque diſtincta, qua nempe annuus *Solis* curſus deſignatur; altera apud Montfauconium Suppl. Antiq. Explic. T.II. p.156, ubi ſuper *Serapidis* caput duo hinc inde comparent Sydera, minus unum, quod *Lunae*, majus alterum, quod *Solis* eſt ſymbolum, quod utrumque Anni curſum ad *Lunae*, ac *Solis* periodos exigendum fore ſignificat. Extat & apud Paulum Petavium in Antiquariae ſupellectilis portiuncula Antiq. Graec., & Rom. Suppl. Sallengre T.II. edit. Ven. p.1014. lapideum *Oſiridis*, quem modo a *Serapide* haud alium diximus, ſimulacrum, in parte antica ſeptem *Planetarum* figuras,in poſtica duodecim ſignorum *Zodiaci* effigies referens:quod non eſt aliud, quam apud Aegyptios ita *Solis* Annum facientis, dum *Zodiacum* perluſtrat, ſymbolum *Oſiridem* geſſiſſe. Explicat idipſum Arbuſcula duodecies repetita in Obeliſco Lateranenſi, tribus unaquaeque ramis inſtructa, ramuſque quilibet folia quatuor referens, quibus in foliis ſinguli anni Menſes deſcripti viſuntur. Per Arbuſculam enim Annum, per triplicem Ramum tres Anni partes, per duodecim folia, quorum unumquodque rurſus quatuor alia complectitur, duodecim Menſes cum *Lunae*, tum *Solis* innui, nemo non perſpicit, videndique, qui figuram ita intelligunt Kircherus Oedip. Aegyp. T.III. p. 173.

173, & in Obeliſco Pamphilio p.363, ac DeVignolius in Chron. lib.6. cap.4. p.690. Quid adhaec vero, quod etiam in Cadavere exſiccato, vulgo *Mummia*, ac faſcia, ut mos erat apud Aegyptios antiquiſſimus, undique circumvoluto, apud Martinium in Explicat. Textuum difficil. S.Script. Gallice adornata Par.I. explicat.79. §.2. p.274. duabus in corpore hinc inde columnis duodecim *Zodiaci* ſigna deſcripta conſpiciuntur, duabuſque, quas manu utraque ſupra pectus retinet poſitas, Tabellis *Planetarum*, ut adparet, non accuſationes criminum, ac Judicum abſolutionem, ut Martinius exiſtimat, ad morem Aegyptiis, ut non ante Cadaver ſepulturae demandaretur, quam accuſationibus fieret locus, ad quas Judicum XL. accedente ſententia, vel condemnatoria, vel abſolutoria Cadaver ſepulturae honore aut carebat, aut fruebatur, quo de Diodorus lib.1. p.58, uſurpatum reſpiciens, *Planetarum*, inquam, ſymbola expreſſa comparent? Niſi quod, aut ego fallor, in *Deorum*, qui ſignis *Zodiaci* praeerant, inque *Planetarum*, qui Annum moderari putabantur, coetum *Heros* ille, quatenus inferri promeruerit, intelligi dabatur.

XXIX. Eminet inter haec vero Tabula *Iſiaca*, de Cardinalis Bembi, cujus aliquando juris fuit, *Bembina* dicta, (modo juris Regis, pietate, clementia, juſtitia vere Auguſti, Sardiniae), cujuſce figuras explicare quidem, qua de re neque laude defraudandi ſua ſunt, Pignorius, & Kircherus conati ſunt, explicari abſe tamen omnino poſſe diffidit, ingenue faſſus, Montfauconius Antiq. Explic. T.II. Par.II. p.332, explicandas demum adgreſſus Paulus Erneſtus Jablonskius in Miſcell. Berolin. T.VI. p.139. ſqq. rem acu prope tetigiſſe mihi plane videtur. Atque in hacce quidem Tabula a *Scarabaeo*, cum facie humana efficto, *Lunam* in capite gerente, circulis toto circumvoluto corpore, globoque ad latus adpoſito, Orbium Caeleſtium, ac *Solis* maxime, converſiones indigitari ſubodoratus pridem eſt Kircherus in Prodromo Copto cap.9, ſeu ult. p.238. ſqq., ac in Oedip. Aegyp. T.II. claſſe VI. cap.4. §.2. p.415. ſq. Quae late deinde perſequitur T.III. ſyntag.1. de Menſa *Iſiaca* cap.5. p.111. ſqq., ubi duodecim in ea exhiberi Mundi ſyderei Rectores exiſtimat, quos ſignis 12. *Zodiaci*, aut Menſibus 12. anni.

ni praeeſse Aegyptiis perſuaſum erat, in triades quatuor diſtributos, quarum I. erat *Mendeſia*, & Hyemi reſpondebat; II. *Ammonia*, reſpondebatque Veri; III. *Momphtea*, Aeſtati reſpondens; IV. *Omphtea*, reſpondens Autumno. Eadem item in Menſa *Iſiaca* nihil aliud exprimi, niſi Imagines hieroglyphicas ſignorum 12. *Zodiaci*, ac Menſium Aegyptiorum, ſuſpicatus eſt pridem Olaus Rudbeckius in Atlantica Par. II. cap. 11, eum ipſoque Fabricius in Menologio p. 24. Eodem *Iſidis* ſimulacro, variis exornato ſymbolis, Anni totius apud Aegyptios feſta, Menſium Neomenias, anni tempeſtates, aeris mutationes, ſacrificia, meſſis tempus, tempore ſtato Religionis officia peragenda, agendaque quolibet Menſe negotia, fuiſse deſignata obſervat De Mehegan de Orig., progr., & defect. Idolol. cap. 8. p. 155. ſqq. Verum hancce longe facilius, juxtaque diſtinctius interpretatus Tabulam eſt Jablonskius, in eaque Anni tempeſtates, ac revolutiones videre ſe viſus eſt. Tria namque in ſegmenta, Alphabeti litteris A. B. &c., prout Amſtelodami edita eſt anno 1670, diſtincta, Tabula *Iſiaca* diſtributa eſt: qua diſtributione plane tres olim dumtaxat apud Aegyptios anni tempeſtates agnitae, *Ver*, *Aeſtas*, & *Hyems*, Diodoro teſte lib. 1. p. 11. ſqq., indicatae ſunt. Quo indicio fuiſſe *Cerberum* etiam, toties in Nummis, Agyptiiſque Monumentis aliis expreſſum, haud ambigo, Monſtri hoc eſt, cum triplici capite *Leonis* medio, *Canis* dextero, ac *Lupi* ſiniſtro, effigiem, in Muſeo S. Genovefae apud Montfauconium Antiq. Explic. Suppl. T. II. p. 165, & 298, Vaillantium in Num. Graec. p. 78, & 84, & Auctorem Gallum Diſſert. de Deo Serapide p. 44. ſqq.; quo triplici ſane capite *Solis* per tres Orbis partes Ortum, Meridiem, & Occaſum periodum deſignari adfirmavit Porphyrius apud Euſebium Praep. Evang. lib. 3. cap. 11. Ita & apud Phoenicees *Adonidis*, ſive *Thamuz*, & apud Amathuſios in Cypro Inſula *Adonoſiridis*, ex Phoenicio *Adonide* ſcilicet, Aegyptioque *Oſiride* conflati Numinis, quo de Stephanus de Urb. V. Ἀμάθους, conferenduſque Marſhamus in Can. Chron. p. 31., (quod indicio eſt eumdem cum *Oſiride* habitum *Adonidem* fuiſſe), non ſecus atque *Oſiridis* apud Aegyptios Ἀφανισμὸς *Interitus*, Ζήτησις *Inquiſitio*, Εὕρεσις *Inventio*, quae aut luctu, aut laetitia celebrari ſolebant,

 quid

quid aliud erant, quam *Solis* aut ad Ortum, Meridiem, & Occaſum accedentis, aut ad Aequatorem, ac Tropicos appropinquantis, ac ita diei, aut anni diverſas vices, aut tempeſtates efficientis ſymbola, velut Angli Scriptores Hiſt. Univ. T. V. Par. I. cap. 6. edit. Ven. p. 177. ſq. obſervarunt? Atque cum Pignorio quidem Jablonskius convenit figura littera A. ſignata in primo ſegmento *Oſiridem* deſignari, cujus in dextera Crux anſata, ſive *Phallus*, foecunditatis, ac vitae ſymbolum, quod & in *Iſidis* dextera conſpicitur, atque Chriſtianis olim plerisque verae Crucis ſignum falſo creditum eſt, quodque infamiae ſymbolum ab *Iſide* in deperditi Mariti *Oſiridis* membri locum ſuffectum referunt Diodorus lib. 1. cap. 2, ac Plutarchus de Iſid., & Oſirid. Aegyptiorum quoque *Decani* xxxvi, *Tutelares* i. eſt *Dii*, qui anni diebus praeeſſe, hoc eſt unicuique Menſi tres, finguntur, apud Salmaſium de Annis Climacter., cum *Phallo* in laeva manu exhiberi ſolebant: ex Aegypto vero in Graeciam, cum *Bacchi*, ſive *Dionyſii*, quem ſane ab *Oſiride* indiſtinctum tradit Herodotus lib. 2. p. 144. edit. Gronovii, orgiis a praeſtigiatore *Melampo* delatum *Phallum*, Herodoto teſte lib. 2. p. 101, & 108, diverſas apud Graecos figuras obtinuiſſe conſtat, adeo ut duodecim obſervare Begero in Theſ. Brandeburg. T. III. p. 427. licuerit, e quibus frequens Graecum T exhibet: ad Indos etiam ignominiae ſymbolum iſtud ab Aegypto translatum, *Lingam* denominari, ſub ejuſque obſcena ſpecie Deum *Iſurem* coli obſervat Crozaeus Hiſt. Chriſt. Ind. lib. 6. p. 430. ſq. Siniſtra vero *Oſiris* ſceptrum tenere, capite *Upupae* avis, inſigne grati animi, amoriſque erga parentes ſymbolum apud Aegyptios, uti tradit Horapollo in Hieroglyph. lib. 1. cap. 55, in eadem Tabula conſpicitur. Figura B. idem ſignificari *Oſiris*, animal Caprini genus conficiens, videtur Pignorio; Sacerdos e contra Capreolum immolans Montfauconio Antiq. Explic. T. II. Par. II. p. 333; Jablonskio vero *Horus* Oſiridi patri, matrique Iſidi *Orygem*, Capram ideſt ſilveſtrem, Aegypto propriam, teſte Plinio lib. 2. cap. 40, pro Sacrificio offerens. Sacrificium iſtud porro ab *Horo* in *Oſiridis*, ac *Iſidis* honorem inſtitutum, *Solis* dictum tradit Plutarchus de Iſid., & Oſir. p. 663. edit. Steph., atque *Oſiridis* ſane, qua Aegyptiaca voce *Multi oculus*

Digitized by Google

lus ſignificatur, & *Iſidis*, qua *Antiqua* denotatur, Diodoro teſte lib. 1. p. 10. ſq., nomine *Solem*, ac *Lunam* deſignari obſervant Auctores Angli Hiſt. Univ. T.III. Par.I. cap. 3. edit. Ven. p.139, & Obſerv. in Hiſt. p.253. ſq., Sacrificium vero iſtud peragi Aegyptiis ante ingreſſum *Solis* in Arietem, ideſt in Plenilunio, quod *Aequinoctium* Vernum antecedit, conſueviſſe, totumque id ſpatii Menſtrui tempus Feſtivum Aegyptiis, ac ſolemne fuiſſe, ab eoque Plenilunio Annum incipi perhibet Judaeus R. Seba in *Tſeror Hammor* fol.70. col.4; qui locus a Dantzio latine redditus habetur in Meuſchenii Novo Teſtam. e Talmude illuſtrato p.889. Sed & apud Herodotum lib.2. cap. 42, Plutarchum loc. cit., & Aelianum Hiſt. anim. mentio fit Sacrificii, ex *Sue* tamen, ab Aegyptiis Plenilunii tempore *Oſiridi*, & *Iſidi* fieri ſoliti, *Lunae* ideſt, ac *Libero*, ut Herodotus interpretatur: ideoque in Tabula *Iſiaca* hocce loci Sacrificium iſtud Plenilunii tempore peractum indicari putat Jablonſkius. Verum obſervat Plinius loc. cit. in *Caniculae* exortu *Orygem* contra ſtare, & contueri, ac velut adorare, quum ſternuerit: unde conjecturam capio, id potius in *Iſiaca* Tabula deſignari, aut ſi mavis, Sacrificium in *Caniculae* ortu, unde demum exordiri Annus occepit, fieri ab Aegyptiis ſolitum.

XXX. Ad figuras modo alias eadem in *Iſiaca* Menſa expreſſas gradu facto, ſtyloque deflexo, Figura C plane *Iſidem* referri, neque Pignorio, neque Jablonſkio dubium eſt, tres dumtaxat hac in Tabula, diverſis etſi ſub Hieroglyphicis, exhiberi Aegyptiorum Deos *Oſiridem*, *Iſidem*, ac *Horum* perſuaſum habentibus. Figura D itaque deſignari *Oſiridem* cenſet Pignorius; *Horum* vero, qui humana quandoque, frequens accipitrina fingi facie, venabulo armatus, ſolebat, velut adparet etiam in Simulacro Romae reperto apud Alexandrum Donatum in Roma Vet., & Nov. lib.1. cap.22. Antiq. Rom. T.III. edit. Ven. p.615. ſq., etſi quandoque Pueri faſciis involuti ſpecie, dextera *Typhonis* fratris virilia gerentis, apud Coptos effingi ſoleret, Plutarcho teſte de Iſid. p.373, videndique Kircherus Oedip. T.I. p.214, Auctoreſque Angli Hiſt. Univ. T.III. Par.I. cap.3. p.147, (qui p.177. in Aegyptiorum Fanis aut nullam olim *Deorum* Imaginem extitiſſe ex Luciano de Dea Syria, aut Humana nullam,

lam, bene vero Belluina ſub figura expreſſam fuiſſe omnem ex Strabone lib.17. p.1158. obſervant), *Horum*, inquam, ab *Hercule*, aliis ab *Apolline*, indiſtinctum, (in quo, *Hercule* ideſt, ſive *Horo* ab Aegyptiis *Solis* poteſtatem deſignari conſueviſſe demonſtratum in Diſſert. de Terra Goſen cap.8. §.7. ſqq. dedit Jablonskius), idem putat. Ejus in ſiniſtra manu *Avis* conſpicitur, quam *Iſidi* matri offert, quam avem *Stymphalidem*, Herculi Graeco ſacram, Grue minorem, Goropius Becanus autumat, Pignorius *Phoenicopterum*, alis praeditam rubris volucrem, Jablonskius vero *Phoenicem*, cujus alitis vita ex Manilio refert Plinius lib.10. cap.2. *Magni* converſionem Anni, (eam vivere annis 660. paullo ſupra dixerat, ejuſque ideo opinione annis totidem 660. *Magnus* conſtitiſſe Annus videtur), converſionem, inquam, fieri, iterumque ſignificationes tempeſtatum, ac ſyderum eaſdem reverti: idque circa Meridiem incipere, quo die ſignum Arietis *Sol* intraverit; & fuiſse ejuſdem converſionis annum eum, quo P.Licinius, & M.Cornelius Conſulatum agebant, U. C. ideſt annum 549, aut 550, Chriſti ante natalem 205, aut 204. *Phoenici* verius annos tribui vitae 1461. ſcripſit Tacitus Annal. lib.6. cap.28; unde *Phoenicis* hieroglyphico apud Aegyptios Periodum *Sothiacam* annorum 1461. deſignari conſueviſse rite obſervat DeVignolius de Annis Aegyp. Miſcell. Berolin. T.IV. p.13, & Chron. Sac. T.II. p.671. ſqq., qua de re fuſius infra. Figura E *Cercopithecus* in Tabula *Iſiaca* deſignatus Jablonskio videtur, Animal nempe, Simiae cum cauda ſpecies, ſive *Felis* nigrum habentis caput, Aſininos vero pilos, ſive *Cynocephalus*, Simiae item cum cauda, Caninoque capite ſpecies, *Iſidi* ſacer. Quo ſymbolo duo ſignificari *Aequinoctia*, in quibus a *Cynocephalo* duodecies in die, totidemque in nocte urinam reddi, auctor eſt Horoapollo in Hieroglyph. cap. 16: ideoque ex *Arietis* ſigno ſupra *Cynocephalum* poſito, ac ipſo infra poſito *Cynocephalo*, poſt Kircherum Oedip. T.III. p.113. ſq., *Solis* ingreſſum in Arietem, ſive *Aequinoctium* Vernum hocce denotari loci conjicit Jablonskius. Figura F deſignatus *Hircus* Mendeſius, *Pani* ſacer, videtur Pignorio, aliiſque eum pone ſequutis. Mea verius opinione *Arietem* indicatum putant Kircherus loc. indic., & Jablonskius, *Ammonis* ſub ea ſpe-

ſpecie, Thebis quammaxime culti, ſymbolum, ejus nempe in honorem primo e *Zodiaci*, in quo *Sol* Vernum facit *Aequinoctium*, ſigno, *Ariete* ideſt, in ſymbolum adſumpto, Theone teſte in Scholiis Graec. ad Arati Phoenom. p.69; quove tempore, Verni hoc eſt *Aequinoctii*, Thebis feſtum in *Jovis Ammonis* honorem celebrari, & Ariete obtruncato, pelle inde detracta *Jovis* ſimulacrum indui conſueviſse, quod ita olim indutus ſe *Herculi* oſtendiſset *Jupiter*, tradit Herodotus lib.2.cap. 42, edit. Vallae p.51. Littera Z denique in Tabulae *Iſiacae* medio ſcalpta deſignari Anni *Civilis* apud Aegyptios initium, ortum ideſt *Caniculae*, a quo Aegyptiis Annum incipere poſitum in more fuit, obſervat Jablonskius. Siquidem vero Feſtum hoc, quod aliis erat ſolemnius, aliarumque ſolemnitatum initium, in ortu *Caniculae* peragi ſolitum, in fine proinde Tabulae litteris TΓ. VV. YY. deſignatum fuerit, quod & in finem anni Romani incurrit, in Decembris ideſt diem 25, ſive in *Solſtitium* Hybernum, quo feſtum *Novi Solis* Romanis, Servio Aen.VII. v.720, & Georg.1. v.100., teſte, ſive Januarii die 6, *Tybi* die 11, quo *Oſiridis inventi*, vulgo *Iſeum* feſtum Aegyptiis celebrari ſolebat, inde Vir doctiſs. arguit *Iſiacam* Tabulam Anno, feſtiſque Romanorum attemperatam, Aegyptiorum Romae inhabitantium uſui conſecratam fuiſſe, eamdemque ideo Tabulam *Anton. Caracallae*, aut *M. Aurelii*, & *Commodi* aetatem non excedere. Conferendus iterum Vir doctiſs. in Conjectura ad clauſulam Tabulae *Iſiacae* Miſcell.Berol. T.VII. p.373. ſqq., ubi dicta multis confirmat, atque feſtum *Iſiacum*, ſive *Oſiridis inventi*, quod in Vernum *Aequinoctium* conjicit D. Des Landes in Hiſt. Crit. Philoſ. T.I.p.151; in *Junium*, quo & *Thamuz*, ſive *Adonidis* celebrari feſtum ſolebat, Marshamus in Can. Chron. Seculo I. p.31. ſq. confert; in *Athyr* Scaliger de Emend. temp. lib.2. p.70; in *Novembrem* Seldenus de Diis Syris ſyntag.1. cap.4. p.141, & ſyntag.2. cap.11. p.335; in *Choeac*, ideſt Decembrem KircherusOedip.T.II.Par.II.p.262, feſtum *Iſiacum*, inquam, a *Tybi* die 11, ſive Januarii die 6, haud removendum; cui ſane diei in Kalendario Romano, ſub *Conſtantio* Imp. circa annum 354. elucubrato, *Dies Aegyptiacus* adſignatus legitur, quem Vir doctiſs. pro die *Iſiaco* illo inter-

terpretatur, in ea perſuaſione firmus, quam juſto Commentario de diebus Aegyp. eodem Miſcell. Berol. T.VII. p.406. ſqq. confirmare ſatagit, quod pro diebus Aegyptiacis eo in Kalendario adnotatis, haudquaquam dies *Infauſti*, ut vulgo accipi ſolent, ſed *Feſtivi* apud Aegyptios accipiendi ſint, multis oppido confirmare adnixus eſt.

XXXI. His itaque ex Hieroglyphicis, atque *Iſiaca*, ſequioris utpote aetatis, Menſa, quae ante *Seſoſtrim* Aegyptiis uſu Anni ratio venerit, intelligi nequit. *Sëſoſtris* vero ſub aetate ad meliorem aliquanto rationem dirigi Annum cepiſſe, documento eſſe ſane videtur egregia, quam tum Aſtronomiae ſtudio Aegyptios impendiſſe, opera; cujuſcemodi argumento ſunt Umbrae Meridianae obſervationes, quae uſu tum maxime, pro temporum ratione, frequentari apud ipſos cepere. Hiſce namque Obſervationibus rite peragendis pro Gnominibus tam *Pyramides*, quam *Obeliſcos*, quos perperam, ignoranterque aliqui cum Pyramidibus confundere ſolent, deſerviiſſe non dubium eſt: indubium etſi ſit tam illas Regum cadaveribus recipiendis, recondendis opibus, memoriae conſervandae &c. dedicatas fuiſse, quam hos eximiis Regum facinoribus, expeditionibus, victoriis &c. ſeram uſque ad poſteritatem propagandis fuiſse deſtinatos: quod inficias haud veritus ire Kircherus in Obeliſco Pamph. p.151. ſq. explicitiſſimis Diodori lib.1.cap.57, Graec. p.37, Strabonis lib.17. p.816, Plinii lib.36.cap.8, Procli in Timaeum lib.1.p.31, & Ammiani Marcellini lib.17.cap.4, qui Obeliſcis ab Aegypti Regibus res ab ſe geſtas, relatas victorias, Regna adquiſita &c. inſcribi conſueviſse uno tradidere ore, teſtimoniis invicte refellitur a Bargaeo de Obeliſco Theſ. Antiq. Rom. T.IV. edit. Ven. p.1905. ſqq., a DeVignolio in Chron. Sac. T.II. lib.6. cap.4. p.724. ſqq. &c. Atque *Pyramides* quod primo attinet, haſce fuiſse Horrea a *Joſepho* Patriarcha, recondendae frumenti copiae, exſtructa, a Πυρος, qua *Frumentum* ſignificatur, derivato nomine, Stephani de Urb. edit. Holſt. p.267, Etymologici M., Nicetae item, ac Nonni apud Greaves in Deſcript. Anglica Pyram., ſententia eſt, recepta Voſſio Etymolog. V. Pyramis; a voce *Pouro* viciſſim, qua *Rex*, juncta *Miſi*, qua Coptice *Genealogia* deſignatur, deriva-

tas

tas fuiſse, quod Regum nempe Genealogiis conſervandis aedificatae eſsent, opinio eſt Wilkinſii in Diſsert. de Lingua Copta p.108; derivatas a voce Πυρομις *Pyromis*, quae Coptis *Hominem* ſonat, alii cenſent; aliique a Graeca Πυρ, qua *Ignis* ſignificatur, quod flammae acuminatae figuram referrent, opinantur: qua de opinionum diverſitate Angli Auctores Hiſt. Univ. T.III. Par.I. cap.3. edit. Ven. p.50.ſq., & Obſervat.in eamdem Hiſt. p.242. ſq. *Pyramides* jam vero a *Jan Ebn Jan* totius Orbis ante *Adamum* domino exſtructas fuiſse fabulantur Arabes, quibus Pyramides *Al-Hermani* vocantur, ac Muſulmani, queis *Dikilu-Taſch* eaedem dicuntur, memorati Khalilo Sofi, vulgo Baba Nimeth Ullah in libro *Nimetallah*, ideſt Dictionario Linguae Perſicae apud Herbelotum Bibl.Orient. p.311, & 660; a *Sauride* aedificatam aliam, aliam ab *Hujibo* fratre, a *Faſfarino* vero alio tertiam Copti ferunt apud Auctores Anglos Hiſt. Univ. p.54; a *Setho* unam, ab *Henocho* alteram, aliamque a *Sabio* jactant Sabaei apud Greaves in Deſcript. Pyram. E contra a *Cheope*, ſive a *Chemne* primam, a *Cephrene* fratre ſecundam, a *Mycerino* filio tertiam exſtructam fuiſse perhibent Herodotus lib.2, ac Diodorus lib.1. Duas a *Merri*, qui anterior *Cheope* floruit, tradit Plinius lib.36. cap.13. Unam ab *Inarone*, alteram ab *Amasi*, omnium majorem ab *Armaeo*, alias *Danao* fratre *Aegypti*, alias *Seſoſtris*, fuiſſe conſtructas Diodorus loc. cit. ſcribit. Ex his, quae hodiedum manent, haud integrae etſi, *Pyramides*, reliquis excelſior, quae *Cheopi* ab Herodoto lib.2. p.66. tribuitur, etſi certo id haud conſtet, Memphis exſtructa, quatuor directe latera ad Mundi partes quatuor obverſa ſic habet, ut loci Meridianum exacte indicet, velut inter alios obſervatum eſt Lucae Itin. T.I. p.366. Aſtronomicis vero obſervationibus eam diu inſerviiſse teſtis accedit locuples Proclus in Timaeum. Atque ita profecto ad Aſtronomicas peragendas obſervationes *Pyramidum* latera generatim a Borea in Auſtrum directa fuiſſe, ut lineam *Meridianam* prorſus immotam exhiberent, viris Doctiſs. DuHamelio *Hiſt.Acad.* Scient. Pariſ. edit. Lipſ. p.420, DeVignolio in Diſſert. de Annis Aegyptiacis Miſcell. Berolin. T.IV.p.10, ac Jablonskio in Proleg. ad Pantheon Aegyp. p.99. ſq. obſervatum eſt. Et

ita plane rem ſe habere, qui primam ex his anno 1694. dimenſus eſt, Dominus de Chazelles, *Pyramidis* hujuſce majoris latera ideſt exacte reſpondentia quatuor punctis Cardinalibus *Horizontis* ſe reperiſſe teſtatur Hiſt. Acad. Scient. an.1710.p.149. Ejuſdem *Pyramidis* quaelibet facies, quadratae namque formae erat, in longitudine, Herodoto teſte, Graecos habebat pedes 800; Diodoro lib.1. p.17. pedes 700; Strabone lib.17. p.1161. tradente ſtadio minus alta, ideſt minus pedibus 600. Graecis, erat, ſive Romanis 625; Plinio lib.36. cap.12. pedibus 883. Tam vero altam fuiſſe, quam latam eamdem adſtruunt Herodotus, ac Diodorus; altam magis, quam latam adſerit Strabo. Latus quodlibet paſſibus 324. latum, altum paſſibus 250. faciunt Bellonius, ſeu verius Gillius Obſervat. lib.2. cap.44, & Petrus a Valle Itin. T.II. p.359: paſsus vero digitis 45. conſtat. Latus viciſſim quodlibet ad paſsus 270, & ad totidem altitudinem extendit Marcus Grimanus Patriarcha Aquil.apud Kircherum Oedip. T.III. p.244. Princeps Radzivilius in Hieroſolym. peregrin. p.161. latus unumquodque cubitis 300. definivit. Altitudinem ad pedes 500. adauxit Thevenotus Itin. lib.1. cap.5; ad pedes 704. Bruynius Itin.; ad cubitos 317, & latitudinem ad cubitos 410. Arabes apud Kircherum Oedip. T.III. p.300. In altitudine viciſſim cubitos 400. habuiſse legitur in Scholiis in margine adjectis ad S. Gregorii Nazian. orat.20. de laudibus S. Baſilii Cod. Mſ. Bibl. Taurin. n.8. fol.35. apud Cl. Paſinum Codic. Mſs. T.I. p.73. *Pyramides* jam vero huncce Sacerdotibus uſum praeſtitiſse, ut certis quibuſdam diebus *Sol* aut incepturus, aut deſiturus, Borealem *Pyramidis* faciem illuſtraret, atque dies illos, queis id contingebat, a Sacerdotibus pro *Aequinoctialibus*, quoad uſum, habitos, & arcanis ipſorum Kalendariis adſignatos fuiſse, Duhamelio, Jablonskio, ac DeVignolio recte obſervatum eſt.

XXXII. Nunc *Obeliſcos* quod attinet, a *Mizraimo*, qui Plinio *Mitres* eſt, ſive *Meſtres*, quo de multa ipſius e Codicibus MSS. cum Kirchero, & Harduino diſputat nomine DeVignolius in Chron. Sac. T.II. lib.6. cap.4. p.716. ſqq., omnium primo Heliopoli erectos fuiſſe, ac *Soli* dedicatos refert Plinius. Lib.36. cap.8. Poſt ipſum excelſiores geminos alios, cubitorum

40.

40. unum, alterum pedum 99, *Obeliſcos* a *Rameſſe* fuiſſe exſtructos ſubjungit. Atque *Rameſſem* hunc porro cum *Rampſinito* Herodoti, ac *Remphi* Diodori, Rege Mempheo, cum *Ramphe* Joſephi, ac *Ramiſe* Euſebii, Dioſpolita Rege, perperam a Kirchero, & Harduino confundi cenſet ibid. DeVignolius; quem ipſe a *Rameſſe* in Dynaſtia *Heliopolitarum* XVIII. Rege 14. indiſtinctum habet, atque regnaſſe anno 130. ante *Iſraelitarum* ab Aegypto egreſſum, Chriſtianam ante Aeram anno 1775, putat. Ego vero eumdem cum *Seſoſtri*, opinionem ſequutus Carpentarii *De l'Excellence de la Langue Françoiſe* cap. 41. p. 962, cum *Rhampſe* Taciti Annal. lib. 2. cap. 60. *Seſoſtrim* unum facientis, Perizonii Orig. Aegyp. cap. 17. p. 298. ſqq. a *Rameſſe* Manethonis indiſtinctum *Seſoſtrim* habentis, *Rameſſem*, ego inquam, eumdem cum *Seſoſtri* fuiſſe, eumdemque cum *Sethoſi* in Dynaſtia XIX. *Dioſpolitarum* Rege I, ſuperiori Dynaſtiae XVIII. mea quidem reſtituendo ſententia, arguo ex Joſepho adv. App. lib. 1. p. 1041, ubi *Rameſſem* alio etiam *Seſoſtris* nomine donatum indicat; ex Diodoro lib. 1. cap. 57, Graece p. 37, ubi duos, uti Plinius, a *Seſoſtri* erectos memorat *Obeliſcos*, unumque, majorem ideſt, cubitorum 120. altitudinis fuiſſe refert, in quo differt a Plinio, qui ejuſdem altitudini pedes *Undecenos* tribuit, non undecim ideſt, velut explicat Auctor Theſ. Ling. Latinae edit. Lugdun. T. III, ſed *Undecentenos*, hoc eſt 99, uti verius interpretantur Calepinus, & Faber, Polydorus Virgilius item de Rer. invent. lib. 3. cap. 11, Marshamus p. 455, ac DeVignolius p. 722; quot reapſe *Obeliſci* menſura ad ejus pedes adpoſita fert, quae eſt palmorum 130, qui pedibus 99, minus 2, aequivalent. Aſtronomicis itaque obſervationibus peragendis *Obeliſcos* pro Gnominibus Heliopoli *Seſoſtris* juſſu, anno ſcilicet ante Chriſti natalem 1640, aut 1570, qua de priore Epocha Rollinus Hiſt. Antiq. Aegyp. &c. T. I. p. 130. ſqq., Goguetius de Orig. Leg., Art., & Scient. lib. 2. cap. 3. p. 130. ſq., Hardion in Hiſt. Sac., & prof. lib. 1. cap. 6, &c., de poſteriore vero Tourneminius in Ephem. Trevoltin. an. 1702. Septemb. Art. 2, ac Freretus in Defenſ. Vet. Chron. adv. Newtonum, a quo una cum Marshamo, Bocharto, Joh. Clerico ad III. Reg. XI. 40, & XIV. 25. ſq., Conringio in Adverſ.

verſ. Chron. cap. 18, Torniello, Petavio, Soucieto, Tourneminio &c. *Seſoſtris* cum *Seſacho* confuſus eſt; aut Chriſti ante natalem anno 1510. circiter juxta Pezronium Antiq. temp. p.201. ſq.; aut 1480. juxta Uſſerium in Annal. Vet. Teſt. p.19, ac Wiſthonum in *Chronolog. Of the Old Teſtament.*; aut 1380. circiter juxta Perizonium Orig. Aegyp. cap. 16. p.263. ſqq.; aut 1310. juxta Kircherum de Obeliſco Pamph. p. 68; aut 1260. juxta Bargaeum in Obeliſco Antiq. Rom. T.IV. edit. Ven. p.1905. ſqq.; aut 1212. juxta Fourmontium in Reflex. Crit. T.II. p.156. ſqq., qua de celebri *Seſoſtris* Epocha rurſus infra, *Obeliſcos*, inquam, pro Gnominibus *Seſoſtris* juſſu magnis exſtructos impenſis fuiſſe teſtes ſe praeſtant locupletes Diodorus lib. 1. p. 37, Appion Gram. apud Joſephum libro 1. adv. ipſum p.1041., edit. Havercam. p.469, Tacitus Annal. lib. 2. cap. 60, ac Plinius lib.36. cap.8, *Obeliſcis* ideo *Solarium* radiorum nomen inditum adfirmans. Qui cap.10. adhaec auctor eſt ab *Auguſto* Obeliſcum Aegypto Romam importatum, & in Campo Martio ſtatutum, uſui deſerviturum *Ad deprehendendas Solis umbras; dierumque, ac noctium magnitudines, ſtrato lapide ad Obeliſci magnitudinem, cui par fieret umbra Romae confecto die ſexta hora; paullatimque per regulas, (quae ſunt ex aere incluſae), ſingulis diebus decreſceret, ac rurſus augeſceret.* Sive, uti turbatum Plinii locum huncce caſtigandum ex MSs. curavit Dalecampius: *Magnitudines etiam, ac horas, ſtrato lapide ad Obeliſci magnitudinem, cui par fieret umbrarum ejectus, paullatimque* &c. Hinc Davilerius in Diction. Architect. V. *Obeliſcus* refert a Sacerdotibus Aegyptiis *Solis digitorum* nomen *Obeliſcis* illis inditum fuiſſe ideo, quod ſtylorum vice *Solis* varias indicarent altitudines. Ex hoc vero Plinii loco Goguetius, qui alioqui de Orig. Leg., Art., & Scient. Par.III. lib.3. cap.2. Art.2. p.106, poſt Weidlerum Hiſt. Aſtron. p. 64, plus aequo, quae aliquibus pleriſque de Aegyptiorum Aſtronomica ſcientia feruntur, amplificata putat, Par. II. lib.3. cap.2. Art.2. p.252. ſq. arguit ab Aegyptiis deinde *Obeliſcorum* apicibus pilas adjectas fuiſſe ad diſcriminandas umbras, quae inde e pilis jacerentur, ab umbris *Obeliſcorum*. Quam utique conjecturam firmare curat tum *Auguſti* exemplo, quo de

de Plinius cit. cap. 10, tum Graecis Nummis, queis *Obeliſci* cum ejuſmodi pilis apicibus inſcalptis conſpiciuntur, tum Academiae Inſcrip., & Scient. ſententia Hiſt. T. III. p. 166; atque ita *Obeliſcorum*, ac pilarum ope demum Aegyptiis compertum fuiſſe Anno jam tum Menſium 12, dierum 30. ſingulorum, omnium dierum 360, qui uſque ad *Moysis* aetatem, ante Chriſti natalem 1480. circiter uſu eis venerat, dies 5. addendos fore idem Vir Doctiſſ. autumat: quod ipſum Newtono quoque arcte perſuaſum fuiſſe planum infra faciemus.

XXXIII. Verum ab *Aſetho*, Heliopolitarum Regum XXXII, omnium primo, Aegyptiaco Kalendario reformato, Annum pridem dierum 360. dumtaxat, *Epagomenis*, ſive diebus 5. adauctum fuiſſe, & ad dies 365. deinceps amplificatum refert Syncellus in Chronog. p. 123. edit. Pariſ., Ven. p. 98. Quo porro anno factum id fuerit, indicare pergit Syncellus ibid., *Aſethum* regnum injiſſe anno Mundi 3716, qui ante Chriſtianam Aeram fuit annus 1784, (Chriſti D. namque Natalis in Mundi annum 5501. Syncello p. 2. confertur), ejuſdem vero in *Aſethi* Regni annum 21, Mundi 3736, Chriſti ante natalem 1764. *Moysis* nativitatem p. 68. ſq. edit. Pariſ., Ven. p. 54. ſq. refert, prout ex Syncelli mente annos revera numerandos fore adnotat Goarius in Can. Chronog. p. 352, ac in Emend., & Annot. p. 22. Quamquam *Moysis* natali *Amosis* filii *Aſethi* Regni annum 2, Mundi 3738, ante Chriſtianam Aeram 1762. adſcribi a Joſepho, a Juſto, a Clemente Alex., a Tatiano, a Julio Africano p. 121, ſive p. 96. idem admonet Syncellus. *Moyſem* e contra natum ſub *Merri*, ſive *Menebere* aliis dicto, contra Marſhamum, qui *Abrahamo* aetate ſupparem *Merrim* facere non dubitavit, una cum Bonjurio in Dynaſtiis Aegyp. MSs. putat ejuſdem Auguſt. Ordin. Vir doctiſ. Auguſtinus Anton. Georgius in Alphab. Tibetano Par. I. cap. 44. p. 69. ſq., conjectura inde ducta, quod *Pharaonis*, ſub quo lucem adſpexit *Moyſes*, filia *Merris* Artapano dicta legatur; Patris vero in eam tranſlatum fuiſſe nomen ipſe opinatur. Sed enim *Merris*, ſive *Myris* Herodoto lib. 2. cap. 13. anno 900. ante floruiſſe, quam ipſe Aegyptum perluſtraſſet, & cap. 101. ſq. proximus ante *Seſoſtrim* ponitur; Diodoro vero lib. 1. p. 34. *Myrim* inter, ac *Seſoſtrim* ſeptem

Te-

Γενεαὶ, ſive Succeſſores interponuntur, unde *Myris* idem fuiſſe, qui in Dynaſtia XVIII. Euſebio *Miphris*, Joſepho *Mephres*, Syncello *Miſphris* octavo, aut nono ante *Armaeum*, ſive *Danaum*, aut *Rameſſem*, ſive *Aegyptum* loco collocatus dicitur, quique *Mitres*, ſive *Meſphres*, ſive *Meſtres* Plinio lib.36. cap.8. ſq. dictus legitur, viſus eſt Perizonio Orig. Aegyp. cap. 17. p. 310. ſq., quocum conferendi Angli Scriptores Hiſt. Univ. T.III. Par. II. cap. 3. edit. Ven. p. 49, ac Obſerv. p.192. ſq. *Aſethus* viciſſim idem, qui *Aphobis* in Dynaſtia XV. Paſtorum *Phoenicum* Rex 6. Africano dictus eſt, Euſebio in Dynaſtia XVII. omiſſus, *Aſſis* Joſepho adv. Appion. lib. 1. p. 1040, viſus eſt, *Joſepho* Patriarchae ſynchronus factus, Syncello teſte p. 104, alias 83, unde a Scaligero perperam exprobratum Auctori Animad. p. 33. *Aſethum* ex Joſepho adnotanti, quod *Aſethi* nomen apud Joſephum non extet, extet ſiquidem explicitiſſime *Aſſis*, recte obſervat Goarius Emend., & Adnot. in Syncellum p.21. Contra Marshamus in Can. Chron. Seculo VIII. p.96. *Aſethum* aetate *Joſue* ſupparem facit, annoque Periodi Jul. 3280, qui fuit ante Chriſti natalem 1434, regnare cepiſſe putat. Ab *Aſetho* viciſſim, una cum Kalendario, veteris Aegyptiaci Anni formam, dierum 5. adpendice ſuperaddita, reformatam fuiſſe Chriſti ante natalem anno 1322, Goguetius Orig. Leg. &c. Par.II. lib 3. cap.2. Art. 2. p.252. ſq. auguratur; anno 1325, poſt Exodum 320, putat De Vignolius Chron. Sac. T.II. lib.6. cap.4. p.667. ſq., & p.800, in ea perſuaſione verſatus, quod Cycli I. *Sothiaci* annus 1. cum anno Mundi 2776, ante Chriſtianam Aeram 2724, inceperit, quo revera ab anno inceptum annum 1. Cycli I. *Sothiaci*, una cum *Mizraimi* regni anno 1, a Syncello ſupra vidimus; (ubi a De Vignolio alibi cum *Mizraimi* anno 1. Cycli I. *Sothiaci* annum 1. retardatum in annum Chriſti ante natalem 2285. adnotavimus) ſi adeo ut ſub *Aſethi* regni fine Cycli I. *Sothiaci* annus 960, (quot annis dumtaxat, ſive Cyclis duobus Minoribus annorum 480. *Julianorum*, ſive 487. veterum *Aegyptiorum* dierum 360, Cyclum I. *Sothiacum* conſtitiſſe autumat), completus fuerit, indeque novus inceperit Cyclus *Sothiacus*, ſed annis 1460. *Julianis*, ſive 1461. *Aegyptiis* dierum 365, abſque ulla adpendice, conſtans. De Vi-

Digitized by Google

Vignolio adhaeſit Jablonſkius in Pantheo Aegyp. lib. 2. cap. 1. §. 16. p. 155 ſq., ab *Aſetbo* Chriſti ante natalem anno 1325, anno dierum antea 360. additos dies 5. & ipſe opinatus. Cujuſce rei gratia *Solem*, qui ad haec uſque tempora Aegyptiis dici conſueverat Ψρη *Pſre*, ſive Φρη *Phre*, Ων *On*, ſive *Oein*, Graecis Ἥλιος, unde celebris *Solis* Urbs, ſive *Heliopolis*, Hebraeis און *On* Geneſ. XLI. 45. 50, & XLVI. 20, Aegyptiis Οεισχ-ιρι *Oeiſch-iri*, hoc eſt *Oſiridem*, qui lingua Aegyptiaca *Tempora efficientem* ſignificat, ab hoc deinceps aevo, in memoriam ideſt Anni Aegyptiaci conſtitutionis iſtiuſmodi ab *Aſetbo* inductae, denominari cepiſſe Vir doctiſſ. obſervat.

XXXIV. Hancce porro reformati Anni gloriam Heliopolitanis ereptam, Thebaeis adſcribendam eſſe Regibus, & *Aſetbo*, ſive *Aſſi* denegatam, *Siphoeae*, aliàs *Saphtae* adſerendam contendit inter alios Marſhamus in Can. Chron. Seculo x. p. 245. ſqq. In Catalogo Thebaeorum nempe Regum ex Eratoſthene, ſive ex Apollodoro deſcripto a Syncello in Chronog. p. 124. edit. Pariſ., Ven. p. 99. Rex xxxv. *Siphoeas* adnumeratus legitur, regnareque cepiſſe Mundi anno 3889, qui juxta Graecam Syncelli Chronologiam fuit ante Chriſti natalem annus 1611, ideoque *Aſetbo* poſterior annis 173; juxta computum vero annorum, qui ſingulis Thebaeis Regibus a Syncello tribuuntur, *Siphoeas* regnare cepit anno 3863, Chriſtianam ante Aeram 1637, poſt *Aſethum* ideſt annis 147. *Siphoeas* jam vero Ἑρμῆς υἱὸς Ἡφαίστου *Mercurius* etiam *Vulcani filius* interpretatus eſt Eratoſtheni apud Syncellum loc. cit. Quamobrem pro *Siphoeas*, aut *Siphoas*, legendum Σιριφθά *Siriphta* inde cenſet Salmaſius de Annis Climact. p. 566. ſq., quod Σίρι Aegyptiis *Filius* eſt, Φθά vero ſonat *Vulcanum*: quo ex utroque vocabulo *Siriphta* emergit. Bene id ſe habere, ac *Siri Filium*, *Phta Vulcanum* Aegyptiis deſignari conſentit Jablonſkius in Annot. ad Catalogum Reg. Theb. apud De Vignolium p. 763. ſq., ſed elegantia Coptita legendum *Saphtas* cenſet. Jam vero idem *Saphtas*, ut innui, alio *Hermes* Graece, *Mercurius* Latine nomine dictus eſt, hujuſce ſane nominis II, *Triſmegiſtus* etiam cognominatus, ideſt *Termagnus*, idemque *Agathodaemonis* pater Manethoni nuncupatus apud Syncellum p. 40,

alias

alias p.31. Ab iſto *Saphta* itaque Anno Aegyptiaco, antea dierum 360, *Epagomenas* fuiſſe aggregatas inde arguit Marshamus, quod Diodoro lib.1.cap.50, Graece p.32. teſte, Thebanis Annum, non ad *Lunae*, ſed ad *Solis* periodum exigere, eumque diebus $365\frac{1}{4}$ computare ſolemne eſſet; quod hanc ipſam Anni formam a Thebanis *Hermeti* acceptam referri tradat explicite Strabo lib.17. p.816; quodque ſimiliter ab *Hermete* veteri Anno *Epagomenas* fuiſſe adjectas referat Plutarchus de Iſid. p.355. Hiſce pro Marshami opinione, Cenſorinum de Die nat. cap.19. adjungit De Vignolius p.774.ſq, ubi Anno dies 5. additos fuiſſe ab *Arminone* tradit: qui *Arminon* Viro doctiſs. idem, ac *Armes* Syncello p.73, ſive p.58. dictus, idemque, ac *Hermes* videtur. Sed enim *Armes* Syncello idem eſt ſane, ac *Armaeus*, ſive *Danaus*, inter Reges Heliopolitas XLVI, aetate longe ab *Hermete* diſtans, hocce ſcilicet annis 186. poſterior ille, juxta Syncellum. Ad haec Diodorum de Anno *Sacro* Aegyptiis Sacerdotibus uſurpato, non de *Civili* Populo adhibito, loquutum obſervarunt Scaliger de Emend. temp.lib.3.p.194. ſq., Petavius Uranolog. Diſsert. Var. lib.5. cap.5, ac De Vignolius Chron. T.II. p.773. ſq. Quod de Anno a Thebanis reformato, idipſum de reformato ab Heliopolitanis Anno effatus eſt Strabo p.806: unde conjicere eſt, quae Heliopoli primum inducta fuerat Anni forma, eam perinde Thebis haud multo poſt acceptam fuiſse, veluti recte adnotatum eſt Petavio Uranolog. Diſsert. Var. lib.5. cap.4. Quae denique de *Hermete* refert Plutarchus, ea de *Hermete* I. a multis explicantur; unde non erat ſane, cur ab explicitiſſimo Syncelli teſtimonio de Anno ab *Aſetho* omnium primo emendato recederetur.

XXXV. Adhaec una cum nova Anni forma, ab *Aſetho* inductus etiam Cyclus *Sothiacus*, ſive novus ſub ipſo Cyclus inceptus fuiſse Viris doctiſs. De Vignolio, Jablonskio &c. viſus eſt. Quo vero anno id factum, inde augurium faciunt aliqui primo ex Diodoro lib.1. p.39, ubi de Sepulcro diſserens *Oſimandis*, qui Straboni lib.17. p.1167, aliàs p.811. ſqq. dicitur *Iſmandes*, Thebaeorum Regis, refert aureum Circulum eidem inſculptum cubitorum 365. fuiſse, quorum quilibet ſingulis Anni diebus reſponderet, diebus ſingulis adnotato Syderum ortu, & occaſu. Atque

que *Osimandem* huncce quidem, expeditione in Bactrianos, aedificioque Thebis ampliſſimo exſtructo, atque monumentis aliis longe celebrem, qui a *Seſoſtri* indiſtinctus habetur Perizonio Orig. Aegypt. cap. 17. p. 300. ſqq., *Seſoſtri* e contra generationibus 20. anterior ſit ab Anglis Scriptoribus Hiſt. Univ. T.III. Par.II. p.52. ſqq., eumdem cum *Memnone*, ſive *Amenophe*, quem anno Mundi 3879, Chriſti vero ante natalem 1621, regnare cepiſſe, Regem XL, in Dynaſtia XVIII. Heliopolitarum VIII. fuiſſe, regnaſſeque annis 34. refert Syncellus p.72, & 151. edit. Pariſ, Ven. p.57, & 120, reputat Marſhamus in Can. Chron. Seculo XV. p.423. ſqq. *Memnonem* jam vero circa belli Trojani tempora floruiſſe perſpicuum ſit ex Homero Odyſſ. lib.4. v.188, & lib. 11. v. 521, ex Heſiodo Theog. v.984, ex Pindaro Olymp. od.2. v.148, Pyth. od.6. v.30, & Nem. od.6. v.82, ex Virgilio Aen. lib. 1. v.489, ex Pauſania lib.3. cap.3, lib.5. capp. 19, & 22, & lib.10. cap.31. &c. Quo ſit, ut belli Trojani tempore apud Aegyptios Annus jam tum *Solaris* fuerit dierum 365, atque Trojano bello ſuperior *Aſethi* aetas. Aſt enim Marſhamus p. 432. horum Scriptorum poſthabitis teſtimoniis, *Osimandem*, ſeu *Amenophim* Trojano bello annis 300. poſteriorem facit: quò fieret ipſius opinione, qua p.325. cum Marmore Arundeliano Epocha XXII. Trojana expeditio in annum Chriſti ante natalem 1218. confertur, ut *Amenophis*, ſeu *Oſimandes* nonniſi anno Chriſtianam ante Aeram 918. regnare cepiſſet. Aſt praeterquam quod annis 703. anterior *Memnon*, ſeu *Amenophis*, utqui regnare cepit ante Chriſti natalem anno 1621, ſit a Syncello, ſecummet pugnat Marſhamus, dum p.310. a *Mene* Periodi Jul. anno 1988. Cyclum *Sothiacum* deducit, ab anno ideſt ante Chriſtianam Aeram 2726; p.96. *Sothiacae* Periodi alterius, de qua Cenſorinus, exordium in Periodi Jul. annum 3330, Chriſti ante natalem 1384. confert: aſt Periodi Jul. anno 1988. additi anni 1460, pro ſecundae Periodi *Sothiacae* exordio, dant annum 3448, ſive ab anno Chriſtianam ante Aeram 2726. detracti anni 1460. relinquunt pro initio Periodi *Sothiacae* alterius annum Chriſti ante natalem 1266; p.245. ſqq. denique a *Siphoea*, ſive a *Mercurio* reformatum Annum fuiſſe, eique aggregatas *Epagomenas* exiſtimat, quem, ut innui, regnare cepiſſe Periodi Jul.

anno 3330. ſupra ſcripſerat: aſt juxta Syncelli Chronologiam *Aſetho* poſteriorem *Siphoeam* annis 173, aut 147, ideoque regnare *Siphoeam* Chriſtianam ante Aeram anno 1611, aut 1637. ſuper. §. obſervatum eſt; quo fit, ut inde ducta Periodus altera *Sothiaca* cum anno Chriſti ante natalem 150, aut 176. concurrat. Sub *Aſetho* itaque, Regni ipſius anno 20, ac poſtremo, Julianae Periodi 3389, ante Chriſtianam Aeram 1325. nova cum Anni dierum 365. forma, ſecundam initam fuiſſe Periodum *Sothiacam* annorum 1460, ſed primam, quae hanc ideſt praeceſſit, a *Mene* inceptam fuiſſe annorum 960. dumtaxat, ex duplici nempe Periodo Minori annorum 480. Julianorum, aut 487. Aegyptiorum perſuaſum habent DeVignolius Chron. T.II.lib.6. cap.4.p.667.ſq.,& p.800, ac Jablonskius in Panth.Aegypt.lib.3. cap.1. §.16. p.155. ſq.

XXXVI. Verum his obſtare videtur Herodotus lib.2.cap. 141. ſq., quo loci a *Mene* uſque ad *Sethonem*, aliis *Sevechum*, aliis *Tharacam*, cujus etiam mentio IV. Reg.XVIII. 21, & XIX. 9. occurrit, quique *Sennacheribo* aetate ſuppar ab ipſo Herodoto ſit, atque regnare juxta Syncellum p.191, alias 153. cepit anno Mundi 4756, ante Chriſti natalem 744, *Solem* bis illinc exortum, ubi nunc occidit, ac bis, unde nunc oritur, illic occidiſſe, e Sacerdotum Aegyptiorum relatione ſe didiciſſe tradit. Mirum ſane, quam ejus Interpretum locus iſte torſerit ingenia! In quibus Goguetius de Orig. Leg., Art., & Scient. diſſert. in hunc loc. edita in ea opinione verſatus eſt, ut Sacerdotes Aegyptios haec fando ad *Solis* regreſſum ſub *Ezechia* reſpexiſſe putet. Sed opinionem hancce Chronologiae Aegyptiae velut adverſam multis exſufflat Eques de Origny in Chronolog. Aegyp. T.II. ſect.4. cap.2. §.3. p.66. ſqq. Ei itaque, ſicut & mihi, veri longe ſimilior videtur Abbatis Bellangeri in Reflex. ad Relationem Itin. Aegyp. Grangeri, T. XII. *Des Jugemens ſur quelques Ouvrages nouveaux* inſerti, Herodoti loci hoc interpretatio, in qua ei ſane praeiverat Scaliger de Emend. temp. lib.3. p.197. ſq. Anno ſcilicet Aegyptiaco *Solari* dierum 365. dumtaxat, abſque ulla adpendice, abſolvendo deerant horae 5, minuta 49; e quibus anno quolibet quarto dies 1. conflatus in anno Juliano Februarii diei 24. inſeri

ſolet,

Digitized by Google

ſolet, adeoque tum Februarius dierum 29. fit, fitque inde, ut Februarii dies 24. *Bis ſexto Kalendas Martias* enuntiari ſoleat, unde *Biſſexti* eo anno nomen adhaereat. Siquidem vero haud integer dies horarum 24, ex horis 6. quater repetitis collectus, cuilibet anno quarto inferendus eſſet, deficientibus anno quolibet minutis 11. ad horas 6. complendas, eapropter quolibet annorum centuria *Biſſextus* unus, *Gregorianam* juxta reformationem, omitti ſolet. Ex hoc itaque defectu horarum 5, minut. 49. in anno *Aegyptiaco*, quo de Herodotus lib. 2. cap. 4, & Cenſorinus de Die nat. cap. 18. diſerte loquuntur, ſequebatur profecto, ut quolibet anno 4. *Sol* die 1. periodum anteverteret ſuam, adeo ut quolibet anno 4. elapſo, Anni *Aegyptiaci* caput die 1. anticiparetur, atque ita annorum 730. ſpatio ab *Aequinoctio* Verno ad Autumnale, ſive ab Aeſtivo *Solſtitio* ad Hybernum, ſive a Tropico *Cancri* ad Tropicum *Capricorni*, dilaberetur. Itaque annorum 730. ſpatio ita fiebat, ut *Sol* illic occumberet, unde fuerat exortus, alteroque ſpatio annorum 730. inde exoriretur, ubi occubuerat. Quumcumque eo temporis a *Mene* uſque ad *Sethonem* intervallo bis ita factum referat Herodotus, arguere inde fas eſt integram Periodum *Aegyptiacam* annorum 1460. tum effluxiſſe; indeque ſequitur, ut ſuapte temporis ſupputatio, quam a *Mene* uſque ad *Sethonem* annorum 11340. fuiſſe ex Sacerdotum fide eodem loci refert Herodotus, ſuo ipſorum computo prorſus, confeſſioneque propria concidat; utque, quod mea nunc propius intereſt, longe ante *Sethonem* Annus apud Aegyptios diebus 365, abſque ulla adpendice horarum 5, minut. 49, conſtiterit; atque Periodus I. *Sothiaca* ab ipſo *Mene* incepta computari ex annis 1460. ipſo ab initio ceperit. Inde concidit etiam opinio Marſhami in Can. Chron. Seculo XI. p. 310, qua putat Cyclum I. *Sothiacum*, Syncello a *Mene* inchoatum, annorum 1440. dumtaxat fuiſſe, ea ratione motus, quod a *Mene* uſque ad *Siphoeam* Annus diebus 360. dumtaxat conſtiterit: quo fiebat, ut anni 72. cum *Epagomenis* annis 73. abſque hac adpendice aequivalerent, qui vigeſies numerati efficiunt annos 1460, iſtique annis 1440. ex diebus 365. conſtantibus aequales ſunt: ex *Minori* namque Periodo annorum 730. bis repetita, uti bis repeten-

 dam

dam a *Mene* uſque ad *Sethonem* docuit Herodotus, Periodus integra *Aegyptia* Major annorum 1460. ſane, non 1440. dumtaxat, exſurgit.

XXXVII. Quamquam Herodoti locus ita Periodi hujuſce initium, exitumque haud ita ſtricte accipere nos cogit, ut illud a *Menis* anno 1. regni, iſteque a regni anno 1. *Sethonis* duci omino debeat; ſed intervallum relinquat integrum annorum *62*, quot *Menes*, annorumque 20, quot *Sethus* regnarunt; adeo ut cum Herodoto componi Syncellus queat, *Aſetho* Epagomenarum additionem acceptam referens; ſuoque perinde Marshami de Periodo I. *Sothiaca* ex annis 1440. dumtaxat compoſita opinio ſtare loco poſſit: ita nempe, ut a *Mene* uſque ad *Sethonem* annos quidem 1460. effluxiſse oporteat, quin inde tamen Annum jam tum diebus 365. conſtitiſse, ideoque Periodum I. *Aegyptiacam* annis conſtitiſse pluſquam 1440. fateri opus ſit. Niſi & Syncellus ſecummet pugnet, ac Marshami opinioni perinde officiat, quod ex Syncello in Chron. p.51. ſq. edit. Pariſ., Ven. p.41. obſervant Duumviri doctiſs. Dodvvellus in Adpend. ad Diſsert. Cyprian. §.14, & Jablonskius in Pantheo Aegyp. Par. II. lib. 3. cap.22. §§.1, & 7. p. 34. ſqq., & p. 42. ſqq. Nempe Aegyptios novam nedum Menſis, & Anni conſtitutionem, ac Periodum integram *Sothiacam* ab ortu *Sothis*, ſive *Caniculae* exordiri conſueviſse, ſed imo totius Mundi natalem diem ab hoc puncto repetere, orientis ſcilicet *Caniculae*, quo in eodem ſitu, eodemque inter ſe reſpectu *Sol*, & *Luna* ſibi invicem reſponderent. Atque ita quidem *Solis*, ac *Lunae* Ἀποκατάςασιν, qua eodem in ſitu duo Luminaria iſthaec ſibi invicem correſponderent, annorum vagorum 25. circuitu fieri credebant, Mundi vero totius, ſeu Anni *Magni*, quo Dynaſtias xxx. Regum abſolutas jactabant, Revolutionem, ſive Ἀποκατάςασιν poſt Cyclum *Sothiacum* annorum 1461. vagorum quinquies repetitum, atque vigeſies, e quo nempe Cyclo *Lunari* 25. in annis vagis, *Lunari* 19. in annis fixis aequali, in ſe ducto Periodus annorum 36525. decantatiſſima exſurgit, contingere perſuaſum Aegyptii habebant. Quam ſane Periodum annorum 36525 Aegyptiorum, quae Julianis annis 36500. reſpondet, *Mercurio* in libris Γενικοῖς, καὶ Κυραννίσι

Genicis,

Genicis, ac *Cyrannidibus* acceptam a Veteri Chronographo Aegyptio, & a Manethone referri auctor eſt Syncellus p. 35, & 52. edit. Pariſ., Ven. p. 28, & 41, juncto Jamblico de Myſter. Aegyp. Segm. 8. cap. 1. edit. Scutellii p. 131. Qua tamen in ſententia Duumviris hiſce doctiſs., Dodvvello hoc eſt, ac Jablonskio, praeivere longe ante Horoapollo in Hierogl. lib. 1. cap. 10, Macrobius in Somno Scip. lib. 1. cap. 21, Porphyrius de Antro Nymph. p. 264, Solinus cap. 32, & Aeneas Gazaeus in Theophraſto. Inde fieri itaque videtur, ut ab Aegyptiacae Monarchiae exordio Annus diebus 365. conſtiterit, ideoque cum Syncelli de Epagomenis ab *Aſetho* primum Anno aggregatis, tum Marshami, DeVignolii, ac Jablonskii de Anno primum apud Aegyptios e diebus 360. dumtaxat conſtantis, atque illius de Periodo I. *Sothiaca* annorum 1440. dumtaxat, horumque de Periodo eadem prima annorum 960. tantummodo opinio ſtare loco nequeat. Niſi, quod verius ego cenſeo, Cyclum huncce *Maximum* annorum 36525. de induſtria ex *Majori* Cyclo annorum 1460, quinquies ſupra vigeſies repetito, tam a Veteri Chronographo, quam a Manethone, uno praepoſtero, vaniſſimoque pro ingenio amplificandae Gentis antiquitatis, fuiſse conſictum, fictionis auctore *Hermete* advocato, putare quis malit.

XXXVIII. Retro nunc flectendo veſtigia, a *Mene* uſque ad *Sethonem* annos 1460. effluxiſse, ſive Periodum *Aegyptiacam* integram ſub *Mene* inceptam, ſub *Sethone* abſolutam fuiſse ex Sacerdotum Aegyptiorum fide referentem ſuperius Herodotum lib. 2. cap. 142. audivimus; *Sethonem* vero ante Chriſtianam Aeram anno 744. regnare cepiſse, regnaſseque annis 20. ex Syncello advertimus. Inde ergo a *Sethonis* anno 1, aut 20, Chriſti ante natalem 744, aut 724. retroducti anni 1460. pro initio Periodi *Sothiacae*, ideoque *Menis* etiam regni exitu, aut exordio indicant annum Chriſtianam ante Aeram 2204, aut 2184. Nihilotamen minus Syncello innixi Dominus de la Nauze in diſsert. Hiſt. Kalend., & Chron. Aegyp. Monum. Acad. Inſcrip. T. IV, & T. XIV. p. 334. inſerta, ac Goguetius de Orig. Leg., Art., & Scient. T. II. lib. 3. cap. 2. Art. 2. p. 255. ſq. anno dumtaxat Aerae Chriſtianae 134. Periodum

riodum hancce *Aegyptiacam* fuiſse abſolutam, ideoque eamdem anno Chriſti ante natalem 2322. incepiſse multis oſtendere adnixi ſunt, adeo ut eo demum anno Chriſtianae Aerae 134. dumtaxat ab Aegyptiis Anno dierum 360. antea dumtaxát tum addi ceperint dies 5. Aſt enim ex Diodoro, ac Syncello longe antea, ſub *Aſetho* ſcilicet, *Epagomenas* aggregari anno cepiſſe oſtenſum dedimus, ut id repetere non ſit opus; de Periodi I. *Sothiacae* vero initio diligentius inquirere praeſtat. Enim vero Aegyptiis primus anni Menſis eſt *Thoth*, ſive ipſorum lingua *Soth*, quo de infra; quoties autem primo *Thoth* die contingit ortus Heliacus *Caniculae*, Graecis *Sirii*, aut *Procyonis* etiam dicti Plinio lib. 18. cap. 28, tum *Thoth* dicitur *Canicularis*. Ortus hic vero *Caniculae Heliacus*, qui & *Apparens*, ad diſcrimen *Coſmici*, qui & *Verus* dicitur, Julii die 19, ſeu *Epiphi* die 25. adſignatur Hephaeſtioni apud Salmaſium Exerc. ad Solin. p.428, Doſithaeo *Lous* die 25, quae eſt Julii 19, apud Uſſerium de Anno Maced. p.122, Palladio de Re Ruſt. lib. 7, Timaeo, Lucano, Manilio, Firmico &c. apud Petavium; videndique Collectores Geoponicorum lib. 2. cap. 13. p. 52, ac Maſſonius Hemerolog. Tab. VII. col. 1. ſq. 14; Julii die 20. Diophanti Geoponicor. lib. 1. cap. 8, Theoni in Scholiis ad Aratum p. 22, Solino cap. 44, Cenſorino de Die nat. cap. 21, cujuſce locum a Librario vitiatum, poſitumque XII. Kalend. Aug. emendavit, ac reponendum XIII. Kalend. Aug., ſive diem 20. Julii, non Julii diem 21, oſtendunt Scaliger de Emend. temp. lib. 3. p. 201. ſq., Petavius Var. diſſert. lib. 5. cap. 6, Marſhamus in Can. Chron. Seculo XI. p.310, ac Dodwellus adverſus Salmaſium in Adpend. ad diſsert. Cyprian. §. 11. p. 143. ſq., conferenduſque Petavius Variar. diſsert. lib. 7. cap. 1. ſq., ubi contra Salmaſium Exerc. Plinin. p. 427. ſqq. *Caniculae* ortum, ſive *Sirii* die 8. poſt *Solſtitium*, ſive die 4. Julii in Aegypto contingere, in Italia vero Julii die 17, Plinium adfirmantem lib. 18. cap. 28. ſq. capiendum fore de ortu Sirii *Coſmico*, non de *Heliaco* multis oſtendit; Julii die 21. Metoni, ſive die 27. *Lous*, apud Uſſerium loc. cit., Ptolomaeo apud Petavium, videndique De Vignolius Chron. T. II. lib. 6. cap. 4. §. 8. p. 680. ſqq., ac Julius Pontedera Antiq. Latin., & Graecar. Enarrat.

&c.

&c. Epiſt. 43. de Anno Solari Aegyptiaco p. 365. ſqq., ubi Aegyptiaci Solaris anni, a 13. Kalend. Auguſti, ſive a Julii die 20, ducto cardine, laterculum ad Syderum ortum, & occaſum digeſtum exhibet. Aegyptius jam vero Annus dierum 365. olim dumtaxat *Juliano* dierum 365, cum horis 6, quum minor eſset quadrante, horis 6. nempe, inde fiebat, ut *Caniculae* ortus ſingulis quadrienniis diem unum anteverteret, ideoque quater anticiparetur quatuor vicibus 365; adeo ut a *Thoth Caniculari* ad alterum *Canicularem Thoth* anni *Juliani* 1460, *Aegyptiaci* 1461. intercederent. Quae ſane Periodus eſt *Aegyptiaca*, ſive *Sothiaca*, ſive *Canicularis* veteres apud Aegyptios decantatiſsima, Annus *Magnus* etiam dicta, & Annus *Dei*, Cenſorino de Die nat. cap. 18, Theoni in Schol. ad Arati Phoenom. p. 22. edit. Oxon., Theophilo veteri Aſtrologo inedito apud Gaulminium in Not. ad Vitam Moyſis lib. 1. cap. 10, Porphyrio de Antro Nymph. edit. Cantabrig. p. 264, Solino cap. 32, Syncello in Chronog. p. 35, alias 28, Aeneae Gazaeo in Theophraſto, ſive de Immort. Animae Bibl. PP. edit. Pariſ. T. XII. p. 647, aliiſque, quos conglomerare non opus eſt. Quo ſane Periodi *Aegyptiacae* ſpatio *Phoenicis* vitam circumſcripſit Tacitus Annal. lib. 6. cap. 28; *Kalendarii* Romani revolutionem fieri Dion lib. 43. p. 257. perhibet; univerſos *Planetarum* revolvi orbes ſtatuit Firmicus in Praefat.; videndique Erycius Puteanus de Biſſexto cap. 6. Antiq. Rom. T. VIII. p. 433. ſq., ubi de Periodo annorum 1440. ex annis dierum 360, de Periodo annorum 1461. ex annis dierum 365, ac Periodo annorum 1460. ex annis dierum $365\frac{1}{4}$ late diſserit; Leo Allatius de Menſ. temp. cap. 14, ac Petavius Doct. temp. lib. 3. cap. 2. ſqq., & Auctarii lib. 5. cap. 3. ſqq., ubi Salmaſium Exercit. ad Solin. p. 552. ſq., ac Scaligerum in Not. Euſeb. p. 248. de Periodo *Sothiaca* falſa diſputantes uterque refellit, ac De Vignolius Chron. T. II. lib. 6. cap. 4. §. 6. p. 671. ſqq., ubi *Phoenicis* hieroglyphico *Magni* converſionem Anni deſignari apud Aegyptios conſueviſse explicitis Horiapollinis lib. 2. cap. 57, Manilii apud Plinium lib. 10. cap. 2, ac Solini cap. 36, qui Plinium exſcribere ſolet, teſtimoniis oſtendit; inter alias vero Scriptorum de vita *Phoenicis* ſententias, Tacitum loc. cit. Aegyptiorum intime ſenſum aſsequutum admiratur. XXXIX. Quò

XXXIX. Quò cepi, ut modo pergam, atque ſuo, quo poſtulat, ut recte loco *Aegyptiacae* Periodi epocham collocare, luceque, qua pro rei gravitate multa adhuc indiget, adſpergere, ſuamque perinde ad aetatem priſci *Aegyptiaci* Anni formam redigere ſatagam, principio longe procul abs vero hujuſce in Periodi figendo cardine abſuit Nevvtonus. Is nempe Syncello, uti ſibi falſo videtur, ſuffultus in Chronologia Vet. Regnor. emendata cap. 1. edit. Ven. p. 60. ſqq., & cap. 2. p. 144. ſqq., ac p. 190. ſqq. in ea perperam opinione verſatus eſt, ut putaret ante *Ammonem*, ſive *Aſethum* patrem *Seſoſtris*, quem unum facit, eumdemque cum *Oſiride*, atque *Seſacho*, cujus ab Epiſtolis fuerit *Thoth*, Annum Aegyptiis per annos 150, fuiſſe dierum 360; ab *Ammone* fuiſſe quidem emendatum, additione facta *Epagomenarum* 5, ſed hanc Anni formam haud obtinuiſſe, niſi poſt annos 72. ab obitu *Seſoſtris*, ideſt ante Chriſtianam Aeram anno 884, ſub *Rameſſe* filio *Amenophis*, qui cum *Phamenephe*, *Mene*, *Arminone*, *Enephe*, *Venephe*, *Iſmande*, *Oſimande*, quin imo cum *Zaraba* Aethiopiae Rege, ab ipſo confunditur. Sub *Amenophis* itaque regno, Aſtronomicis factis obſervationibus, a Sacerdotibus Annum denique fuiſſe emendatum, inque rei memoriam Circulum aureum, in partes 365. diviſum, ſupra *Memnonium*, ipſius Sepulcrum ideſt, repoſitum exiſtimat. Ex horarum 6. circiter attamen defectu factum adfirmat, ut *Aequinoctium* Vernum, cui Anni principium alligatum fuiſſe putat, annorum 137. ſpatio delapſum fuerit ad diem 34. anni, quo eamdem Anni formam Chaldaeis etiam fuiſſe receptam, anno 747. ſcilicet ante Chriſti natalem, quocum Aera *Nabonaſſari* utique concurrit, exiſtimat. Verum multa heic peccari a Nevvtono recte obſervat Freretus in Defenſ. Vet. Chronolog. Obſerv. novar. gener., & cum ipſo Bougainvillaeus p. 23. ſqq., & Par. III. Sect. 1. p. 385. ſqq. Nempe praeterquamquod Aegyptiaca longe antiquior, & ab Aegyptiaca ſane altera Chaldaeis Aſtronomiae ratio uſurpata fuit, Annique forma, Ptolomaeo in Tetrabybl. lib. 1. cap. 21. teſte, pugnat diu ante *Amenophim*, cum Anni forma, Kalendarium apud Aegyptios reformatum fuiſſe; neque Circulum illum aureum, gradibus 365. diſtinctum, hujuſce tumulo adpoſi-

poſitum, ſed Regis alterius, qui ante Chriſti natalem anno 1600. vixerit, qui Diodoro lib. 1. p. 30. *Oſimandes*, Straboni lib. 17. p. 811. ſqq. *Iſmandes* dictus legitur, ideſt *Rex Regum*, quo de ſupra dictum. A *Seſoſtri* longo annorum intervallo diſtare *Seſacum*, quo de argumento fuſius a nobis, ubi de Aegyptiorum, Aethiopum &c. Aeris, agendum erit. Aegyptios adhaec Annum habuiſse *Sacrum*, ac vagum dierum 365, abſque horarum adpendice, nec non Annum *Civilem*, ac Solarem, fixum, ac communem, quorum primo Feſtis celebrandis, Sacriſque peragendis uterentur, poſteriori in rebus Civilibus, Agrorum cultura, Vectigalium ſolutione &c.; utrumque vero Annum poſt annos 1460. demum in unum coire; qua de gemina apud Aegyptios Anni ſpecie nos infra. Cyclum hunc annorum 1460, Cenſorino cap. 18. teſte, Aerae Chriſtianae anno 138, (potius anno 136, quo ſcilicet, ac ſequenti anno 137, non ſecus atque inſeq. 138. *Thoth* dies 1. in Julii diem 21. incidit, veluti Buntingo p. 267, Calviſio an. Ch. 136. p. 472, ac Petavio Doct. temp. lib. 13. p. 687. obſervatum eſt, Cenſorino ſcribendum fuiſse contendit DeVignolius Chron. Sac. T. I. lib. 3. cap. 1. §. 4. p. 570. ſq.), incepiſse; ideoque Cyclum alterum Chriſtianam ante Aeram anno 1322, (juxta Cenſorini emendationem a DeVignolio inſtitutam anno 1325), iniiſse, annis ideſt 438. Epocham antevertiſse a Nevvtono ſtatutam. Cyclum hunc imo, qui ab anno 1322. ante Chriſti natalem injit, fuiſse ſecundum, (quem tertium Aegyptii ſtatuunt); ideoque primum, (Aegyptiis ſecundum), ab anno 2782. Chriſtianam ante Aeram incepiſse; (ut eadem ab *Enoshi* obitu anno 82. inducta videri queat, ſub quo Idololatriam cepiſse aliquibus perſuaſum eſt, tam ex Judaeis R. Salomoni Jarchi ad Geneſ. IV. 26, ubi אז הוחל לקרא בשם יהוה legit: *Tum profanatum eſt in invocatione nominis Domini*, qua a lectione parum differt Paraphraſis Onkeloſi, quae ſic vertit: *Tunc ſuperſederunt filii hominum ab invocando nomen Domini*; R. Moyſes Maimonides in עברה זרה *Avoda Sarah* cap. 1, e Chriſtianis Uſſerius Annal. Vet. Teſt. p. 4, Frider. Spanhemius Hiſt. Eccl. Vet. Teſt. p. 279, Vandalaeus de Orig., & Progr. Idol. cap. 2. p. 14, Angli Scriptores Hiſt. Univ. T. IX. Par. II. cap. 9. edit. Ven. p. 190, De Mehegan

de Orig. Idol. p. 10. ſq., aliique, videndique Seldenus de Diis Syris Proleg. cap. 3, Voſſius de Orig. Idol. lib. 1, Buddeus Hiſt. Eccl. Vet. Teſt. T. I. Period. I. Sect. 1. §§. 36, & 38. p. 125, & 128. ſq.; ubi ab *Enosho* hanc ſane labem abſtergit, Sect. 2. vero §. 12. p. 193. ſq. ſub *Sarugo*, aut ſub *Abrahami* parentibus Idololatriae primam adſcribendam originem fore putat, qua de nos Par. II. Operis); hancque primam, (quae Aegyptiis ſecunda eſt), veram haberi apud Aegyptios Epocham debere ſtatuit, quacum pariter Anni dierum 365. forma inceperit.

XL. Atque principio; quod ad Syncellum quidem attinet, is profecto *Aſethum*, quem *Tethmoſis* patrem facit, anno 3. ante *Moyſis* natalem imperare cepiſse, imo anno 21, juxta Goari animadverſionem, ideoque annis 800. amplius ante *Seſachum*, adfirmat: qua proinde in re fallitur oppido Newtonus, ſi uti Syncelli fide velit, eaque apertiſſime abutitur. Sed enim Syncellus ipſe, Frereto judice, fallitur, ſecumque met pugnat, dum Periodi *Sothiacae* Epocham in *Menis* aetatem confert, in annum refert ideſt 968. ante, quam Anni forma dierum 365. recepta fuerit; qua de re fuſius infra. Quod jam vero ad Aegyptiaci Anni formam attinet, uſque ad Annum 1589. ante Chriſti natalem, quo *Moyſis* nativitas conſignatur, annis 705. ideſt prius anno 884. a Newtono ſuppoſito, Annum diebus 365. conſtantem uſu jam Aegyptiis veniſse ſic oſtendere pergit Freretus Defenſ. Par. III. p. 400. ſqq., videlicet Annum vagum Aegyptium 1589. ante Chriſtianam Aeram a die 176. hora 6. poſt *Aequinoctium* Vernum incepiſse; ſive, quod eòdem recidit, annorum 176. ſpatio, quo ab anno 884. diſtat annus 1589, Aegyptiacum Annum vagum gradibus 176. in *Ecliptica* retroceſſiſse ab *Aequinoctio* Autumnali ad Aeſtivum *Solſtitium* aſcendendo. Enim vero Hebraeis in Aegypto non alteram, quam Aegyptiaci, Anni formam adhibitam fuiſse uſque ad *Exodum* arguit Vir doctiſs. ex Exodi XII. 1. ſq., & XXXIV. 18. &c., ubi Dei juſsu Anni deinceps, quoad res *Sacras* peragendas, caput *Niſan* in Verno tempore decernitur, integra manente, quoad *Civiles* res agendas, priſtini Anni forma, a Menſe ſeptimo *Thiſri* incipientis; adeo ut *Paſchale* feſtum *Luna* 15. Menſis *Sacri* I. *Niſan*, ac feſtum *Tabernaculorum* perinde

perinde *Luna* 15. *Civilis* Menſis 7. *Thiſri* celebrandum deinceps foret, Exodi XXIII. 16, & XXIV. 2, ac III. Reg. VIII. 2, Joſepho Antiq. Jud. lib. I. cap. 3. juncto; adeoque ſcilicet, ut deinceps Anni *Sacri* exordium eſset dies 15. *Niſan*, ſive Menſis 1, *Civilis* Anni cardo dies 15. *Thiſri*, ſive Menſis 7; qua de re prolixe ſatis diſputatum eſt nobis Cap. 2. Art. 1. de Menſ., & Anno Hebraeorum &c. Jam vero ex Kalendario Judaeorum apud Bartoloccium Bibl. Rabb. T. II. p. 555, Scaligerum Iſag. Can. p. 42, Baſnagium Hiſt. Jud. T. VI. Par. II. p. 686, Torniellum Annal. Vet. Teſt. lib. I. p. 354, Spanhemium Chron. Sac. Par. I. cap. 11. ſq., admodum imperfecto apud Seldenum de Syned. Jud. lib. 3. cap. 13. §. 12. p. 1214. ſqq., ex Codice rariſſimo *Megillath Thainith*, ideſt *Volumine Afflictionis*, deſcripto, liquido conſtat Feſtum *Tabernaculorum* סכות *Succòth*, ideſt *Scenopegiae* cum Octava, Levit. XXIII. 34, diei 15. *Thiſri*, ſive Menſis 7. adfixum, in diem 178. poſt *Azymorum* feſtum incidere, ideoque anno ipſo *Exodi* in diem 177. poſt idem feſtum *Azymorum* incidiſse oportet. Inde fit itaque, Frereti opinione, quod tempore *Moyſis* Annus *Aegyptiacus*, Hebraeis itidem uſurpatus, a die 177. poſt *Aequinoctium* Vernum inceperit, ideoque Anni forma d'erum 365. jam tum adhibita fuerit, atque ideo longe ante annum 884. Chriſti natalem antecedentem Anni vagi forma diebus 365. conſtantis uſu apud Aegyptios venerit. Quae ſane Frereti, una cum hac Anni dierum 365 ratione, Periodum etiam *Sothiacam* incepiſse putantis, opinio ſi veritate nititur, quum Periodum hanc ante Chriſtianam Aeram anno 2782. incepiſse ex Manethone, & Cenſorino ſuadere adnixus ſit, qua de mox, inde conſequitur, ut ab eo jam tempore, ideſt ante *Exodum* anno 1114, Annus dierum 365. tam apud Aegyptios, quam apud Hebraeos obtinuerit. Quae Viri ſane doctiſs. conjectura vim etſi apud eos obtineat maximam, qui in ea perſuaſione obverſantur, ut putent diu ante, quam Aegyptiis, uſu pridem Anni dierum 365. formam Hebraeis de eadem a Patriarchis ipſis Antediluvianis edoctis veniſse, atque hanc ipſam potius, quam ab Aegyptiis Hebraei, ab Hebraeis Aegyptios accepiſse, qua de

 ſuper.

ſuper. Cap. 2. Art. 1. de Menſ., & Anno Hebraeorum &c.; ut utque dubitationis extra omnis aleam poſitum & ipſe putem longe ante, quam Newtono perſuaſum fuit, Anni dierum 365. formam obtinuiſse, fatendum tamen in obſcuro adhuc latere, quae Veteris Kalendarii Judaici fuerit ratio, dubitareque valde licere, an Hebraeis in Aegypto Aegyptiaci, an Hebraici Anni forma, a Patribus accepta, ſervata fuerit; numque cum Periodo ipſa *Sothiaca* apud Aegyptios Anni dierum 365. forma inceperit, quam inde certo de hacce definiri queat; ut ex ſq. planum magis fiet.

XLI. Ad Periodum quod nunc attinet *Sothiacam*, apud Aegyptios anno 884. dumtaxat ante Chriſtianam Aeram incepiſſe cenſet, ut innui, Newtonus; quo anno primus anni Aegyptiaci dies una cum *Aequinoctio* Verno concurriſſe ipſi videtur; quemve diem ideo Religioſo quodam ritu Aegyptiis cultum adnotat ex Origene contra Celſum lib. 5, quod eodem die Mundus, *Coſmica* finita revolutione, ſeu Orbium facta apocathaſtaſi, igne abſumptus ferebatur. Non Igne, ſed Aqua utique dici oportuit, cujuſmodi traditionis apud Aegyptios mentio fit a Murtady in Deſcript.MirabiliumAegyp.p.35.Verſ.Gallic. Vattieri, ubi e duobus Aegyptiacis libris antiquiſſimis, Albuonmaſſaro memoratis, conſtare refert Univerſale *Diluvium*, *Sole* in gradu 1. *Arietis*, & *Regulo* in Coluro *Solſtitii* exiſtentibus, contigiſſe. Quo loci obſervat Freretus p.391. ſq., quod *Reguli* locus anno 1689. quum fuerit in *Leonis* gradu 25. min. 31.′ 29.″, differentia proinde eſt graduum 55, 31.′ 20.″, quae ſpatium facit, juxta quantitatem motus *Syderum* in Aegyptio Syſtemate annorum 100. pro quolibet gradu, ſpatium, inquam, annorum 5552; e quibus detracti anni 1689. relinquunt annos 3463. ante Chriſti natalem pro anno *Diluvii*, ideſt annum 575. ante *Menem*: quae ſumma annis 157. dumtaxat a ſupputatione LXX. Interpretum diſtat. Adhaec vero recte Vir doctiſſ. Defenſ. Par. II. p. 246. ſq., & Par. III p. 392. ſqq. advertit Aegyptiaci Anni, non utique *Sacri*, qui vagus erat Feſtis celebrandis uſurpatus, ſed *Civilis*, qui fixus rebus gerendis inſerviebat, *Civilis*, inquam, exordium, non a Verno *Aequinoctio*, uti Newtono videtur, ſed ab ortu *Sothiaco*, ideſt *Caniculae*, duci conſue-

ſueviſſe, quo de fuſius nos infra: qui ortus poſt *Diluvium* contigerit die 45. poſt *Solſtitium* Aeſtivum, *Sole* in gradu 15. *Leonis* exiſtente; qua *Orbis* reſtauratio conſignata a duobus Aegyptiis Aſtronomis Petoriſi, & Neckpſo in Sphaera *Barbarica* refertur ex libro *Myriogeneſi*, ſive Codice Aſtrologico a Julio Firmico lib. 3. cap. 1. Qui *Sothiacus* ortus hodie ſane fit die 40. poſt Aeſtivum *Solſtitium*; anno Aerae Chriſtianae 138. incidit in diem 27. poſt idem *Solſtitium*; annoque 1322. Chriſti ante natalem die 8. in Superiori Aegypto, die 14. in Aegypto Inferiori, poſt *Solſtitium* illud contigit: adeo ut, nonniſi poſt annos 1460. ad eumdem diem regredi poſſit. Itaque Cenſorino de Die nat. cap. 21. ſiquidem teſte, Periodus *Sothiaca* finierit Aerae Chriſtianae anno 138, quo *Caniculae* ortus *Heliacus* die 20. Julii, *Sole* in gradu 26. *Cancri* exiſtente, contigit, inde fit, ut Periodus iſta anno 1323. Chriſti ante natalem inceperit, annis 439. ideſt prius, quam ſupponat Newtonus. Quo a computo parum differre utique De Vignolium Chron. T. II. lib. 6. cap. 4. §. 8. p. 682. ſq. paullo ſuperius obſervatum eſt. Nempe Periodum, qua de Cenſorinus loquutus eſt, anno Chriſti 136. abſolutam fuiſſe cenſet, indeque retroducto calculo ab anno Chriſti ante natalem 1325. incepiſſe, quo anno, juxta Kirchii obſervationes Miſcell. Berol. T. IV. p. 14. ſqq., die 20. Julii *Caniculae* ortus Aſtronomicus hora 4, *Sole* in gradu 14, min. 3.' *Cancri* exiſtente, contigit. Quem ad ipſum proxime accedunt computum Petavius Var. differt. lib. 5. cap. 6, ubi anno Chriſtianam ante Aeram 1321. die 5. Julii *Solſtitium* Verum fuiſſe commiſſum, cum *Sole* fere *Caniculam* in gradu ultimo *Geminorum* exortam, *Heliace* vero *Caniculae* ortum die 20. Julii ineunte in gradu *Cancri* 14, min. 5.' contigiſse obſervat; & Abauzitius in epiſt. die 20. Martii an. 1727. apud De Vignolium loc. cit., qua tradit anno Chriſtianam ante Aeram 1322. *Caniculae* ortum *Heliacum* factum die 20. Julii, hora 1, min. 3.', aut 4.' ante *Solis* ortum, qui tum in *Cancri* gradu 14, min. 13.' erat, nec ante horam 5, min. 4.' ortus eſt. Atque hunc ipſum annum 1323. pro initio novae Periodi *Sothiacae* Clementi Alex. Strom. lib. 1. p. 401. edit. Potteri obſervatum fuiſse, poſt Bainbrigium de Anno Canicul. p. 35, advertit Freretus p. 397. ſq. Nempe Clemens *Exodum* an-

anno 345. ante novi Cycli *Aegyptiaci* exordium, (ubi perperam Gentianus Hervetus edit. Pariſ. Latin. p. 364. pro *Canicu-lari* Periodo ſufficiendam *Trojanam* halofim, ac pro anno 345. reponendum annum 445. opinatus eſt), contigiſse explicite docet: at juxta ipſum *Exodus* ante Chriſti natalem anno 1668. commiſſus eſt, ideoque novus Aegyptiacus Cyclus, ſive *Canicularis* anno 1323. Chriſtianam ante Aeram injit: quo anno ortum *Sothiacum* die 20. Julii, *Sole* in gradu 14. *Cancri* exiſtente, factum obſervat cum Gravio in Canicular. p.37. De Vignolius porro, qui Periodi alioqui *Sothiacae* exordium haud procul hinc poſuerat, in anno ſcilicet ante Chriſti natalem 1325, quia tamen *Exodum* in annum Chriſtianam ante Aeram 1645. Chron. T.I. lib.3. cap.1. §.7. p.590. ſq. detrudit, a Clementis Alex. computo proinde annos 20. detrahere, ac pro 345, recipere 325. dumtaxat compulſus eſt. Quò fit, ut longe De Vignolio praeferenda hac in re Frereti ſupputatio, utpote Clementi Alex. conformis, mihi non videri nequeat.

XLII. Veri praeterea valdequam ſimile putat Freretus annum huncce vulgarem Chriſti ante natalem 1323. haud fuiſſe primum Periodi primae *Sothiacae*, ſed potius ſecundae, ante quam ideo prima ab anno 2783. ante Chriſtianam Aeram inceperit. Argumento eſſe Manethonem apud Joſephum adverſ. Appion. lib.1, ac Syncellum in Chronog. p. 103. edit. Pariſ., Ven. p.82., a quo Ἔτος έ *Annus* 5, ſeu verius Ἔτος ς' *Annus* 6. reponendus Goario in Emend. p.32. viſus eſt, Regni *Concharis* in Dynaſtia XVI, Regis 25. cum anno 700. Periodi *Sothiacae*, concurriſſe notatur; quique annus a vocatione *Abrahami*, juxta ipſum, fuit annus 43. Adhaec Manetho rurſus auctor eſt loxcuples apud Joſephum adv. Appion. lib.1. p.1039. ſqq. a *Seſoſtri* poſtremam ex Aegypto *Paſtorum* expulſionem factam fuiſſe anno 511. poſt primam invaſionem, quam factam a *Paſtoribus* anno 700. Periodi *Sothiacae* adfirmat. Inde fit itaque, quod *Paſtorum* haec poſtrema expulſio, ac *Seſoſtris* initium regni cum anno 1211. Periodi Aegyptiacae concurrerit, qui annus 1211. ſi fuiſſet Periodi inceptae anno 1323. ante Chriſtianam Aeram, qua de loquitur Cenſorinus, in annum 112. ante Chriſti natalem, ab *Alexandri* M. obitu 211. incidiſſet: quod nullo ſtare modo

Digitized by Google

do poteſt. Igitur annus iſte 1211. debuit eſse Periodi anterioris, quae anno 1460. ceperit ante annum 1323, ideſt cum anno 2783. ante Chriſtianam Aeram; qua in Periodo annus 1211. propterea fuit ante Chriſti natalem 1570, ante Exodum 98, juxta Frereti opinionem, eoque *Seſoſtris* ideo regnum obtinuerit, ac *Paſtores* Aegypto pulſi ab eo fuerint. Quò fit perinde, ut concidere prorſus oporteat eum Marshami in Can.Chron.Seculo IX. p.138. ſq. opinionem, qua *Paſtorum* expulſionem *Iſraelitarum* ab Aegypto exitu poſteriorem annis 354.facit; tum Nevvtoni in Chron. Vet. Reg. emend. putantis *Paſtores* illos haud alios fuiſse, quam *Chananaeos* a Joſue loco pulſos, a quibus Aegyptus primum, Africa deinde occupata fuerit; tum Joſephi, ac Euſebii in Chron. p.125, eoſque pone ſequutorum Perizonii Orig.Aegyp. cap.19. ſq. p.327. ſqq., Vallarſii in Not. ad Euſeb.p.123.ſqq. &c., *Iſraelitas* namque in Aegypto annos 430. demoratos fuiſse liquet Exodi XII. 40, & ad Galat. III. 17, quo temporis imo ſpatio annos 215, quot *Iſraelitae* demorati ſunt in Chanaam, juxta LXX. Interpretum Verſionem, comprehendi aliqui volunt, adeo ut a Vocatione *Abrahae* in Aegypto *Iſraelitae* annos 215. dumtaxat ſint demorati; ab *Exodo* vero ad Templi *Salomonici* exordium annos 480. effluxiſse conſtat III. Reg. VI. 1: quacum utraque ſupputatione profecto ſtare nequit annorum ſumma, tamquae *Paſtorum* morae in Aegypto, ideſt annorum 511, a Manethone tributa eſt, quam ea, quae *Paſtorum* ab Aegypto expulſioni, ideſt anno 98. ante *Exodum* ſequutae, adſcribitur, ita namque *Exodus* annis 98. anticipandus eſset, annique 578. ab *Exodo* ad Templi *Salomonici* aedificationem interceſſiſsent. Videndi, qui plura deſideret, Scaliger in Not. ad Euſeb., Uſſerius in Annal. Vet. Teſt. p.8, Marshamus in Can.Chron. Seculo VIII. p.102. ſq., Greaves in Deſcrip. Pyramid. p.21. ſq., Clericus ad Exodi I. 8, Michelius in Syſtem. Chronolog. ad tres SS. Bibl. Textus p.16. ſqq., aliique, quibus Iſraelitas a Paſtoribus longe fuiſse diverſos arcte perſuaſum eſt.

XLIII. Huicce tamen ex Manethone, Clemente Alex., & Cenſorino Periodi *Sothiacae* Epochae a Frereto deductae obſtare videntur Vetus Aegyptius Chronographus, a quo Periodi *Sothiacae* exordium cum ipſo *Mizraimi* initio, ſive Monarchiae

chiae Aegyptiacae cardine, anno Chriſti ante natalem 2888. conſignari obſervat Freretus ipſe; Herodotus, qui *Sothiacam* Periodum in *Sethone* finitam fuiſſe, anno ideſt ante Chriſtianam Aeram 744, ideoque in *Mene* cepiſſe anno 2204. Chriſti ante natalem auctor eſt; ac Syncellus, a quo Periodi *Sothiacae* caput in *Mizraimi* regni exordium, iſtudque in annum Mundi 2776, qui juxta ipſius computum, ante Chriſtianam Aeram fuit annus 2724, relatum fuit; quò fit, ut *Concharis* annus 6, Periodi *Sothiacae* 700, cum anno Chriſti ante natalem 2024. concurrerit. Itaque in ea opinione Freretus obverſatur, ut putet Periodum I. *Sothiacam* anno 106. poſt *Menem* incepiſſe, totidem ideſt annis tardius, quam Veteri Chronographo Aegyptio viſum eſt, annis 579. citius, quam ab Herodoto deducta fuerit, anniſque 59. prius, quam eadem a Syncello fuerit ſupputata, incepiſſeque videlicet anno 44. *Athothis*, qui proxime *Menem* in Thebaeo regno excepit. Sub *Athothe* latere *Thothum*, Graecis *Hermetem*, Latinis *Mercurium*, Aegyptiis *Anubim* etiam denominatum, facile quiſque videt, atque hunc apud Aegyptios cum *Canis* capite effingi conſueviſſe ignorat nemo. Igitur ex *Thotho*, cui Arithmeticae, Geometriae, Aſtronomiae, Calligraphiae &c. inventio a Sanchoniathone apud Euſebium Praep. Evang. lib. 1, a Socrate apud Platonem in Phaedro, ab Aegyptiis apud Jamblicum de Myſt. ſub initio tribui ſolet, *Athoti* facto, accepta referenda Viro doctiſſ., cum nova Anni Aegyptiaci dierum 365. forma, Periodus etiam *Sothiaca* videtur. Sed enim *Thoth* huncce *Sethum* nuncupari Petoſiri Veteri Aegyptio Scriptori perhibet Vettius Valens apud Scaligerum Iſag. Can. lib. 3. p. 275; ex *Athote* factum *Thoth* adſpiratum modo audivimus: igitur ex adſpirato *Seth* factum *Aſethum* arguere fas eſt. Stat itaque Syncelli integra loco ſententia de nova Anni forma ab Aſetho primum inducta. Atque ita quidem Freretus, juxta LXX. Interpretum Chronologiam arguit, quae juxta Chronologiam Hebraici Textus, ac Vulgatae *Setho* Adami filio aptanda forent: qua de re fuſe, quum de Aegyptiorum Epochis ſermo inſtituetur.

XLIV. In lineam, unde digreſſus ſum, modo regrediendo, atque ad Aegyptiorum Menſes, Annique formam, prout mihi

mihi praeſtituti operis poſtulat quammaxime ratio, reflectendo gradum, ab haecce ſub *Aſetho*, ſive ut Frereto adlibuit, ſub *Athote*, Epocha Annum Aegyptiis diebus 365. conſtitiſſe deinceps indubium haberi debet: quamvis non eadem olim *Epagomenas*, ſive dies 5. adſcititios, ſupputandi ratio Aegyptiis haeſerit, quae caeteris uſurpata Gentibus erat. Eis etenim Menſes XII. aequales dierum 30. omnes erant, quibus evolutis, dies 5. Anno expleto, Menſi nempe *Meſori* poſtremo, diemque poſt trigeſimam, aggregari ſolebant, Horo apud Macrobium Saturn. lib.1. cap.15, Herodoto lib.2. cap.4., Diodoro lib.1. p.46, Strabone lib. ult., & Heliodoro Aethiop. lib.9. p.444. teſtibus,;qui poſterior Gymnoſophiſtae Siennenſis Urbis *Hyduſpi* Aethiopum Regi,de Aegyptiorum antiquitatibus ſciſcitanti, reſponſum refert: *Nilum* nihil aliud eſſe, quam Annum, idque nomine ſignificari, cujuſce litterae cunctae Νεῖλος numerum 365. explent, quot videlicet Anno inſunt dies. Quod amplius Beroſi, Herodoti, ac Macrobii teſtimoniis de *Solari* apud Aegyptios Anno confirmat Petrus Viola de Vet., ac Nova Rom. temp. ratione Antiq. Rom. Graevii T.VIII. edit.Ven. p.173. ſq. Quae porro Graecis Ἐπαγομέναι, priſca Aegyptiis lingua Μεῖσι *Meisi*, de Serpentis nempe, cujus in circulum acti figura deſignari Annus ſolebat,nomine, Horoapolline teſte Hierogl. lib.1. cap.59, dictae ſunt. Quo loci Scaliger de Emend. temp. lib.3. p.194. pro *Meisi* reponendum *Nesi*, ideo quod hodiedum *Solaris* Anni finis Coptis *Nesi* adpellari ſoleat, fruſtra contendit; retinendumque *Mesi*, quo Aegyptiace *Rei finis* ſignificatur, docent Salmaſius epiſt.60. ad Golium p.132.ſq., ac Jablonskius epiſt. ad DeVignolium apud hunc Chron.Sac.T.II. lib.6. cap.4. p 671. Addit Plutarchus de Iſid., & Oſir. p.355. *Epagomenis* hujuſmodi apud Aegyptios indita fuiſse nomina, de quinque Deorum nempe, quos ex *Rhea* procreavit *Saturnus*, quae ſunt: Πρώτη Ὄσιρις, 1. *Osiris*, Δευτέρα Ἀρούηρις, 2. *Arveris*, qui Scaligero *Anubis* viſus eſt, Τρίτη Τυφωεὺς, 3. *Typhon*, Τετάρτη Ἶσις, 4. *Isis*, Πέμπτη Νεφθὴ, 5. *Nephthe*, quo de *Typhonis* Uxoris nomine *Nephtem* etiam vocari extremas terrae partes, quae Mare contingunt, tradit Plutarchus, Νεφθοῦν, *Neptunum* vero interpretatur Firmicus de Errore pro-

ſan. Relig. A Plutarcho haud procul abeſt Diodorus lib. 1. cap. 13, Graec. p. 9, ubi Epagomenis *Oſiridis*, *Iſidis*, *Typhonis*, *Apollinis*, ac *Veneris*, quod hiſce illi diebus in lucem editi fuiſſent, indita fuiſſe nomina refert: quos ideo dies, veluti Deorum natales, otio tranſigi Strabo, feſtos agi conſueviſſe Plutarchus teſtes accedunt, videndique Puteanus de Biſſexto cap. 5, Munckerus de Intercalatione Var. Gent. lib. 1. cap. 2. p. 5. ſqq., ac Marshamus in Can. Chron. p. 246.

XLV. Non ita perſpicuum eſt, quo demum tempore Aegyptiis perſpectum evaſerit, Annum praeter dies 365. conſtare inſuper horis 6. circiter: quod ſero admodum factum exiſtimant Marshamus in Can. Chron. Seculo x. p. 245. ſq., ac Goguetius Orig. Leg. &c. T. II. lib. 3. cap. 2. p. 258. Qua in re haud parva inter Eruditos lis intercedit, aliis opinantibus plurima jam ab aetate Annum dierum 365. cum quadrante Aegyptiis tum compertum fuiſſe, cum uſurpatum; contra pugnantibus aliis id poſteriori admodum ſub aetate factum; aliiſque demum litem hacce componere ratione ſatagentibus, ut Annum apud Aegyptios in *Sacrum*, ac *Civilem* diſpeſcerent, ita ut *Sacer* diebus 365, ulla abſque horarum adjectione, conſtaret, *Civilis* vero diebus 365, & quarta diei parte fere componeretur. Atque principio Aegyptiis omnium primis utique, probeque *Solis* periodum fuiſſe perſpectam, ideoque ad ejuſdem curſum Annum exigi conſueviſſe, tradit Macrobius Satur. lib. 1. cap. 12. Quamquam hanc potius laudis partem Chaldaeis adſcriptam Herodotus voluit, uti ſuperius dictum eſt; atque Chaldaeis inſuper *Caeleſtium* Menſium diſparem ab Aegyptiis, atque Graecis in Parapegmatum, ſeu Ephemeridum deſcriptionibus adhibitam fuiſſe menſuram obſervat Plinius lib. 18. cap. 25. Nempe Chaldaeis, inter alia, Brumale *Solſtitium* die 1. *Peritii*, ſive Nono Kalend. Januarii obſervari notat Columella lib. 11. cap. 2, quod *Solſtitium* Aëtio in Parapegmate die 31. *Audinaei*, Euctemoni die 2. *Peritii*, Eudoxo die 5. ejuſdem *Peritii* conſignatur; *Plejades* etiam Chaldaeis *Artemiſii* die 12. occidere, quae Athenienſibus die 9, aut 10, Boeotis die 11. ejuſdem Menſis occultantur; *Hyades* inſuper, quae Atticae die 23. ejuſdem *Artemiſii* occidunt, die 27. Chaldaeis occul-

occultari ex Plinio adnotat Uſſerius in Ephemer. Anni Maced., & Aſiani p. 119; non ſecus atque *Canis*, *Aquilae*, *Orionis*, *Procyonis*, *Vindemiatoris*, *Sagittae* &c. ortum, & occaſum aliis diebus Chaldaeis obtingere, quam Aegyptiis, atque Graecis occidant, idem obſervat p. 120. ſqq. Certiſſime vero, ſi unquam, magis, a Pythagorae, ac Platonis aetate, magiſque ab *Alexandri* M. Epocha, Aſtronomiae ſtudium ab Aegyptiis excultum ſuadere videtur, eis demum *Solis* Periodum approbe perſpectam evaſiſſe, ad eamque Anni ſpatium exactum fuiſſe. Et Eudoxus ſane Platonis diſcipulus ſatis non habuit, quae de hujuſmodi ſcientia Athenis hauſerat, niſi in Aegyptum circa Olympiadem 102. profectione adornata, commendatitiis impetratis ab *Ageſilao* Lacedaemonum Rege litteris ad *Nectanebum* Regem Aegypti poſtremum, Aſtronomicarum a peritis Aegyptiis factarum obſervationum copiam quocumque ſibi pretio compararet. Atque ab Eudoxo ibidem edocto rationem inde quadriennio quolibet diem unum intercalandi in Graeciam inlatam fuiſſe teſtis accedit Plinius lib. 2. cap. 4. Regibus, qui poſt *Alexandri* fata Aegypto praefuere, cordi quammaxime fuiſſe curam hancce, ſcientiamque conſtat, conquiſitis undequaque praemioque Alexandriam allectis, Viris in Aſtronomica re peritiſſimis. In quibus eminentiores fuere Conon, Ariſtyllus, Timocharis, Eratoſthenes, Hipparchus &c. apud Ptolomaeum Almag. lib. 3, & 7, Cleomedem lib. 1. &c. Ex his proficiens ſane Ptolomaeus ipſe celebre illud elaboravit Almageſtum, quo theoriam, ac tabulas motuum *Solis*, *Lunae*, *Planetarum*, ac *Syderum* complexus eſt. Quod opus e Graeco Arabice, (namque Latina demum Civitate *Friderici* II. Imp. juſſu donatum fuit), deinde verſum eſt *Almamonis*, ſive ablato articulo, *Mamonis* Babylonis Caliphae, Habbaſſidarum ſeptimi, juſſu anno Mundi 6324, juxta Chronicon Orient. Ver. Ecchel. p. 49, verſ. Aſſemani p. 49; ejuſdemque juſſu in planitie Senaar, ubi olim ſtetit Babylon, Aſtronomicae iteratae obſervationes ſunt, quibus emendatae Ptolomaei Tabulae. Tribus poſt Seculis eadem in planitie Babylonis *Gelaleddini MeliKſchani*, Sultani Selgiukidarum tertii, juſſu Aſtronomicae peractae ſunt obſervationes, earumque ope Perſicus emendatus fuit Annus, quo de affatim,

opinor, ſuper. Art.II. de Perſ. Menſ., & Anno §.52. ſq. diſputatum eſt; conferendique Renaudotius in Tract. de Sphaera Monum. Acad. Scient. Pariſ. T.I. Par.II. p.3. ſqq., & Rollinus Hiſt. Antiq. Aegyp. &c. T.II. p.442. Ad haec tam locupletes, quam liquidi auctores ſunt Diodorus lib.1. p.46, ac Strabo lib.17. p.806., Thebaeos Sacerdotes diu pridem a *Thoth* edoctos fuiſſe de *Epagomenis* nedum, ſed etiam de quadrante diebus 360, ad *Solaris* Anni complementum, adjungendo. Prae his autem praeſtat Horuſapollo, qui ſub Theodoſio Imp. ſcribebat, in Hierogl. lib.2. cap.89, ubi diſertiſſimis verbis teſtis accedit Aegyptiis ab ortu *Sothis*, ſive *Caniculae* ad alium ejuſdem Aſtri ortum, ſpatio dierum 365. adjungi quartam diei partem Τεταρτον Ἡμέρας, & quolibet quadriennio diem *Intercalarem* dinumerari Περισσὴν Ἡμέραν. Quem ſane Horiapollinis locum a Scaligero de Emend. temp. lib. 3. p.196. prolatum, veluti pſeudepigraphum inficiatus Petavius Doct. temp. lib.3. cap.2, ſuggillari meruit a Ludovico du Four Longuerue Diſſert. de Var. Epochis cap.1. §.8. p.11, ubi oſtendit Petavium Hori editionibus mancis uſum, ac mutilis, atque locum integrum legi in editionibus Auguſtana *Wechelii*, Pariſina *Merceri*, Morelliana &c. Hiſce denique congruunt Cenſorinus de Die Nat. cap.18, & Macrobius Saturn. lib.1. cap.14. ſq., ſubjungens *Julium* Caeſarem ab Aegyptiis, quorum ſapientiae aliquot dies operam dederat, formam Anni hauſiſſe, eorumque imitatione ad *Solis* numeros, qui diebus 365, & quadrante curſum conficit, Annum dirigere didiciſſe. Videndi Lilius Gyraldus de Menſ., & Ann. p.46, Scaliger de Emend. temp. lib.4. ſub init. p. 227, Munckerus de Intercalat. lib.1. cap.2. §.4. p.11. ſq. ſq., & lib.3. cap.3. p.118. ſqq., Jablonskius Panth. Aegyp. lib.2. cap.1. §§.9, & 16. p.143, & 155, DeVignolius de Annis Aegypt. §.9. Miſcell. Berolin. T.IV. p.5. ſqq., qui inde antiquiſſima ab aetate apud Aegyptios ex Annis inaequalibus Cyclum tam *Minorem Canicularem* annorum 4, quam *Majorem* annorum 477. confectum opinatur.

XLVI. Hiſce tamen nihil obſtantibus, apud Aegyptios Annum diebus 365, abſque ulla horarum adpendice, conſtitiſse perſua-

perſuaſum arcte habuere Petavius Doct. temp. lib. 3. cap. 2, Leo Allatius de Temp. Menſ. p. 174, Ubbo Emmius Oper. Chronolog. p. 19, Erycius Puteanus de Biſsexto cap. 5, Salmaſius Exerc. in Solinum p. 553, Marshamus in Can. Chron. p. 245. ſq., Averanius diſsert. de Menſ. Aegypt. &c. Et Herodotus ſane, Hiſtoriae pater Ciceroni vocatus, qui Diodoro auctoritate longe praeſtat, de rebus praeſertim Aegyptiis, ipſi apprime perſpectis, agens, in Euterpe lib. 2. cap. 4. non alteram apud Aegyptios, Seculi v. ante Chriſti natalem ſub dimidio, Anni formam agnovit, quam quae ex diebus 365. dumtaxat componebatur. Thales adhaec, qui annis 640, Olymp. 35. anno 1. natus, Chriſtianam antevertit Aeram, atque diſciplinis ab Aegyptiis egregie fertur imbutus apud Diogenem Laertium lib. 1. ſegm. 27, & Clementem Alex. Strom. lib. 1. p. 352. edit. Sylburgi, primus apud Graecos Anni formam ex diebus 365. dumtaxat inſtituiſſe legitur: quod argumento eſt ſane tum adhuc Aegyptiis Annum diebus 365, abſque ulla horarum 6. adjectione, conſtitiſse. Junge, quod longe poſt adhuc, Plutarchi hoc eſt tempore, ipſo lib. de Facie in Orbe Lunae p. 932. teſte, ab Aegyptiis *Luna* tellure vicibus 72. minor habebatur. Methodus quoque, quae Aegyptiis uſurpabatur dignoſcendi proportionem diametri *Solis* ad ejuſdem orbitam, valdequam imperfecta apud Macrobium in Somno Scipion. lib. 1. cap. 20. adparet. Ex quo & illud arguere licet, nec ante haec tempora Chaldaeos, Aſsyrios, & Babylonios melius de *Solis* periodo diebus 365, ac horis 6. circiter inſuper complenda, fuiſse conſcios. Et certe ante Hipparchum Aſtronomiae rudes admodum Graecos, queis alioqui Chaldaeorum, Aegyptiorumque penetralia omnia pervadendi facultas ſaepe fuit, ſiquidem fuiſse liquido conſtet, inferiuſque planum fiet, ex hac ideo foeda Graecorum ignoratione ignorantiae proculdubio cum Chaldaeis Aegyptios convincere fas eſt: qua de Joh. Morinus in epiſt. ad Vendelinum Antiq. Eccleſ. Orient. p. 222. ſqq., atque pleraque ſuppeditabit Goguetius Orig. Leg., Art., & Scient. Par. III. lib. 3. cap. 2. Art. 2. p. 100. ſqq. Quo loci Vir doctiſs. & illud obſervat ab Aegyptiis profecto accepiſse Pythagoricos dogma de *Telluris* circa *Solem* converſione, qua de Monum. Acad. Inſcrip. T. IX. p. 2.

p. 2. ſqq.; Pythagoricos iterum, Graecoſque alios, *Orphaeo* praeeunte, apud Proclum in Timaeo lib. 4. p. 283, Plutarchum de Placitis Philoſ. lib. 2. cap. 13, Euſebium Praep. Evang. lib. 11. cap. 19, Stobaeum in Eclog. Phyſ. lib. 1. p. 54, & Jamblicum in vita Pythagorae cap. 34, Aegyptiis acceptum referre dogma de *Planetis*, totidem velut Orbibus, inhabitatis. Explicitiſſime ſed enim a Theone Alexandrino in Fragmento, a Dodvvello Adpend. ad diſsert. Cyprian. p. 29. edit. Felli edito, quod ab Uſſerio in Annal. Vet. Teſt. non recte Ptolomaeo tribuitur, a Theone, inquam, in Fragm. inſcripto Ἐις τοὺς προχείροις Κανόνας, ubi *Graecum*, ſive Alexandrinum *Julianum* fixum cum *Aegyptiaco* vago Anno comparat, in eo differre ambos illos traditur, quod *Graecus* diebus 365$\frac{1}{4}$ conſtaret, *Aegyptiacus* vero diebus 365. praeciſe, ulla abſque quadrantis adpendice: conferenduſque Petavius Var. diſſert. lib. 5. cap. 3. Facit & huc approbe Geminus apud eumdem Petavium Doct. temp. lib. 3. cap. 2, qui Iſag. p. 123. diverſo de apud Graecos, & Aegyptios feſtos agendi dies more obſervato loquens, quò Graecos ſtatis feſta celebrare temporibus fuiſse ſollicitos, eò Aegyptios feſta laxatis habenis per omnes vagari anni tempeſtates in placito habuiſse, habereque idcirco fluctuantem annum fuiſse delectatos fide adfirmat ſua.

XLVII. Quod vero rem conficere procul dubio videtur, Ptolomaeo quoque in Almageſto paſſim, quin & Theoni iterum in Comment. perſaepe, Aegyptios annos ſupputare vagos ſolemne fuiſse, multis oppido, indubitatiſque demonſtrandum ex utroque locis adſumpſit Nicolaus Averanius in diſsert. de Menſibus Aegyptiorum, cui notas adjecit Noriſius. Poſtquam enim claris utriuſque teſtimoniis cap. 1. Aegyptiorum Menſes e diebus 30. compoſitos oſtendiſset, cap. 2. eorumdem ordinem, ac ſeriem exhibuiſset, cap. 3. ſqq. Aegyptiacum inde Annum diebus 365. conflatum, adjectis nempe *Epagomenis* ad *Meſoris* finem, ultimi ſcilicet Menſis, demonſtraſſet, cap. 6. cum ex Ptolomaei Almageſto, tum ex Theonis in Comment. locis explicitiſſimis, innumeriſque planum fecit Aegyptiorum Menſes per omnes anni tempeſtates impune pervagatos fuiſſe. Quod ipſum perinde confirmat cap. 7. ſq., inde factum oſtendens, ut Aegyptiorum Menſes ita per annum vagarentur, quod in

Digitized by Google

in anno quarta diei pars, qua diebus 365. major eſt *Solis* anniverſaria Periodus, nihili apud Aegyptios haberetur. Et quidem quod quarto quoque anno dies *Intercalaris* ab Aegyptiis non interponeretur, ex Ptolomaeo lib. 3. cap. 2. p. 60. comprobat, quo ille loci tradit anno 17. tertiae juxta *Calippum* Periodi *Aequinoctium* Autumnale contigiſse die 30. *Meſoris*, anno 21. vero ejuſdem Periodi idem Autumnale *Aequinoctium* accidiſse die 1. *Epagomenarum*. Itaque ſiquidem eodem die 30. *Meſoris* haud contigerit, indicium eſt evidens eo quadriennio diem haud fuiſse intercalatum. Quod neque deinde dies intercalati fuerint, aut bini octavo anno, aut terni duodecimo, aut quaterni anno decimoſexto, pergit Vir doctus ex Ptolomaeo ibid. demonſtrare: ubi ſcribit anno 36. Periodi tertiae *Calippicae* Autumnale *Aequinoctium* commiſſum fuiſse *Epagomenarum* die 4. Sed enim, ſi Intercalatio interceſsiſset, hos intra annos 19, qui inter annum 17, & 36. interfluxere, *Aequinoctium* contingere oportuiſset aut die 30. *Meſoris*, aut die 1. *Epagomenarum*. Eodem iterum loci Ptolomaeus auctor eſt anno 32. ejuſdem Periodi *Aequinoctium* Vernum incidiſse in diem 27. *Mechiris*, & anno 43. in ejuſdem Menſis diem 29. Inde perſpicuum itaque fit per hos annos 11. diem non fuiſse ſuperadditum. Praeterea ibid. Ptolomaeus tradit anno 32. dictae Periodi Autumnale *Aequinoctium* attigiſse diem 3. *Epagomenarum*, poſt annos 285. vero in diem 29. *Athyris* incurriſse, ideſt diebus 70. poſt fuiſse commiſsum: quod argumento eſt certo per annos 285. nullum fuiſſe prorſus diem intercalatum, alioquin ante dies 70. *Aequinoctium* Autumnale committi oportuiſset. Adhaec eodem lib. 3. cap. 2. p. 62. poſtquam ſcripſiſset *Aequinoctium* Vernum *Mechiris* die 27. contigiſſe, poſt annos 285. contigiſse docet die 7. *Pachon*, ideſt diebus 70. poſt primum. Igitur neque eo temporis intervallo intercalatum eſt, caeteroquin ante 70. dies *Aequinoctium* accidiſſet. Ex duobus idipſum *Solſtitiis* Ptolomaeo obſervatis Vir doctus confirmat, quorum unum die 21. *Phamenoth* mane, alterum *Meſoris* die 11. media nocte obſervatum eſt: quae duo inter *Solſtitia* anni 571. ſane interceſsere, ideoque *Solſtitium* poſterius commiſſum eſt proculdubio poſt dies 140, 50. Si itaque dies

dies *Intercalares* annis 571. inſerti fuiſset, non eſt dubium, quin longe ante dies 140, 50. *Solſtitium* illud poſterius commiſsum fuiſset. Poſtremo teſtis accedit Ptolomaeus lib.4.cap.8. p.102. in annis 615. comprehendi dies 224475: ducto inde calculo annos ſingulos diebus 365. dumtaxat, ulla abſque quadrantis adpendice, conſtitiſſe ſit liquidum. Conferendus ibidem Averanius ubi multis aliis ex Ptolomaeo, ac Theone illuſtrare, confirmareque pergit: quo loci p. 53. Diagramma inſuper per annos 300. digeſtum exhibet dierum, quibus annus *Solaris* Aegyptiacum excedit, non ſecus atque graduum, quibus *Sol* deficit ab integris Periodis in anno Aegyptiaco: quod, Averanii liber ſiquidem rarus admodum ſit, ac pauca impreſſa fuerint exemplaria, Diagramma heic deſcribere haud poenitendae operae pretium exiſtimo. Ex hacce namque Tabula patet, quod juxta Ptolomaeum *Sol* Periodum ſuam peragit diebus 365. 14. 48, ideoque diem Aegyptiacum diurno ſpatio *Sol* excedit horis 0. 14. 48, quo ſpatio peragrat *Sol* gradus 0. 14. 35. 14. 38. 51. 28. 31. 12, ita ut anno 2. duplo temporis, & graduum, anno 3. triplo temporis, & graduum, ac ita deinceps, Annum *Aegyptiacum* antevertat, adeoque ut anno 5. Annus *Solaris* die 1. 14. ſupra *Aegyptiacum* excreſcat, atque *Sol* gradu 1. 12. 56. 13. 14. 17. 25. 36. anni *Aegyptiaci* revolutionem excedat, & ita de ſqq. annis, quod multis ex Ptolomaeo ductis p.54. ſqq. confirmat.

DIA-

DIAGRAMMA

DIERUM *Quibus Annus Solaris Annum excedit Aegyptiacum.*			GRADUUM *Quibus Sol deficit ab integris Periodis in Anno Aegyptiaco.*	
Anni.	Dies.	Horae.	Gradus.	Minuta. Secunda.
1.	—	14. 48.	—	14.35.14.38.51.28.31.12.
2.	—	29. 36.	—	29.10.29.17.42.57. 2.24.
3.	—	44. 24.	—	43.45.43.56.34.25.33.36.
4.	—	59. 12.	—	58.20.58.35.25.54. 4.48.
5.	1.	14.	1.	12.56.13.14.17.25.36.
25.	6.	10.	6.	4.41. 6.11.27.11. —
75.	18.	30.	18.	14. 3.18.34.21.33.30.
150.	37.	—	36.	23. 6.37.37. 8.43. 7.
300.	74.	—	72.	56. 3.14.17.26.14.

XLVIII. Conciliare inter ſe iſta ſtudent Docti plerique, duplicem apud Aegyptios diſtinguendo Annum, *Sacrum* nempe, ſeu Heliacum, vagumque ad *Caniculae Φασιν* conſtitutum, qui diebus 365, ulla abſque horarum adpendice, conſtaret, *Naturalem* alterum, ſive Thebanum, fixumque ad *Solis* periodum exactum, qui diebus 365, horiſque 6. praeterea componeretur. Quam tamen diſtinctionem inanem, fictitiumque duplicem Annum iſtum contendunt alii plerique. In quibus Ludovicus du Four Longuerue de Var. Epochis cap.3. §.8. p.104. Gemini, quem Syllae, ac Ciceroni aetate ſupparem oſtendit Petavius Doct. temp.T.III. Uranolog. in Praefat., & in Not. ad Gemini Iſag. p.410. ſq., teſtimonio ſuffultus Element. Aſtron., ſive Iſag. cap.6. edit. Petavii ibid. p.33, quo adverſae opinionis patronos abuti putat, ſuadere nititur, tum adhuc temporis Aegyptiis unicum, eumdemque *Vagum* adhibitum fuiſſe Annum, antequam *Auguſtaeus*, ſive *Actiacus* ab ipſis Annus *Fixus* admitteretur, ante nempe Correctionem anni *Romani* a *Julio* Caeſare inductam: loquitur enim eo loci Geminus praeciſe de ſacris Deorum Feſtis per omnes anni tempeſtates libere

peragrantibus; quamobrem ab Aegyptiis *Diei quadrantem non intercalari* adfirmat, *Ut ipſis Feſta anticipent*. Poſt *Auguſti* vero tempora, Menſes Aegyptiis fixos, atque fixa diebus Feſta uſurpari, agique cepiſſe inde pergit oſtendere cum ex Plutarcho de Iſid., & Oſir. edit. Graeco Latin. p.*366*, tum ex Seldeno de Diis Syris Syntag. 2. cap. 11. p.*335*, qui *Iſia*, ſive *Iſiaca* Aegyptiis celebrata a die 17. *Athyr* ad diem 20, ea namque Πένθιμα, & *Lugubria* fuiſſe ſcribit Plutarchus, perhibent. (*Athyr* porro Menſem ab *Athor* Aegyptiis, *Urania* Arabibus, *Venere* Graecis, dicta etiam *Iſide*, teſtimoniis Orionis Grammatici apud Etymologicum M., & Heſychium, Herodoti lib. 2. cap. 41, Strabonis lib. 17. p.*552*. edit. Caſaub., ac Plutarchi de Iſid. p.*366*, denominatum fuiſſe probat Jablonskius Panth. Aegyp. lib. 1. cap. 1. §. 2. ſqq. p. 3. ſqq.) Atque Menſem hunc Aegyptium, *Athyr* nempe, cum Attico *Pyanepſione*, quo Graecis, ac Juliano *Novembri*, quo Romanis, uti liquet ex Romano Kalendario Ruſtico, in Marmore quadrato inſcalpto, apud Gruterum p. 138, idem Feſtum ſolemne habebatur, Vir doctiſſ. ibid. comparat: quo cum conferendus, qui hac ipſa in re ipſi praeivit, Petavius in Not. ad Geminum Uranologiae p. 411. Contra vero Cl. Maffejus Antiq. Gall. Epiſt. 8, ac Muſei Veron. p. 482. novam hancce ſub *Auguſto*, fixamque Anni formam, ad Aegyptios quoque translatam, Veterum teſtimoniis omnino deſtitutam adfirmare non dubitat, atque Veteris Anni *Vagi*, poſt etiam *Auguſti* tempora, in Aegypto perſtitiſſe rationem pugnat. Cenſorinum, quod attinet, ipſum ſubjungit id unum ſcripſiſſe, *Auguſtorum* annos ab Aegyptiis aliter, quam a Romanis computari. Dionem adhaec id unum voluiſſe Aegyptiis annos impoſterum ab *Actiaca* victoria auſpicari cepiſſe. CaeterumAegyptios Annum a *Januario* nunquam incepiſſe inde liquere, quod Plinius lib. 6. cap. 23. *Mechiris* diem 6. cum *Idibus* Romanis commiſerit: quod Porphyrius de Antro Nymphar. Anni initium Aegyptiis a*Cancro* deſumi ſcripſerit: quod Cenſorinus cap. 21. anno U. C. 981. Aegyptiacum Annum die 20. Julii cepiſse auctor ſit, anno vero U. C. 991. cepiſse Junii die 25. ſubjungat: quod Geminus loc. cit. diſerte tradiderit diei quadrantem Aegyptiis in anni ſupputatione praetermitti. Rem denique

nique confici prorſus cenſet Marmore Graeco, quod *Auguſti* anno 55, U. C. 779. ſculptum eſt, in quo diſerte legitur Decretum quoddam a Judaeis, Berenicem in Africa Cyrenaica inhabitantibus, editum Ἔτȣς ιέ Φαώφ κέ ἐπὶ συλλόγȣ τῆς Σκηνοπηγίας. κλ: *Die* 25. *Phaophi*, tempore Judaicae *Scenopegiae*, ſive T*abernaculorum*: quod Feſtum a die 15. *Thiſri* ad diem 22. agebatur. Siquidem igitur ex Syncello dies 15. *Thiſri* in diem 7. *Octobris* incideret, ut dies 25. *Phaophi* inter diem 15, & 22. *Thiſri*, ſive diem inter 7, & 14. *Octobris* cadere poſset, diem 1. *Phaophi* inter diem 12, & 19. *Septembris*, ideoque diem 1. *Thoth* inter diem 13, & 20. *Auguſti* incidere oportuit.

XLIX. Verumtamen hiſce Virorum doctiſs. conjecturis obſtant manifeſte, & Longuerue quidem explicitiſſima Horiapollinis apud Bainbrigium de Anno Caniculari cap.4. p.26, atque Vettii Valentis Antiocheni Aſtronomi, Ptolomaeo ſynchroni, Antholog. lib. 1. teſtimonia, quibus duplex profecto apud Aegyptios Anni ſpecies vagi *Sacri*, atque *Civilis* fixi diſtincta legitur. Cenſorini etiam, ac Theonis, velut in Notis ad Longuerue de Var Epoch. cap.3. §.8. p.104. & cap.16. §.19. p.187. obſervat Matur. Veiſs. la Croze, Cenſorini quidem, a quo cap.21. duplex apud Aegyptios Annus diſtinguitur, atque ita ſane, ut *Sacer*, vagus, ac retrogradus ſingulis quadrienniis a *Naturali*, Juliano, ac fixo integro diei ſpatio retrogrediendo aberraret, adeoque ut Periodo *Sothiaca* annorum 1460. Julianorum exacta, ad eumdem uterque diem annus regrederetur. Atque ita *Thoth*, qui, eodem Cenſorino teſte, anno U. C. 891, Aerae Chriſtianae 138. die 20. Julii inceperat, anno U.C. 895. die 19. Julii incipere debuit; eumdemque *Thoth*, Annique principium iterum anno U.C. 991, quo ipſe ſcribebat, in diem 25. Junii incidere oportuit, ut anno demum U.C. 2351. *Thoth* idem ad eumdem diem 20. Julii, poſtquam ideſt per annos 1460. pervagatus fuiſset, denuo regrederetur. Theonis vero, qui apud Golium in Not. ad Alfraganum p. 46. ſq., ac Dodvvellum in Adpend. ad diſsert. Cyprian. p. 169. ed. t. F. lli, haud obſcure tradit Alexandrinos quidem poſt *Auguſtum* intercalaſse, ceteros Aegyptios vero gentiles Anno uti aequabili, & vago non deſiiſse, cujuſce Theon ipſe componendi cum Anno

 fixo

fixo *Actiaco* rationem ibidem ſuppeditat. Maffei vero conjecturas prorſus evertit omnes explicatiſſimum Dionis lib.51. p.523. teſtimonium, a quo perſpicue traditur Romano a Senatu, proximo *Actiacam* poſt victoriam ab *Auguſto* relatam, anno Aegyptum ingreſſo, decretum fuiſse, Ἐς τὰ ἔπειτα ἔτη ἀρχὴν τῆς ἀπαριθμήσεως αὐτῶν νομίζεσθαι, ut dies, quo Alexandria capta eſt, feſtus deinceps haberetur, ab illoque annorum impoſterum numerandorum initium deſumeretur: qui inde ſane numerari nequiviſſent, niſi fixi iidem fuiſſent. Adhaec ex Theone non modo, quo de ſupra, ſed ex Theone antiquioribus Clemente Alex., & Anatolio, ac Theoni coaevo S. Epiphanio planum fecit Dodwellus in Adpend ad diſſert. Cyprian. §. 4. ſqq. aliam fuiſſe Inquilinis Graecis Alexandrinis, Aegyptiiſque reliquis Indigenis aliam deinceps Anni rationem initam nedum, verum etiam aliam Scriptoribus Chriſtianis uſurpatam, aliamque Gentilibus; Alexandrinis nempe, atque Chriſtianis receptam fuiſſe ſtabilem, fixamque, *Solari* Anno *Juliano* reſpondentem, qualis in deſignando Chriſti D.Natalis, aut Baptiſmi, aut Obitus die, Clementi, Anatolio, S. Epiphanio uſu frequenti venit. Et Clemente Alex. teſte quidem Strom.lib.1.p.147. edit. Sylb., Pott. Ven. T.I. p.407, ab aliquibus Chriſti Natalis conſignatur anno 28, (mendoſe 28, ac recte 29. legendum adnotat ibid. Potterus, ac conferendus Pamelius in Not. ad Tertulliani lib. adv. Judaeos cap. 8.), *Auguſti*, die 25. *Pachon*; ab aliis die 24, aut die 25. *Pharmuti*. Baptiſmus anno 15. *Tiberii*, die 15. *Tybi*; ab aliis die 11. ejuſdem Menſis. Paſſio vero ab aliquibus anno 18. *Tiberii*, die 25. *Phamenoth*; ab aliis *Pharmuti* die 19, aut 25. Sed enim *Pachonis* dies 25. perperam cum Decembri conjungitur a Pottero; contra vero a Sylburgo, & Chriſtmanno ibid. in Not. ex duplici Kalendario MS. *Pachonis* dies 25. cum die 20. Maji conjungenda oſtenditur. Atque revera diei 20. Maji reſpondere *Pachonis* diem 25. liquet ex Kalendario Hebr. Aegyp., & Rom. edito a Goario ad calcem Chronog. Syncelli edit.Ven. p.4: ex quo ſequitur Anni fixi Aegyptiaci initium, *Thoth* ideſt diem 1. in diem 29. Auguſti, uti dictum, incidiſſe. Baptiſmum Chriſti quod attinet, a Baſilidianis in diem 15. *Tybi* conjectum, diem hunc reſpondere diei

10.

Digitized by Google

10. Januarii; a quibus vero in *Tybi* diem 11. conjicitur, diem hunc cum Januarii die 6. coincidere obſervat Cotelerius ad Conſt. Apoſt. T.I. lib.5. cap.13. p.315. ſq. Quo loci & illud advertit Aegyptiis Natalem Domini celebrari die 29. *Chojac* cepiſſe, atque diem hunc cum die 25. Decembris concurrere, ex titulo Homiliae a Paulo Emiſeno habitae Alexandriae coram S.Cyrillo Alex., Concilii Epheſini Par.III. cap.31; erroremque corrigit Euthymii in Panoplia, ubi Opere pſeudepigrapho Quaeſt. ad Antiochum q. 54, S.Athanaſio perperam adſcripto, deceptus ex S. Athanaſii ſententia Chriſti D. Conceptionem diei 25. Martii adſtingit; quem & Armenis, non ſecus atque Nativitatem, ac Baptiſmum die 5. Januarii, ſolemnem haberi ſubjungit. Porro *Tybi* diem 15. reſpondere diei 10. Januarii, ſicuti Januarii diei 6. diem 11. *Tybi*, atque diem 29. *Chojac* diei 25. Decembris, liquidum fit ex Kalendario Goariano p.5. Extat & inſigne Anaſtaſii Nicaeni Fragmentum Conſtit. Apoſtol., non quidem in Quaeſtionibus a Gretzero editis, neque in Conſtitutionibus Apoſt. editis a Turriano, bene vero in editione Gentiani Herveti, quodque ex Codice Ms. Regio Pariſ. n.1789. profertur a Cotelerio in Judicio de Conſtit.Apoſt. T.I. p.197. ſq., indeque deſcriptum eſt Pottero ad Clementis Alex. Strom. lib.1. p.408: ubi Chriſti D. Nativitas *Chojac* die 29, in margine 8. Kalend. Januarii notatur; Baptiſmus *Tybi* die 11, in marg. Januarii 6; Mors *Phamenoth* die 29, in marg. die 25. Martii; Reſurrectio *Pharmuthi* die 1, in marg. Martii 27; Aſcenſio *Pachon* die 10, in marg. die 5. Maji conſignantur. Atque ita plane in Kalendario Goarii Menſium Aegyptiorum dies approbe reſpondent diebus Romanorum Menſium. Citata p.197. Chriſti D. Mors *Phamenoth* die 23. notatur: ſed corruptus locus emendandus eſt ex Cotelerio ipſo in Not. ad Conſt. Apoſt. lib.5. cap.14. p.319. A Chronico Alexand. e contra edit. Ducangii Ven. p.180. Chriſti Natalis *Chojac* die 25, Baptiſmus *Tybi* die 11, Mors *Phamenoth* die 29, Reſurrectio *Pharmuthi* die 1, Aſcenſio *Pachon* die 10. conſignatur; ſed hac de re Par.II. operoſius agendum, pro rei dignitate, erit.

L. Quod mea nunc intereſt, atque ad Aegyptiaci Anni rationem attinet, inſignis Anatolii, qui ſub Aureliani, & Dio-cle-

cletiani aetate vitam traduxit, locus proſtat in Canonibus Paſchalibus apud Euſebium Hiſt. Eccl. lib.7. cap.32, ex eo AegyptiacoAnno fixo ipſum uſum fuiſſe adparet. Ibi namque Hebraici *Niſan* Neomenia cum die 26. *Phamenoth* Aegyptiaci, cum *Dyſtri* Macedonici die 22, & cum die 11. Kalend. Aprilis Rom., ſive Martii 22, componitur: qua de computatione adeundus Petavius in Animad. ad S.Epiphanii Haereſim 51. Oper. T.II. p.189. ſqq. Videndus etiam Duguetius Confer. Eccleſ. diſſert. 10. de Controv. circa Paſcha §.4. T.I. p.191, quo loci Anatolii textum, quo ſecundo *Phamenoth* dies 26. memoratur, emendandum oſtendit, atque legendum diem 29, ideſt Ἐνάτη καὶ Εἰκάδι 29, non Ἕκτῃ καὶ Εἰκάδι 26. Jungendus Lactantius de Falſa Relig. lib.1. cap.6, ubi *Thoth* Septembri noſtro reſpondere ſcribit: qui propterea immerito prorſus a Joh. Lalamantio reprehenſus eſt, reprehenſione ipſo digno, quod Lactantium de Anno Aegyptiorum fixo, ſeu *Actiaco* loquutum haud aſſequutus eſt. Quo de *Actiaco*, fixoque Anno explicatior eſt ſane S.Epiphanii ſententiaHaereſi 51, quae *Allogorum* eſt, n.16. p.439. edit. Petavii, quo loci Chriſtus D. baptiſatus traditur die 12. *Athyr* Aegyptii, die 8. *Dii* Graeci, *Apellaei* Macedonici die 16, Romani ante ſextum Iduum Novembris: ex quo fit evidens ipſius opinione Anni Aegyptiaci diem 1, ideoque *Thoth* ipſum a die 29. Auguſti iniviſſe. Eodem rurſus T. I. Oper. n.24. p.446. Chriſtum D. tradit S. Epiphanius natum 8. Idus Januarii Romanis, ſive die 6, Aegyptiis *Tybi* die 11, Syro-Graecis die 6. *Audinaei*, Cypriis quinti Menſis die 5, Paphiis die 14. Julii, Arabibus die 21. *Aleon*, Cappadocibus die 13. *Atartae*, Hebraeis die 13. *Thebeth*, (non vero *Sebath*, uti corrigendum S. Epiphanium vult Scaliger, redargutus ideo a Petavio in Not. T. II. p. 134.), Athenienſibus die 6. *Maemacterionis*: Baptiſatum vero *Athyr* die 12. Aegypt., 6. Idus Novembris Roman., *Dii* 8. Graec., Salaminiorum tertii *Choecac* die 6, Paphiorum *Apogonici* 16, Arabum *Angalthabaith* 22, Maced. *Apellaei* 16, Cappadocum *Aratatae* 15, Athen. *Metagitnionis* 7, Hebr. *Marcheſvan* die 7. Denique n.27. p.449. Chriſtum D. neci traditum ſcribit 13. Kalend. Aprilis Rom., *Phamenoth* Aegyp. die 24. Quibus locis S.Doctorem procul dubio

bio de Annis Aegyptiorum fixis loquutum adparet, quorum utpote Menſes, atque dies cum Menſibus, diebuſque Gentium aliarum profecto fixis componere non dubitavit. Confer & Petavium in Animad. ad hanc Haereſim 51. Oper. T.II. p.133. ſqq., quo ſane loci demonſtrat cum die 6. Januarii recte componi *Tybi* fixi diem 11, *Audinaei* 6, Quinti, is eſt Januarius, Cypriorum diem 5, ubi tamen pro Ἕκτῃ 6, Librarji oſcitantia ſcriptum Πέμπτῃ 5. eſt: (quo e loco patet Salaminios, ſive Cyprios Annum a KalendisSeptembris *Juliani* auſpicatos fuiſſe); Paphiorum, quos ideo ab *Aequinoctio* Verno circiter Annum inchoaſſe licet hinc arguere, Julii diem 14, Arabum *Aleon* 21, Cappadocum *Atartae* diem 13: (quibus inde *Lunares* fuiſſe Menſes auguratur, ideo quod cum *Thebeth* Judaico die 13. idem componatur dies; ſiquidem juxta *Solis* curſum eo anno dies 14. fuiſſet, ille namque *Ogdoëcontateſſaraëteridis* fuit annus 50, Cycli *Solis* 11, *Lunae* 1, ideoque Neomenia *Niſan* Aprilis die 2, Fer. 4. contigit, ac *Thebeth* die 24. Decembris injit, ideoque Januarii dies 6. erat *Thebeth* dies 14.); Athenienſium denique *Maemacterionis* diem 6. cum eadem, inquam, die 6. Januarii recte componi. Quò fit evidens tum temporis Athenienſibus ad *Juliani* formam Annum fuiſſe exactum, cepiſſeque a *Maemacterione*. Videndus ibid. p.135. ſqq. Petavius, ubi cum Theodorum Gazam, tum Scaligerum in Menſium *Atticorum* ordinatione plurimum erraſſe demonſtrat; atque diverſorum Menſium Gentibus diverſis uſurpatorum dies alios, quibus Chriſti Baptiſmus a S.Epiphanio conſignatur, probe inter ſe cohaerere pergit oſtendere. Adhaec vero apud Auctorem libri de Computo e Codicibus MSs. Bibl. Ambroſianae a Muratorio in lucem producti Anecdot. T.III. p.200. Aegyptiorum Menſes ita cum Romanis compoſiti leguntur, ut *Thoth* Septembri, *Paophi* Octobri, *Athyr* Novembri, *Chojac* Decembri, *Tybi* Januario, *Mechir* Februario, *Phamenoth* Martio, *Pharmuth* Aprili, *Pachon* Majo, *Payni* Junio, *Epiphi* Julio, *Meſori* Auguſto prorſus aequentur: quod indicio eſt Aegyptios Menſes fixos Anonymo illi fuiſſe uſurpatos. Aegyptiis aſt vero Gentilibus *Vagam* Anni formam veterem retentam fuiſſe docet cit. Adpend. Dodwellus, qua uſos oſtendit Theonem in Fragm.

Fragm., Ptolomaeum in Conſtruct. Magna, ſive Syntaxi Aſtron., Cenſorinum de Die Nat. cap. 21, Proclum Hypotyp. Aſtron.; (adeo ut Ethnicis Aſtronomis, ac Scriptoribus adhiberi ejuſmodi Anni *Vagi* ratio ſub aetate Alfragani, ideſt Aerae Chriſtianae anno 880. circiter, haud deſtiterit, veluti Bonjurio de Nom. Patr. Joſephi Adpend. p. 52, & DeVignolio de Veteri Anno Chron. Sac. T. II. lib. 6. cap. 4. p. 713. obſervatum eſt); uno fortaſſe Plutarcho excepto, a quo in Romulo, ac de Iſide, uti dictum, fixi Aegyptiorum adhibiti fuere Menſes: qui fixi pariter adhibiti ſunt Plinio lib. 6. cap. 23, ubi *Tybi* Decembri, ac *Mechiris* diem 6. Idibus Januarii comparat; adhibitique perinde leguntur in Ethnica Inſcriptione Romae a *Jovis*, ac *Serapidis* Sacerdotibus poſita, ſub *Antonino Pio* Aerae Chriſtianae anno 146, apud Gruterum p. 314. n. 2, & apud Falconerium in Not. ad Inſcrip. Athleticas Graec. Antiq. T. VIII. edit. Ven. p. 2301. Nempe in Lapide illo Graece inſcripto diſerte habetur: *Pridie Nonas Maji, quae dies eſt undecima Pachon, juxta Alexandrinos ..., Sexto Erucio Claro iterum, & Cneo Claudio Severo Coſſ.* Quo monumento ſane Scaliger de Emend. temp. lib. 5. p. 454. ſq., ac poſt ipſum DeVignolius in Chron. T. II. lib. 6. cap. 4. §. 10. p. 703. ſq. Graecos Alexandrinos Anno fixo uſos fuiſſe demonſtrarunt. Siquidem enim Chriſti anno 145, *Antonini Pii* 8, dies 6. Maji in *Pachon* diem 11. incidit, inde ſequitur, quod *Thoth* a die 29. Auguſti inceperit, quem alioqui, juxta Veterem Anni Aegyptiaci vagi formam, a die 18. Julii incipere oportuiſſet.

LI. Adverſus Maffejum adhaec Corſinius in Faſtis Atticis Par. I. T. II. diſsert. 13. p. 396. ſqq., & T. IV. Olymp. 187. p. 129. ſqq. diſputans, oſtendit levia admodum, & elumbia eſſe, quae Vir doctiſs. ſua pro opinione adſtruenda conglomeravit argumenta; una videlicet diſtinctione Anni *Vagi* Aegyptiis retenti, atque *Fixi* Alexandrinis recepti, eadem omnino evaneſcere: Plinium, Porphyrium, Cenſorinum, non de *Auguſtaeo*, Solari, fixoque Anno fuiſse loquutos, ſed de Veteri, *Aſtronomico*, Vagoque, velut etiam Dodvvello obſervatum modo dicebamus. Novam adhaec *Fixi* Anni formam Alexandrinis fuiſse admiſſam nitidis confirmat Corſinius teſtimoniis Epi-

Epigrammatarii Antholog. lib. 1. cap. 91. n. 1, Aëtii Medici, & Iſaaci Argyri, quorum uterque Alexandriae vitam traduxit, atque *Thoth* cum Septembri confert; Arriani Nicomedienſis, Adriano, & Antonino coaevi, in Periplo p. 146, & 164, ubi *Thoth* Aegyptium Romano Septembri reſpondiſſe perhibet; V. Bedae denique, a quo de Temp. ratione cap. 9. dies 1. *Thoth* confertur cum 4. Kalend. Septembris, ſive die 29. Auguſti, *Paophi* cum 4. Kalend. Octobris, *Athyr* cum 5. Kalend. Novemb., *Chojac* cum 5. Kalend. Decemb., *Tybi* cum 6. Kalend. Jan., *Mechir* cum 7. Kalend. Febr., *Phamenoth* cum 5. Kalend. Martii, *Pharmuth* cum 6. Kalend. April., *Pachon* cum 6. Kalend. Maji, *Payni* cum 7. Kalend. Jun., *Epiphi* cum 7. Kalend. Jul., *Meſori*, cum 8. Kalend. Auguſti: cui *Meſori*, die 22. Septembris terminanti, *Epagomenas* adjungi, & quarto quoque anno diem ſextum, ex quadrantibus reliquum, ſuperaddi ſubjungit. Confer & Collectaneas ad Clementis Alex. Strom. lib. 1. edit. Potteri Ven. p. 408, unde hiſce lux haud modica adfunditur. Atque ita plane in Kalendario Menſium Hebr., Aegyp., & Rom. a Goario edito ad calcem Chronographiae Syncelli edit. Ven. p. 4. ſq. Aegyptiaci fixi, & *Actiaci* Anni Menſium diebus probe reſpondere Menſium Romanorum Anni Juliani dies liquido patet. Jungi debebat S. Ambroſius, qui lib. 10. Vet. edit. epiſt. 83. Paſchali ad Epiſcopos Aemiliae ſcribit: *Sicut anno 76. Imperii Diocletiani factum eſt. Nam tunc die 28. Pharmuthi, qui eſt 9. Kalendas Maji, Dominicum Paſcha celebravimus* &c. Diocletiani porro annus 76. Aerae Chriſtianae anno 359. iniit: nam ſi 76. addantur 283, quo Chriſti anno coepit Aera *Diocletiani*, ſive annus 1. ejus Imperii, exſurgent anni 359. Annus vero Chriſti inſequens 360. *Biſſextilis* fuit: igitur *Diocletianaeus* annus 76. proximus intercalarem poſt *Actiacum*, (Aegyptiis enim *Actiacum* intercalari anno praecedente *Julianum* quadriennium dicemus poſtea, indeque patet, quod *Actiacus* incipit a die 29. Auguſti, *Julianus* autem a Kalendis Januariis anni inſequentis), Annus, inquam, *Diocletianaeus* 76. a die 30. Auguſti coepit. Is autem dies eſt 242. a Kalendis Januarii: a Neomenia *Thoth* vero incluſive uſque ad *Pharmuthi* initium dies 210. interce-

Digitized by Google

dunt; quibus additi dies 28. *Pharmuthi*, quo eo anno 76. *Diocletiani* Paſcha celebratum eſt, fient dies 238. Itaque *Pharmuthi* dies 28. fuit dies 238. a Neomenia *Thoth*, ſive dies 9. Kalendas Maji, ſive dies 23. Aprilis: namque ſi a die 23. Aprilis retro putentur dies 238, deſinent in Auguſti diem 30: *Biſſextili* quippe anno dies inſunt 114. a Kalendis Januariis ad diem 23. Aprilis, ab Auguſti vero die 30. ad 31. Decembris interſunt dies 124, quibus ambobus dies 238. componuntur. Inde patet igitur Alexandrinis Chriſti anno 359, proxime ante *Biſſextum* Julianum, fuiſse intercalatum, Neomenia ſiquidem *Thoth* eo anno in diem 30. Auguſti ceciderit. Conferendus Petavius Ration. Temp. Par. II. lib. 1. cap. 13, qui pluribus hiſce de, docteque agit. Illuſtrius eſt vero, quod ex Theone in Ptolomaei Almag. Comment. lib. 6. capp. 3, 7. ſq. profert Corſinius argumentum. Nempe ſcribit ille *Lunae* conjunctionem, quae anno 1112. *Nabonaſſari* die 24. *Thoth* Aegyptii contigerat, in diem 22. *Payni* Alexandrinis incidiſse. *Lunae* item oppoſitionem, quae in diem 6. *Phamenoth* Aegyptiis inciderat, Alexandrinis contigiſſe die 29. *Athyris*. Vides, ut a Theone Alexandrinorum Menſes diſcernuntur a Menſibus Aegyptiorum, non utique nominibus, ſed diebus, adeo ut Anno illos *Fixo*, iſtos autem *Vago* fuiſſe uſos inde manifeſte adpareat! Itaque quum anno *Nabonaſſari* 1112, Aerae Chriſtianae 364, qui certe *Biſſextilis* fuit, *Thoth* anni Veteris Aegyptiaci *Vagi* die 24. Maji inceperit, inde fit evidens in Anno *Fixo* Alexandrino *Thoth* in Auguſti diem 30. incidiſſe, ac tum Alexandrinis diem *Intercalarem* fuiſse aggregatum, illoſque ideo non amplius *Vagi* anni formam, ſed *Fixi* ſectatos fuiſse.

LII. Argumentum quod attinet, e Graeca Marmoris Inſcriptione, cum nota diei 25. *Phaophi*, ac dierum *Scenopegiae*, a Judaeis Berenicenſibus in Cyrenaica adpoſita, in quo Cl. Maffejus vim collocat maximam, tantum abeſt, ut cauſsae nocere ſuae perſentiret Corſinius, ut potius magis prodeſſe demonſtret. Demonſtrat enim perperam Viro doctiſs. perſuaſum fuiſse diem 15. *Thiſri* in diem 7. Octobris incidiſſe, perinde quaſi *Thiſri* ſemper a die 23. Septembris incipere debeat.

Digitized by Google

beat. Judaici namque *Lunares* Menſes quum ſint, eorum dies certis Romanorum Menſium diebus reſpondere nequeunt; ideoque a Petavio Doct. temp. lib. 2. cap. 30. demonſtratum eſt ſub *Julio* Caeſare Neomeniam *Thiſri* vagatam fuiſse inter dies 2. Septembris, ac 3. Octobris; & a Dodvvello de Cyclis diſſert. 9. ſect. 3. demonſtratum eſt item anno Chriſti 66, U. C. 819. diem ultimum *Scenopegiae*, ſive diem 22. *Thiſri* concurriſse cum die 1. Octobris; ut proinde Neomenia *Thiſri* in diem 10. Septembris inciderit: ita etiam U.C. anno 717, Chriſti ante natalem 37. *Thiſri* Neomeniam cum Septembris die 28. coincidiſſe demonſtrat. Itaque dum Syncellus, (quem alioqui rei Aſtronomicae parum oppido peritum oſtendit Uſſerius in Annal. Vet. Teſt. p. 552.), ait diem 15. *Thiſri* cum die 8. *Phaophi*, ac die 7. Octobris concurriſse, non loquitur de concurſu perpetuo, conſtantique, ſed eo, quo ipſe ſcribebat, anno ita contigiſse. Denegata itaque perpetua, fixaque Anni *Judaici* forma, Maffei labefactari prorſus argumentum oportet; ex illoque Marmore id unum colligere licebit eo, quo inſculptum eſt, anno U. C. 779, Aerae Chriſtianae 26, diem 25. *Phaophi* incidiſſe in diem 22. Octobris, ultimum ideſt *Scenopegiae*, ideoque *Thiſri* Neomeniam eodem anno Kalendis Octobris contigiſse: quod ex Scaligeri, & Petavii Tabulis Corſinius confirmat. Ex quo illud poſtremo conſequitur, quod ſi eo anno dies 25. *Phaophi* in diem 22. Octobris incidit, quae *Thiſri* fuit etiam dies 22, *Thoth* initium in Auguſti diem 29. incidere oportuit, quod alioquin in Anno Vago retrogredi ad diem 11. Auguſti debuiſſet: pugnat itaque contra Maffejum argumentum ipſum, cui totus ipſe confidebat. In eodem verſati errore Buntingus p. 220, Calviſius Iſag. p. 434. ſq., ac De Vignolius Chron. T. II. p. 707. ſq., Judaeos Berenicenſes Aegyptiaci Anni *Vagi* formam ſequutos fuiſse perſuaſum habuere, eoque, quo Decretum illud editum eſt, anno, quem a die 16. Auguſti cepiſse putant, diem 25. *Phaophi* cum Octobris die 9, ideoque cum die 18. Septembris diem 1. *Thiſri* concurriſſe. Qua in re falli eos oppido inde patet, quod *Judaici*, non Aegyptiaci Anni forma Judaeis obſervata eſt, juxta quam *Thiſri* Neomeniam Octobris die 1. eo anno contigiſſe, diem 25. *Phaophi* cum die 22. Octobris con-

currisſe, ideoque *Thoth* initium in Auguſti diem 29. incidiſſe modo diximus. Fallitur vero rurſus DeVignolius exiſtimans Annum 55, quo Lapis ille obſignatus eſt, fuiſſe *Julianum* 75, Chriſti 30, quo a Juliano 75. detracti 54. relinquunt 21: qui fuit 1. Aerae *Alexandrinae*. Nam fuit annus *Julianus* 71, Chriſti 26, a quo Juliano detracti anni 54, reliqui 17. annum 1. indicant Aerae captae Alexandriae, quam ſequuti Judaei illi ſunt: qua de Aera operoſius alibi, quum de *Auguſtaea* nobis Aera ſermo erit. Denique illud haud praetereundum, quod *Heraclius* Imper. in Commentario ad Προχείρους Ptolomaei Canones, ex editione Dodvvelli translato a DuCangio inter Selecta ad illuſtrationem Chronici Paſchalis §.21. edit. Pariſ. p.475. ſqq., Ven. p.381. ſqq., ubi certam reperiendi cum in Anni Juliani Menſibus diem Menſis Alexandrini cujuslibet, tum Paſchatis, juxta Eccleſiaſticam traditionem, propriae adinvenendi diei methodum tradit, diſerte, liquidoque ſcribit, Alexandrinis *Thoth* diem 1. ab Auguſti die 29. auſpicari, atque Septembri Juliano reſpondere.

LIII. Ea jam vero, cur Anni *Vagi* ratione uterentur, Aegyptiis Sacerdotibus inerat cauſsa, Religio nempe, ne ſingulis annis dies 5, aut quadrienniis ſingulis dies 1. intercalarentur, peſſimi ominis gratia, Ἐπόπτῃ teſte oculato Herodoto lib.2. cap.4, confirmantibus Strabone lib.17. p.806, ac Gemino Iſag. in Phoenom., ſeu Elem. Aſtron. p.33. edit. Petavii, ac notantibus eodem Petavio in Geminum p.411, & Marshamo in Can. Chron. p.247; eaque praeterea erat cauſsa, ne ſtatis diebus, ac tempeſtatibus Feſta celebranda recurrerent, quae totius vagari per anni tempora, dieſque ſummopere delectabantur, ut idem hoc eſt Feſtum Aeſtivum, & Hybernum, Autumnale, & Vernum evaderet, veluti loquitur Cenſorinus de Die nat. cap.18, habetque Theo in Fragm. apud Dodvvellum in Adpend. ad diſsert. Cyprian. p.169., qui §.5. ſq. p.141. ſq. obſervat ſuperſtitionis paris ſpeciem Ethnicis paſſim adhaeſiſſe, Romanis apud Macrobium Saturn. lib.1. cap.13. circa Nonas, Athenienſibus circa Menſium denominationes &c., (qua de Aegyptiorum Sacerdotum circa Intercalationem ſuperſtitione tetigit etiam Scholiaſtes Germanici apud Scaligerum Iſag.Can. p.244.);

p.244.); tumque demum Aegyptiis omnibus Anni *Fixi* rationem ultrocitroque fuiſse receptam, poſtquam Chriſtiana ubique Religio integra obtinuit: quod ante tamen Seculi IX. dimidium haud ubique factum ex Alfragano ſuperius advertimus. Quo vero anno primum Alexandrini Anno uti *Fixo* ceperint, dubium olim inter Doctos fuit; cepiſse namque Juliano anno 16, Nabonaſſari 719, Periodi Jul. 4684, Olympiadis 187. anno 3, U. C. 724, ante Chriſtianam Aerum 30, quo Alexandria capta ab *Auguſto* eſt, opinati ſunt Scaliger de Emend. temp. lib.4. p.236, & Iſag. Can. lib. 3. cap.12, ipſumque pone ſequuti Calviſius Iſag. Can.p.414, ac Pridaeus Hiſt. Jud. Par.II. lib.16. T.VI. edit. Ven. p.106. ſqq. Aſt enim Anni *Fixi*, a die 29. Auguſti deinceps ineuntis, formam Alexandrinis demum adhiberi cepiſſe anno dumtaxat quinto a capta Alexandria, Juliano 21, Nabonaſſari 724, Periodi Jul. 4689, Olymp. 188. anno 4, U. C. 729, Chriſti ante natalem 25, quo nempe anno uterque *Thoth* tam vagus ideſt, quam fixus in unam, eamdemque anni Juliani diem inciderant, oſtenſum ex Inſcriptione Graeca ſupra laudata apud Gruterum p. 314. n. 2, ex Theone in Canones Aſtron. Ptolomaei Ms. Bibl. Bavar., ubi a *Nabonaſſari* Epocha ad obitum *Alexandri* fluxiſse annos 434, indeque ad Aegyptiaci Anni revolutionem Τὴν Ἀποκατάστασιν annos 299. tradit; unde fit, ut is annus Nabonaſſari 724. fuerit; ex Theodoro Metochita in libro Τῆς Ἀστρονομικῆς κατ' ἐπιτομὴν στοιχειώσεως Ms. in eadem Bavar. Bibl., ubi ab obitu *Alexandri* uſque ad Aegyptiacum Ἀποκατάστασιν, ideſt Anni *Fixi* initium annos 299. ſimiliter interceſſiſſe ſcribit; ex Michaele Pſello in libro Ἄθροισις εὐσύνοπτος &c., ubi anno Mundi 6516, qui Chriſti fuit 1008, dies intercalares apud Aegyptios a die 29. Auguſti colligi 258; quot ſcilicet *Biſſextiles* in Julianis annis 1032 inſunt, qui ideo 1032. detracti a Chriſti annis 1008, indicant pro Epocha Anni fixi Alexandrini annum Chriſti ante natalem 25; ex Albategnio Aſtron. cap. 32, ubi Epocham *Alkept* fixae, ideſt Anni fixi Alexandrini, poſteriorem facit Aera *Dilkarnaim*, ideſt Seleucidarum, annis 287: quae ſiquidem Periodi Jul. anno 4402. ceperit, ei additi 287. dabunt pro initio Anni fixi Alexandrini Periodi Jul. annum 4689; ex Panodoro

doro apud Syncellum Chron. p.312. ſq. edit. Pariſ., Ven. p.248. ſq., ubi anno 5. poſt Alexandriae expugnationem *Biſſextum* Alexandrinis intercalari cepiſſe refert, oſtenſum, inquam, dedere Hervartus in Chronolog. cap.127. p.151. ſq., Petavius Doct. Temp. lib.10. cap 71. p.286. ſq., Uſſerius in Annal. Vet. Teſt. Aetate Mundi VI. p. 552, Dodvvellus in Adpend. ad diſſert. Cyprian. §. 8. p.142. ſq., De Vignolius Chron. T.II. lib.6. cap.4. §.10. p. 706. ſq., & Crozaeus in Not. ad Longuerue de Var. Epochis p.187. Juxta haec itaque novus iſte Alexandrinorum Annus *Thoth* fixus, etiam *Actiacus*, ſive *Auguſtaeus* dictus, diebus 490. praeceſſit Anni Romani *Auguſtaei* initium. Aegyptiacus etiam *Actiacus* a die 29. Auguſti ſequentis anni, quo Alexandria capta eſt, ſive Periodi Jul. anno 4684, Olymp. 187. anno 3, Nabonaſſari 719, U. C. 724, ante Chriſtianam Aeram 30, Juliano 16. incepit; Romanus vero *Auguſtaeus* injit a Kalendis Januariis anno Periodi Jul. 4687, Nabonaſſari 722, U.C. 727, Chriſti ante natalem 27; Annus vero *Fixus* Alexandrinus dinumerari cepit ab anno 5. captae Alexandriae, Periodi Jul. anno 4689, Olymp. 188. anno 4, Nabonaſsari 724, U. C. 729, Juliano 21, ante Chriſtianam Aeram 25, a die 29. Auguſti, triduo ante *Elul* Syriorum, ideſt Septembris noſtri, Feria 6. Inde celebris *Aegyptiaca* illa Epocha, Veteri *Seleucidarum* ab iis ſuffecta, quam Albategnius Oper. Aſtron. cap.32. *Al-Kept*, ideſt Coptorum, ſeu Aegyptiorum adpellat, ad quam ab Aera *DilKarnain*, ideſt Seleucidarum, quam ipſe ſuis una cum Syris ab initio *Elul*, ideſt Septembris, inchoat, annos 287. fluxiſse tradit in Cod. Mſſ., non 387, ut habetur in Editis, velut adnotatum eſt Petavio, ac Uſſerio loc. cit., quaeque apud Aegyptios integra duravit, donec ei *Diocletianaea* ſuffecta Aera eſt.

LIV. Hinc mirari valdequam ſubit, qui fieri quiverit, ut Averanius de Menſ. Alexand. cap.8. p.64. ſq., Theonis adhuc aetate, Alexandrinis etiam Annum uſurpatum fuiſſe mobilem, atque vagum exiſtimaret; quum alioqui Theonis explicitiſſimum in Fragm. habeatur teſtimonium adverſum. Ex quo & illud planum inſuper fit, Theonem haud ſemper Anni vagi formam ſequutum fuiſſe; quod ipſum de Ptolomaeo quoque, M. Au-

M. Aurelio Antonino aetate ſuppare, adverſus Maffejum probat Corſinius Faſt. Attic. T.IV. Olymp. 187. p. 130. ſqq. Is nempe apud Fabricium Bibl. Graec. T.III. lib. 4. cap. 14. p. 420. ſqq. Φάσεις ἀπλανῶν ἀςέρων, ϗ συναγογὴ ἐπισημασιῶν, libro de Apparentiis, & Significationibus Syderum inerrantium Par. I, quam poſt Feder. Bonaventuram Urbinatem e Graeco Codice Saviliano Oxon. a Wincklero ſibi commodato idem Fabricius deſcripſit, Par. II. vero a Petavio in Uranologio p. 71. ſqq. editam cum eodem Codice Saviliano contulit, cujus etiam Exemplar extat in Bibl. Athenaei Taurin. Cod. Mſ. 234. fol. 91, Paſino teſte Cod. Mſs. T.I. p. 318, Ptolomaeus, inquam, Parapegma, ſive Kalendarium, in quo ſingulis anni diebus ortum, & occaſum Syderum in quinque Climatibus, illis nempe, in quibus maximus dies eſt horarum Aequinoctialium aut 13.30, uti per *Syenem*, aut 14, uti per *Inferiorem Aegyptum*, aut 14. 30, uti per *Rhodum*, aut 15, uti per medium *Helleſpontum*, aut 15. 30, uti per medium *Pontum*, ſe deſcripſiſse, prout obſervati ſunt ab Aegyptiis Alexandriae, a Doſitheo Coloniae, a Philippo in Peloponneſo, & Locride, a Calippo in Helleſponto, a Metone Athenis, ac per Cycladas in Macedonia, & Thracia, a Conone, & Metrodoro in Italia, ab Eudoxo in Aſia, Italia, & Sicilia, ab Hipparcho in Bithynia, a Metrodoro in Thracia, & Macedonia, refert, inſtruere volens, intellexit ſane Vir peritus id *Vago* in Anno praeſtari omnino nequire, in quo Syderum ortus, & occaſus modo in unum, modo in alterum ejuſdem Menſis diem incurreret. Itaque Parapegma illud in Anno Juliano *Fixo* confiendum arbitratus, hujuſmodi Anni formam, juxta quam ſingulis quadrienniis dies unus intercalatur, uſu Alexandrinis receptam, fuiſſe adfirmat: Κεχρήμεθα, inquiens §.6, δὲ τῇ καθ' ἡμᾶς τοῦ ἔτους χρονογραφία διὰ τῆς κατὰ τὸ ἔθος ἐπουσίας ἐν ταῖς Ἐμβολίμοις διὰ τετραετηρίδος ἡμέρας ἀποδίδομεν ἐπὶ πολῦν χρόνον δυνασθαι τὰς ἀυτὰς φασεις ταῖς ὁμωνύμοις ἡμέραις ὡς ἐπὶ παῖ ἐκλαμβάνεσθαι. Τῶν οὖν ἡμερῶν ἑκάςην ἀπὸ τῶν ἐν τῷ θωθ νεομηνίαν ἐκτίθεμενοι κατὰ τὴν οἰκείαν Τάξιν ὑπογράφομεν, ἐφ' ὅσον ἔνεςι τὰς συντελυμένας ἐν ἀυταῖς φάσεις κατά τινας τῶν ὑποκειμένων Κλιμάτων &c. *Adhibemus autem anni deſcri-*

ſcriptionem, *qui apud nos* (Alexandrinos) *in uſu eſt*, *ne dierum aequivocatio ob intercalationem*, *quarto quoque anno factam*, *in notandis*, *excipiendiſque Apparitionibus committeretur*. *Itaque a primo die Menſis Thoth ſingulos dies numerantes*, *proprio ordine*, *quoad licuit*, *Apparitiones digeſſimus*, *quae in ipſis fiunt*, *in acceptis a nobis Climatibus* &c. Primam autem *Thoth* diem, a qua Parapegma exorditur, Par.II, ſive in *Phaſeum* deſcriptione reſpondere καθ' ἡμᾶς δὲ Αὐγούςȣ κθ', diei 29. Auguſti notat, (in *Biſſextili* vero diei 30. ejuſdem Menſis), in quam plane diem 29. Auguſti diem 1, *Thoth* incidiſſe anno 8. *Antonini Pii*, ſub quo Ptolomaeus ſcribebat, Aerae Chriſtianae anno 144. ſupra ex Marmore Gruteriano oſtenſum eſt. Ea denique, cur ab anno 5. captae Alexandriae nova Anni *Fixi* ab Alexandrinis Epocha inita fuerit, cauſſa DeVignolio Chron. lib.6. cap. 4. §. 10. p.706. viſa eſt, quod eo anno Seculum XIV. inceperit, cujus ideo ad exordium nova ea accommodata Aera ſit. Verior ea vero mihi videtur cauſa, quod ut ſuperius innui, eo demum anno utriuſque *Thoth*, tam *Fixi*, & arcani Sacerdotibus haud ignorati, quam *Vagi*, ac popularis Aegyptiis uſurpati, in unam, eamdemque Auguſti diem 29. factus concurſus fuerit.

LV. Aegyptiis itaque duplex Annus erat, *Sacer* unus, Heliacus, *Nabonaſſaraeus* etiam dictus, ideo quod in Epocha *Nabonaſſari* uſum haberet, e diebus 365, ulla abſque horarum adpendice conſtitutus; *Naturalis* alter, Thebanus, ac *Solaris*, ad periodum nempe *Solis* exactus, ideoque diebus 365, & quarta diei parte conſtans, velut indicatum eſt ex Diodoro lib.1. p.59, Strabone lib.17. p.806. ſq., aliiſque, videndaque Monum. Acad. Inſcrip. Pariſ. T. XIV. p.340, 350. ſq. Quo loci praeterea illud animadvertere non poenitebit adverſus Marshamum, ac Spencerum, ab Herodoto, & Diodoro, quorum teſtimonio ab Aegyptiis Menſium, Annique formam Hebraeos primum didiciſſe contendunt, falſa eo loci proferri. Nam uti Cap.1. §.3. de Hebdom. demonſtratum eſt, dierum ſeptennarium Cyclum a *Moyſe* Hebraeos accepiſſe, eumque Mundo quin imo fuiſſe coaevum, atque in diei ſeptimae celebratione ab Aegyptiis longo Hebraeos diſtaſſe intervallo, indubium eſt.

Adhaec

Adhaec quae Cap. 2. Art. 1. de Menſ., & Anno Hebr. &c. dicta ſunt, ſi cum Aegyptiorum Menſibus, & Anno conferantur, plurimum ab Aegyptiis Hebraeos abſuiſſe compertum erit; quod & magis adhuc e Tabula ſq. adparebit, nempe Judaeis ab exordio Mundi annos per Menſes XII. dinumerandi rationem inſtitutam, a *Moyſe* traditam fuiſſe. Eamdem ante Aegyptios obſervaſſe, tenuiſſeque *Abrahamum*, ab iſtoque quin imo accepiſſe potius illos, teſtes accedunt locupletes Nicolaus Damaſcenus, Beroſus, Artapanus, Eupolemus, Alexander Polyhiſtor, Joſephus apud Euſebium Praep. Evang. lib. 9. cap. 16., ſeq., quin a Polyhiſtore *Henochus* omnium primus Aſtronomiae peritus, inventorque perhibetur, quae laudis pars ab aliis *Setho* paſſim adſcripta legitur, ut in Proleg. abunde dictum, opinor, queis ideo *Solaris*, ac *Lunaris* Anni ratio probe comperta, poſteriſque tradita proculdubio fuit. Junge, quod Judaeis ſtatas fuiſſe *Feſtorum* celebritates, quam ob rem intercalandi rationem ipſis haud ignoratam fuiſſe, moreque receptam oportet, liquido oſtendimus. Contra vero Aegyptiis religio fuit *Feſtivitates* eadem tempeſtate, eiſdemque diebus ſolemnes habere, quas per omnes Anni partes abſque fraeno pervagari malebant, ideoque intercalandi uſum illis haud fuiſſe, niſi valde ſero, inde patet. Aegyptiorum denique Annus tam *Civilis*, quam *Sacer* nihil cum Hebraeorum Anno *Sacro*, & *Civili* habebat commune, a quo & tempore, & uſu, & myſterio plurimum differebat. *Tempore*; nam Judaeorum *Civilis* Annus, Mundo coaevus, a *Thiſri*, ſive ab Autumnali *Aequinoctio* incipiebat, *Sacer* vero, Dei juſſu inſtitutus, a *Niſan*, ſive ab *Aequinoctio* Verno. *Uſu*, nam Hebraeis juxta *Civilem* Mundi Anni computantur, Anni Quietis item, ac Jubilaei, juxta *Sacrum* vero Feſta celebrari conſuevere. *Myſterio*, namque in memoriam redemptionis ex Aegypto, quae typus erat redemptionis futurae per Chriſtum D. peragendae, qua de Micheas VII. 15, quae utraque eodem *Niſan* Menſe perfecta eſt, velut ex *Ele Schemot Rabba* ſect. 15. fol. 130. colum. 3. adnotavit Chriſtophorus Cartvvrightus in Mellificio Hebr. lib. 1. cap. 11. Critic. Sacr. edit. Francf. T. VII. p. 734. ſq. Conferendi Natalis Alexander Hiſt. Eccl. Vet. Teſt. Aet. IV. Diſſert. 3. de Caerem. Leg.

Moſ. praeceptis Art.I. Prop.3. edit. Luc. T.II. p.215. ſqq., & Art.III. Prop.2. §.5. p.411.ſq., ac Aet.V. diſſert.1.Prop.unic. T.III.p.104.ſq., Hermannus Witſius in Aegyptiacis lib.2.cap.7. p.86. ſqq., ac Chriſtoph.Matthaeus Pfaffius in Praefat.ad Spencerum, a quibus paſſim cum Marshamus, tum Spencerus Caeremonias pleraſque multas Hebraeos ab Aegyptiis mutuatos fuiſſe comminiſcentes valide refelluntur. Pretium denique eſt operae Menſium Aegyptiorum Schema exhibere, atque fixorum utique, quomodo in Kalendario a Goario in Adpendice ad Georgii Syncelli Chronographiam expoſiti, Hebraeorum, ac Romanorum Menſibus reſpondent: ubi illud obſerves interea Aegyptiorum Menſes tricenarios eſſe omnes, & ad Anni finem, poſt *Meſorem* ideſt, *Epagomenas*, ipſis Μικρὰ dictas adponi. Antiquitus ſane Aegyptiacis Menſibus nomina indita ſimplicia, ac numerica dumtaxat, ſolo ideſt numero 1.2.3 &c., ordineque diverſa, fuiſſe non ſecus atque Judaicis, arguere fas eſt ex Gen. capp.7, & 8, qua de re Monum. Acad.Inſcrip. Pariſ. T.IV. p.334. Temporis ſucceſſu, nova Aegyptiaci Anni forma inſtituta, Menſibus nova perinde, a Diis ipſorum ſacris plerumque deſumpta, uti videre eſt apud Scaligerum de Emend. temp. lib.5. p.391, indita ſunt, ſuntque ſequentia.

M E N S E S

AEGYPTIORUM.			HEBRAEORUM.			ROMANORUM.			
1.	Thoth	30.	6.	Elul	7.	8.	Auguſtus	29.	in Biſſexto 30.
2.	Phaophi	30.	7.	Thiſri	6.	9.	September	28.	29.
3.	Athyr	30.	8.	Marcheſvan	6.	10.	October	28.	29.
4.	Chojac	30.	9.	Chasleu	6.	11.	November	27.	28.
5.	Tybi	30.	10.	Thebeth	5.	12.	December	27.	28.
6.	Mechir	30.	11.	Scebath	5.	1.	Januarius	26.	27.
7.	Phamenoth	30.	12.	Adar	5.	2.	Februarius	25.	26.
8.	Pharmuthi	30.	1.	Niſan	3.	3.	Martius	26.	27.
9.	Pachon	30.	2.	Ijar	3.	4.	Aprilis	25.	26.
10.	Payni	30.	3.	Sivan	3.	5.	Majus	25.	26.
11.	Epiphi	30.	4.	Thamuz	2.	6.	Junius	24.	25.
12.	Meſore	30.	5.	Abh	2.	7.	Julius	24.	25.
	Meiſi	5.		Epagomenae	5.		Adjectitii	5.	6.

LVI.

LVI. Ex hac Tabula porro dies facile reliqui cujuslibet Aegyptiaci Menſis cum diebus Menſium cum Hebraeorum, tum Romanorum componere fas eſt: quorum plane componendorum, non ſecus atque Feriarum reperiundarum, cum quibus compoſiti dies concurrunt, expeditam, facilemque Methodum praebuit omnium, ut ſciam, primus *Heraclius* Imperator in Comment. ad Ptolomaei Canones edito a Dodvvello, indeque a Ducangio inter Selecta ad illuſt. Chron. Alex. translato, n. 21. edit. Pariſ. p. 474. ſqq., Ven. p. 381. ſqq. Conferri etiam poteſt Anonymus Muratorianus e Bibl. Ambroſiana editus Anecd. T. III. p. 111, ſqq. Seculi VIII. Scriptor, genere Gallus, uti colligi videtur ex Chronologia, quam a Mundi exordio texit §. 78. p. 14, ubi Chronotaxim attexit a Chriſti D. obitu ad tranſitum *S. Martini*, nempe annos 412, ab hinc ad obitum *Clodovaei* annos 141, indeque ad obitum *Theodeberti* annos 30, ab iſto vero ad obitum *Sigeberti* annos 29, in libro de Computo p. 176. ſqq., ubi Kalendarium exhibet, in quo Menſes Aegyptiacos cum Julianis eo componit modo, quo in ſuprapoſita deſcripti leguntur Tabula. Methodum alteram Anni Aegyptiaci *Fixi* tum ad Annum *Julianum*, tum ad *Julianum* Periodum, tum etiam ad *Nabonaſſaraeam* Epocham redigendi exhibet Petavius Ration. temp. Par. II. lib. 1. cap. 12. ſq. p. 36. ſqq., qui propterea conſuli pro libitu poterit. Methodum adhaec Anni Aegyptiaci *Vagi* ad Julianum *Fixum* reducendi ſuppeditant inter alios Scaliger de Emend. temp. lib. 3. p. 198. ſqq., Nicol. Mullerus Iſag., Petavius Doct. temp. lib. 7. cap. 13, ac Beveregius Inſtit. Chronolog. cap. 10. Siquidem vero Anni ejuſmodi *Vagi* apud Aegyptios, non ſecus atque apud Chaldaeos, uſus longiſſimo obtinuerit tempore, ejuſque forma, poſt *Auguſti* etiam tempora, ab Aſtronomis uſurpari non deſtiterit, operae proinde non contemnendae pretium erit, hancce paucis indicare, ne Chronologis eadem prorſus ignota ſit. Quoniam igitur Aegyptiacus Annus *Vagus* in Aera *Nabonaſſari*, qua & ipſi Aegyptii Aſtronomi, ac Scriptores uſi ſaepe ſunt, idcirco quod Aſtronomicae Obſervationes a Chaldaeis peractae, eadem *Nabonaſſari* Aera conſignatae fuerint, atque in Aegyptum perinde, Graeciamque translatae, Graecis uſu, Aegyptiiſ-

que venerint. Annus *Nabonaſſaraeus* aequabilis eſt dierum 365, ulla abſque quadrantis adpendice, uti ſaepe dictum eſt, proinde Annus propoſitus Aegyptiacus *Vagus* quaerendus eſt a primo Anno *Nabonaſſaraeo*, qui fuit a die 26. Februarii Periodi Julianae annus 3967, Olympiadis 8. annus 1, U. C. 7, Chriſti ante natalem 747; qua ab Epocha *Nabonaſſari* Aegyptiaci Anni *Vagi* computandi ideo ſunt. Quemlibet jam vero *Aegyptiacum* Annum, ſive *Nabonaſſaraeum* in Juliano ſi quaeras propoſitus annus per 4. dividendus eſt, quotus deinde ſubtrahendus ex 57, (ſi minor 57. nempe ſit, ſin major, ex 422.), & numerus reſiduus erit dies in Anno Juliano quaeſitus, a Kalendis Januariis computatus, in quem Neomenia *Thoth* incidit. Propoſitus nempe Annus ideo dividendus eſt per 4, quod annis 4. *Nabonaſſaraeis* vertentibus ſolidus dies Julianus anticipetur, ob diem videlicet intercalarem ſingulis quadrienniis ab Aegyptiis praetermiſſum. Igitur ſi datum Annum *Aegyptiacum* per 4. partiaris, quotus exhibebit dies Julianos anticipatos, ſive *Biſſextiles* omiſſos, qui detracti ex 57. relinquent diem, quo Annus propoſitus iniit, eò quod primus Annus *Nabonaſſaraeus* cepit die 26. Februarii, qui eſt dies 57. a Kalendis Januariis retro computatus. E. g. Ptolomaeus Almag. lib. 5. p. 125. edit. Graec. auctor eſt *Lunae* Eclipſim contigiſſe anno 5. *Nabopollaſari*, qui fuit *Nabonaſſari* annus 127, juxta Aegyptios die 27. *Athyr*, ſequente die 28, hora 11. deſinente. Ut igitur annum iſtum 127. *Nabonaſſaraeum*, ſeu *Aegyptiacum* in Juliano aſſequaris, primo annus 127. dividendus eſt per 4, quotiens eſt 31, qui ſubducendus eſt ex 57; reliquus eſt 26, qui dies eſt a Kalendis Januariis, cui Neomenia *Thoth* propoſito hoc anno reſpondit. Incepit igitur hic annus 127. *Nabonaſſaraeus* die 26. Januarii. Cognita ita *Thoth* Neomenia, ut *Athyr* dies 27. innoteſcat, ex praecedenti diagrammate obſervandum eſt a die 1. *Thoth*, anni Aegyptiaci initio, ad diem 1. *Athyr* Menſis 3. effluxiſſe dies 60, queis adjecti dies 27. *Athyr* efficiunt dies 87. Igitur dies 27. *Athyr* eſt dies 87. a Neomenia *Thoth*: atqui Neomenia *Thoth* incidit in diem 26. a Kalendis Januariis, adeo ut dies 25. elapſi ſint, antequam annus hic *Nabonaſſaraeus*, ſive *Aegyptiacus* inciperet; quocirca dieb

Digitized by Google

bus 87. adjungendi praeterea ſunt dies 25, quorum omnium ſumma dierum 112. erit. Itaque dies 27. *Athyr* incidit in diem 112. a Kalendis Januariis: is eſt Aprilis dies 21; (eſt enim Annus iſte Periodi Jul. 4093. *Biſſextilis*, unde Ptolomaeo *Athyr* diem 27. ſequutus dies 28. dicitur.) Jam vero ſi quotus excedat 57, adjiciendi ſunt unius anni Juliani dies 365, quibus conjuncti 57. efficiunt 422: ex hiſce quotus eſt ſubtrahendus, ac reſiduum indicabit Anni Juliani diem, in quem Neomenia *Thoth* propoſiti Anni *Nabonaſſaraei*, ſive *Aegyptiaci* incurrit. E. g. Ptolomaeus Almag. lib. 4. p. 101. tradit *Lunae* Eclipſim alteram commiſſam fuiſſe anno 31. *Darii Hyſtaſpis*, anno *Nabonaſſari* 257, *Tybi* die 3. ſequente 4. Ut igitur Anni iſtiuſce *Nabonaſſaraei* 257. initium in Anno Juliano dignoſcatur, idem numerus 257. dividendus eſt per 4, & habebitur quotus 64: qui major ſiquidem 57. ſit, perinde 57. addendi ſunt 365, quorum a ſumma 422. ſubducto quoto 64, reliqui erunt 358. Igitur Anno *Nabonaſſari* 257. Neomenia *Thoth* incidit in diem 358. a Kalendis Januariis, qui eſt dies 24. Decembris. A Neomenia vero *Thoth* ad diem 1. *Tybi* fluxere dies 120: itaque dies 3. *Tybi* erit dies 123. a die 1. *Thoth*. Diebus igitur Anni Juliani completis ante huncce *Nabonaſſari* annum, ideſt 357. adjungendi erunt dies 123, atque ex ſumma 480, quae integri anni Juliani dies 365. excedit, ſubtrahendi erunt dies unius Juliani anni, nempe 365, & reliqui dies 115. indicabunt diem *Aegyptiacum* in Anno Juliano quaeſitum. Nempe dies 3. *Tybi* in Anno *Nabonaſſari* 257. incidit in diem 115. a Kalendis Januariis, qui eſt Aprilis dies 25; atque ita de aliis.

LVII. Poſtremo ſi Annus propoſitus, cujus initium in Anno Juliano quaeritur, poſt *Nabonaſſaraeum* annum 1472, ſive Periodi *Julianae* 5437. ſequatur; atque nihil poſt diviſionem ſuperſit, abjicienda e quoto unitas eſt, antequam fiat ſubductio. E. g anno Periodi Jul. 6380. annus *Nabonaſſari* 2416. iniit, (cepit enim, uti dixi, *Nabonaſſari* Aera Periodi Jul. anno 3967; e ſingulis vero annis 1451. *Nabonaſſari*, ideſt ex integra Periodo *Aegyptiaca*, detrahendus eſt 1, is enim annis Julianis 1460. aequivalet), ſi igitur anni 2416. dividantur

per

per 4, quotus erit 604, qua ex diviſione nihil reſtat. Sed quum annus hic 2416. ſequatur annum 1472. *Nabonaſſaraeum*, ſive Periodi *Julianae* annum 5437, e quoto proinde ſubducenda unitas eſt, ac relinquendus 603: qui rurſus major ſiquidem 422. ſit, ex hoc ſubduci nequit. Itaque 422. addendi ſunt 365, ideſt anni Juliani dies, & ex ſumma 787. ſubducto quoto, unitate diminuto, 603. nempe, reliqui erunt dies 184. a Kalendis Januariis. Igitur anno Periodi Julianae 6380. annus *Nabonaſſari* 2416. injit die 3. Julii. Atque hactenus de Anno *Nabonaſſaraeo* aequabili, ſive Aegyptiaco *Vago*, cui deinde ab Alexandrinis, Chriſtianiſque Periodi Jul. anno 4689, *Nabonaſſari* 724, U. C. 729, ante Chriſtianam Aeram 25, a capta Alexandria 5, *Fixum* annum fuiſſe ſuffectum multis ſuperius oſtenſum dedimus. In eo differt interea Aegyptiacus Annus *Fixus* ab Anno fixo *Juliano*. 1. Quod in anno *Aegyptiaco* Menſes adhuc omnes Τριακονϑήμεροι ſunt, *Tricenarii* ideſt, additis quinque Ἐπαγομένοις, *Juliani* contra anni Menſes ſunt inaequales. 2. Quod in anno *Juliano* dies *Intercalaris* inter dies 23, & 24. Februarii inſeritur, in *Aegyptiaco* vero inter Auguſti dies 28, & 29, ideſt *Epagomenis* ad finem *Meſoris* adjungi ſolet. 3. Quod *Aegyptiacus* annus a die 29. Auguſti, in anno *Communi*, a die 30, in *Biſſexto* initium ducit: annus enim Aegyptiacus *Vagus* 724. poſtremus fuit, a quo *Fixi* deinceps numerari cepere: ſi vero 724. dividantur per 4, quotus erit 181: quoto iſto vero ſubducto ex 422, relinquentur 241. Itaque *Aegyptiacus* annus 724. cepit die 241. a Kalendis Januariis, qui eſt dies 29. Auguſti; contra *Julianus* a Kalendis Januariis exordium deſumit. 4. Quod *Juliano* in anno *Intercalari* annus *Aegyptiacus* anno praecedenti intercalatur, hoc eſt anno 3. poſt *Biſſextum*, ſive Menſibus 6. ante *Biſſextum* Julianum; (quod etiam poſt *Diocletianaeam* a Coptis receptam Aeram, hodieque dum fieri, obſervant Maſſonius, & Abauzitius in epiſt. ad De Vignolium Chron. lib. 6. cap. 4. p. 708.); atque Neomenia *Thoth* cum die 30. Auguſti committitur. Atque Methodus iſta quidem inſerviet ad inveſtigandum cujuslibet Menſis *Juliani* diem: nempe cognito ſemel, quotus ſit a Neomenia *Thoth* dies, tum numerus iſte adjiciendus eſt diebus

Digitized by Google

bus 240. in anno *Communi*, aut 241. in anno proxime *Biſſextum* antegrediente: (qui namque nobis eſt dies 29. Auguſti, is Aegyptiis eſt dies 1. *Thoth*, a die 1. vero Januarii ad diem 1. *Thoth*, ſive ad diem 29. Auguſti, dies 240, in *Biſſextili* vero dies 241. interſunt): a ſumma auferendi dies 365. in *Communi* anno, aut in *Biſſexto* dies 366, ac reſiduum erit in anno quaeſito dies. E. g. Syneſius epiſt. 13. ſcripſit anno Chriſti 412. *Paſchale* Feſtum denuntiatum fuiſſe in diem 19. *Pharmuthi*: atqui dies iſte a Neomenia *Thoth* eſt 229, qui dies additi ad 241, (nam Chriſti annus 412. *Biſſextilis* fuit), efficiunt 470. Ex his itaque ſubtracto anno *Biſſextili*, ſive diebus 366. ablatis, reliqui erunt 104, qui a Kalendis Januarii ducti finiunt in Aprilis die 14: qua die 14. Aprilis *Paſcha* anno Chriſti 412. reapſe contigit. Confer, qui de hiſce docte, fuſeque differit inter alios, Petavium Rat. temp. Par. II. lib. 1. cap. 12. ſqq. *Aegyptiacae* denique, ſive *Nabonaſſareae* ſuffectam *Actiacam* Aeram fuiſſe ſupra diximus: ſed huicce deinde ab Aegyptiis *Diocletianaea*, initio a die 17. Septembris, Chriſti anno 284. ducto; iſtique demum Aera *Martyrum*, a graviſſima ſcilicet in Chriſtianos mota perſecutione ab eodem Imperatore accepto nomine, atque ab anno *Diocletiani* 19, Chriſti 302. auſpicato cardine, ſubrogata a Coptis eſt; qua de utraque ſuo infra, quum de Aegyptiorum &c. Epochis, loco ſermo fiet.

LVIII. Coptis jam vero, qui hodierno venerunt Menſes uſu, haud multum ab Aegyptiis differunt, neque ab Aegyptiaci anni *Fixi* ea, quae hodie apud Coptos obtinet, forma multum adhorret. Coptos porro, quod ad nominis originem attinet, genere Aegyptios, ita fuiſse cognominatos vel ab Urbe *Copto* ſcripſit Abdal-Moal Geographus Perſa in Climate 2. apud Herbelotum Bibl. Orient. p. 1004, quod & placuit Kirchero in Prodromo Copto cap. 1, ac Ricardo Simonio Hiſt. Crit. Nation. Orient. cap. 10; vel a *Circumciſione*, Graeco verbo nempe Κόπτω, quod Latinis eſt *Scindo*, Quareſmio in Elucid. Terrae Sanc. lib. 1. cap. 49. viſum eſt; vel a *Cabtim*, ſive *Chibth* Aegyptiorum Rege II, improbabiliter attamen, dictum eſt Joh. Leoni apud Scaligerum, ac Ducangio;

gio; vel a *Mizraimi* patre *Chus*, unde *Copt* derivatum, futili conjectura putat Vauslebius in Praef. Hiſt. Alex.; vel a *Gupti*, quo nomine olim Aethiopibus adpellatos Aegyptios autumant, indeque *Coptos*, perſuaſum habuere Scaliger de Emend. temp. lib. 7. p. 705, ac Morinus in Praefat. ad Ordin. Copt. p. 440, & 504, non advertens nuperam eſſe *Copti* vocem, eamque decem prioribus Seculis ignotam, Saracenorum in Aegyptum ingreſſu haud eſſe antiquiorem, videnduſque Maſius in Praef. ad Moyſem Mardenum de Paradiſo; vel a *Jacobitis* per aphaereſim, aut per apocopem, ſuſpicatus eſt, leviter tamen, Sollerius Act. SS. Junii T. V. in Adpend. ad Patriarchas Alexand. edit. Ven. p. 100, plurima de Coptis haud indocte diſputans; vel a voce *Kibthi*, ſive *Kobthi*, qua Aegyptii Arabibus vocari ſolent, verius interpretati Herbelotus in Bibl. Orient. p. 953, 1003. ſq., Harduinus in epiſt. ad Sollerium ibid., ac Renaudotius Liturg. Orient. T.I. in diſſert. de Lingua Coptica p. 115. videntur, videnduſque Wilkinſius in ſimili de Ling. Copta diſſert. Coptis itaque, ita dictis Aegyptiis iis dumtaxat, qui *Eslamiſmo* nomen haud dedere, quorum ideo linguam, non veterem *Aegyptio-Pharaonicam* eſſe, veluti dicere ſomniavit Kircherus, neque *Liby-Aegyptiam*, aut *Aegyptio-Arabicam*, uti Voſſio in mentem venit, ſed veterem ipſam *Aegyptiacam*, a Mohammedanorum tamen in Aegyptum expeditione vitiatam, depravatamque, hodie Chriſtianos apud Aegyptios paſſim uſurpari probat Renaudotius loc. cit. p. 113. ſqq., quocum conferendus Wilkinſius; Coptis, inquam, Menſes a veteribus Aegyptiis parum diverſos adhiberi certum eſt, conſtanſque. Qui namque *Mechir* Aegyptiis, *Amſchir* Coptis dicitur; qui illis *Phamenoth*, iſtis *Barmath*, atque Pharmuth *Barmuda*, Pacon *Baſchnes*, Payni *Beuna*, Epiphi *Aibib*, Phaophi *Baba*. Nempe, ut obſervat Maturinus Veiſsere la Croze in Not. ad Longuerue de Anno Perſar. §.25. p. 197, vitioſiſſima Coptorum, ex jugi Arabiſmi uſu, pronuntiatio id effecit, ut primitivae linguae ſuae Aegyptiacae voces diverſimode efferrent. Quamvis Coptis in uſu fuiſse Syrorum etiam Menſes *Elul*, *Thiſrim* priorem, *Thiſrim* poſteriorem, *Canun* primum, *Canun* ſecundum, *Schebath*,

Digitized by Google

bath, qui tribus annis continuis eſt dierum 28, quarto vero dierum 29, qui tum eſt *Biſſextilis*; ita quoque *Adar*, *Niſan*, *Ayiar*, *Haziram*, *Thamuz*, *Abh*, notat Albategnius Oper. Aſtron. cap. 32. Niſi quod Syris primus anni Menſis eſt *Thiſri* prior, Octobri reſpondens, Coptis eſt *Elul*, reſpondens Septembri; videnduſque Noriſius de Epochis Syromaced. diſſert. 3. cap. 6. edit. Veron. p. 236. ſq. Ex Papebrochio, & Sollerio porro Act. SS. Junii T. V. p. 11. Kalendarii Coptici, cum Romano comparati, Schema exhibere non poenitebit, ex quo liquido adpareat Menſium Coptorum menſura, & ratio, quove cum conferendum Kalendarium alterum Copticum apud Ludolfum in Comment. ad Hiſt. Aethiop. p. 389. ſq., conſulendique Golius in Not. ad Alfraganum p. 43, Beckius ad Ephemerid. Perſar. p. 6, Scaliger de Emend. temp. lib. 3. p. 198. ſqq., Moynius Var. Sacr. p. 460. &c.

M E N S E S

COPTORUM.		DIES. COLLECTI.	ROMANORUM.	
1. Tuth.	30.	30.	8. Auguſtus.	29.
2. Baba.	30.	60.	9. September.	28.
3. Hathur.	30.	90.	10. October.	28.
4. Chjach.	30.	120.	11. November.	27.
5. Tuba.	30.	150.	12. December.	27.
6. Amſchir.	30.	180.	1. Januarius.	26.
7. Bermahath.	30.	210.	2. Februarius.	25.
8. Bermuda.	30.	240.	3. Martius.	26.
9. Baſchnes.	30.	270.	4. Aprilis.	25.
10. Beuna.	30.	300.	5. Majus.	25.
11. Aibib.	30.	330.	6. Junius.	24.
12. Muſre.	30.	360.	7. Julius.	24.

LIX. Ex Bernato porro Copticae rei peritiſſimo, obſervat eo loci Sollerius Coptos, non ſecus atque olim Aegyptiis in more poſitum ſuperius oſtendimus, cum *Epagomenas* 5, ipſis, Aegyptiiſque *Meiſi* dictas, ad finem anni, ſive *Muſre*

 ultimi

ultimi Menſis, tum *Intercalarem* adponere diem, poſt diem 29. Auguſti, quolibet ſolere triennio, ſive Menſi ſexto, Romanum ante *Biſsextilem*, quem ideo *Biſsextum* ipſi vocare *Kebum* ſolent, indeque fieri, ut proximus ipſorum annus a die 30. Auguſti, ut apud Aegyptios, incipiat: Stylo veteri nempe, quem hodiedum, Gregoriana haud admiſſa Kalendarii emendatione, Copti ſervant: Stylo namque novo apud Coptos Annus *Communis* hodie a die 9. Septembris. *Biſsextus* a die 10. inchoatur. Quo ſit, ut Coptis hodie die Natalis Chriſti D. die 29. Decembris in anno *Communi*, qui reſpondet Januarii noſtri diei 6, in *Biſsexto* vero Decembris die 28, quae noſtri Januarii diei 5. reſpondet, ſolemnis habeatur. Quare mos apud illos obtinuit, ut in anno *Biſsextili* duobus continuo diebus 28, & 29. Decembris, ſive Januarii noſtri diebus 5, & 6, Natalis D. celebretur; atque ita ut aliquando, velut anno 1763. *Biſsextili*, die Jovis, ac Veneris, ideo die Veneris a Carnium eſu haud abſtineant. Tabulam eodem porro loci Sollerius exhibet, in qua *Biſsexti* Coptorum, ac Romanorum inter ſe comparantur; ſcrupulumque Tillemontii ſuper Intercalatione Coptica ſolvere conatur. Atque cum hocce profecto Menſium Coptorum a Papebrochio, ac Sollerio deſcripto Schediaſmate probe concordat *El-Kupti*, ſive Kalendarium Copticum ab inſigni Mohamedano Scriptore Abulaibſano Achmede Calcaſendio deſcriptum e Chriſtiano proculdubio aliquo Copto, quod ex Codice Mſ. exhibetur a Seldeno ad calcem de Syned. Vet. Hebr. lib. 3. cap. 15. p. 1398. ſqq.; in quove Feſta Coptis ſolemnia tum *Majora* VII, tum *Minora* totidem, tum alia pleraque totius per anni ſpatium recenſentur. Quo ſane loci obſervatu dignum illud adnotatur Seldeno ad Feſtum IV. *Aſcenſionis* D. p. 1301. ex Conſtitutionum Apoſtolicarum Codice Mſ. Arabico Bibl. Oxon. fol. 47, nempe legi ab Apoſtolis primum hoc *Aſcenſionis* feſtum die 40. a Chriſti D. *Reſurrectione* celebratum fuiſſe Aerae *Alkarnaim*, ideſt *Seleucidarum* anno 330. die 21. Menſis *Ijar*, feria 5, qui diei 15. Maji reſpondit. Quo fit, ut retroducti dies 40. pro die vero Chriſti D. in Cruce obitus indicent diem 15. *Niſan*, Aprilis diem 6, ejuſdem anni *Seleucidarum* 330. Quo ſane in nume-

numero ſi error non cubat, ac niſi 336. legendus ſit, inde liquet annis 8. ante Vulgarem Aeram eo ab Auctore Conſtitut. Apoſtol. Arabe Chriſti natalem conſignari. Auctor etiam Graecus Apoſtol.Conſtitutionum edit. Cotel.lib.5.cap.14. T.I.p.319. Chriſtum D. Menſe *Xantico*, ſeu Aprili Crucifixum tradit. Obſervat vero Cotelerius in Not. p.314. ſq. in Fragmento Conſt. Apoſt. Bibl. Reg.n.1474. Chriſti natalem conſignari anno Mundi 5506. die 25. Decembris, & Crucifixionem anno M. 5539, Cyclo *Lunae* 10, *Solis* 23, *Phamenoth* die 28, Martii die 24. In altero ejuſdem Bibl. Mſ. fragmento n.1819. legi Chriſtum D. Crucifixum eodem Mundi anno 5539, Vitae 33, die 27. *Phamenoth*, 23.Martii. Aſt in Judicio generali ad eaſdem Conſtitutiones Apoſt. p. 198. ſq. adnotat in Fragmento altero Bibl. Regiae n.1787. ad calcem Quaeſt.100. Anaſtaſii Nicaeni haberi Chriſtum D. Natum die 29. *Choeac*, Decembris 25, Baptiſatum anno 30, die 11. *Tybi*, Januarii 6, Crucifixum anno 33, *Phamenoth* die 29, Martii 25. Quo cum poſtremo computo faciunt approbe Auctor Chron. Alex. p.225. edit. Pariſ., Ven. p.180, (qui tamen in eo fallitur, quod *Choeac* diem 25, qui eſſe 29. debet, cum die 25. Decembris confert); S.Nicephorus Conſtantinopolit. in Chron. ad calcem Syncelli p.399. ſq. edit. Pariſ., Ven.p.318. ſq.; Georgius Arbelae Metropolita in Tract. de diebus diſpenſationis Domini cap. 7. ſqq. apud Cl. Aſſemanum Bibl. Orient. T.III. p.511. ſqq., aliique Clementi Alex. Strom.lib.1.p.340. memorati. Ex Coptorum tamen ſententia tradit ibidem Calcaſendius p.1302. Chriſti D. *Reſurrectionem* in diem 6. *Barmuda*, Juliani Aprilis 1, *Pentecoſtem*, vero in diem 26. *Baſchunes*, ideſt Maii Juliani diem 21. incidiſſe.

LX. Chriſti D. *Natalis* adhaec in eodem Kalendario Copto die 29. *Chjac*, quae reſpondet approbe diei 25. Decembris, conſignatus legitur. Quo die pariter *Natalem* Chriſti D. conſignari a Coptis tradit Eutychius Annal.p.310; ab Aethiopibus, obſervat Scaliger de Emend. temp. lib.7. p.678. ſq.; a Syris, atque Graecis probat Widmanſtadius Epiſt. ſubnexa Teſt. Syriaco, ubi ex fide Codicis Mſ. Graeci Bibl. Mediceae Mohamedis in Dialog. §.12. Chriſti natalem die 23. *Ramadan* conſignantis errorem abunde refellit. Ad haec in eodem Calcaſen-

dii Kalendario Copto egreſſus *Noachi* ex Arca die 10. *Thoth*, Septembris 7. conſignatus legitur : qui tamen ab Eutychio Annal. T.I. p.41. in diem 17. *Niſan* , ſive diem 17. *Bermuda* , qui diei 11. Aprilis reſpondet, conſertur; in diem 27. *Ijar*, qui Maji die 18. aequatur, a Joſepho Antiq. Jud. lib.1. cap.4, & a R. Joſue apud Seldenum p.1207; in diem 27. *Marcheſvan*, qui cum die 17. Novembris concurrit, a Paraphraſte Jonatha, quem item ſequitur Joſephus, a R. Jarchio in Geneſ. vii. 11, ac Rabbinis aliis in *Seder Olam Rabba* cap.4. Kalendario huicce vero approbe conforme alterum Coptum ex Codice Arabico Mſ. Evangeliorum ad calcem adjecto, conſcriptoque die 8. *Muſre*, ideſt Auguſti die 1., Aerae *Martyrum* 1002, Chriſtianae hoc eſt 1286, exhibet Seldenus loc. cit. p.1318. ſqq., qui tertium denique Kalendarium Coptum adjicit p.3343. ſq. ab Ibn Shatar Mohamedano Scriptore die Veneris *Giumadi* prioris, *Hegirae* anno 702, Chriſti hoceſt 1302. a die 26. Auguſti, conſcriptum, in quo tam Chriſtiana apud Syros, & Coptos, quam profana apud Judaeos, ac Mohamedanos Feſta per Menſes exhibentur. Ubi de die *Crucifixionis* Chriſti D. diſſerens impius Mohamedanus hic *Mohamedis* in Alcorano Surata 4; Arabice apud Retinenſem Azoara 11. blaſphemiam inſtaurat de altero Chriſto D. ſimili, non Chriſto ipſo D., crucifixo : quam ob blaſphemiam, aliaſque, Manichaeorum ſectatorem *Mohamedum* facere non dubitavit Johannes Cantacuzenus Orat.3. contra Mohamedum. Sed hacce de re ſatis jam, ac ſuper. Aera porro *Diocletianaea* pridem, hodie *Martyrum*, a Chriſti anno 284. exordio ducto, uti Copti ſolent tam Orthodoxi, quam Jacobitae; quorum a Patriarcha Cairi in Aegypto commorante Metropolitam a priſco tempore accipere Aethiopes ſolent, dictum *Abuna*, ideſt *Pater noſter*, itanamque, Coptos ideſt, *Martyrum* uti Aera conſtat ex Epiſtola Johannis Patriarchae Copti e Cairo ad Clementem XI.P.M. die 10. Martii anno Coptorum 1418, alteraque ad Ludovicum XIV. Galliarum Regem, & altera ad Comitem de Pontchartrain Regium Adminiſtrum die 26. *Tomba* anno *Diocletianaeo*, ſive *Martyrum* 1418, Aerae Chriſtianae 1702. apud Hieronymum Lobum Itiner. Abyſſinii T.II. Diſſert., ac Monum.

num. adaucti a D. Le Grand Amſtel. 1728. p. 245. ſqq.

LXI. De Abyſſiniis, quos multo a Coptis nomine diſtinguendos eſſe docet Vir doctiſſ. Sollerius Act. SS. Junii T. V. in Adpend. ad Hiſt. Patriarch. Alex. §. 5. ſq. p. 114. ſqq., ſeu Aethiopibus nunc loquendo, prout operis mihi praeſtituti ratio depoſcit, Abyſſiniae principio imperium, peramplum olim a Mari Rubro ad Congum, & ab Aegypto ad Indum Mare exporrectum, a gradu 7. uſque ad gradum 17, Regna 36, qualia numerata videre licet a Domino le Grandio in diſſert. ad Itiner. hiſtor. Abyſſiniae P. Hieronymi Lobi Soc. I. T. I. diſſert. 2. p. 253. ſqq., ſive Regna 34, ac Provincias 18, quot ipſe Lobus in Relat. Imp. Abyſſiniae eodem T. I. p. 82. ſqq. recenſuit, antiquitus comprehendebat: hodie tamen Regna 5. dumtaxat, *Tigrè*, *Bagameder*, *Gojama*, *Ambara*, & *Damota*, ac Provincias 6. vix complectitur: inter quos omnium cultiores *Ambari* habentur, unde longe nobilior *Ambarica* lingua cenſetur; tum *Tigrenſes*, hique germani ſunt Abyſſinii; ſequuntur *Damotae*, *Gaſates*, & *Agauſii*; reliqui namque barbari, & agreſtes, *Galles* quammaxime, ſunt, videnduſque Lobus in Relat. Hiſt. Abyſſiniae verſ. Gall. Amſt. 1728. T. I. p. 79. ſqq., ex quo haec delibata ſunt. Abyſſiniorum originem quod attinet, ea tam incerta eſt, quam Populorum aliorum longe plurium. Quamvis, ſi fides ipſis praebenda foret, e *Chamo* Noachi filio ſe prognatos, quin ab ea longe procul aetate ex eadem familia ſe Reges habuiſſe jactant Abyſſinii. Atque a *Chamo* ſane uſque ad *Facilidam*, ſive *Baſilidem*, a quo medio circiter Aerae Chriſtianae Seculo XVII, ſive anno Chriſti 1634, graviſſima in Orthodoxos noſtros mota tempeſtas eſt, Reges 172, quos inter celeberrimam Reginam *Sabam*, Abyſſiniis *Nicaulam*, aut *Machedam* adpellatam, in Evangelii verſione *Nagiſtam-Azeb*, ideſt *Reginam Auſtri*, nec non *Candacem*, ipſis *Juditham* dictam, computant. Abyſſinios e contra Arabicae eſſe originis, Arabiaeque olim incolas in Africam tranſplantatos fuiſſe, poſt Scaligerum de Emend. temp. lib. 7. p. 680. ſq., perſuaſum habent Fourmontius in diſſert. de Orig., & Antiq. Aethiopum in Africa, Monum. Acad. Inſcrip. Pariſ. T. VII. inſerta, Stephanus Morinus diſſert. de Abyſſiniis in Africa,
Cro-

Crozaeus in Hiſt. Chriſt. Aethiop. lib. 1. p. 79, ubi Aethiopes Religionem a Chriſtianis *Nazaraeis* accepiſſe, quin fortaſſis ab his originem etiam duxiſſe ſuſpicatur, Relandus, atque Leibnitius in Meditat. de Originibus Gentium ex indicio linguarum ductis, Miſcell. Berolin. T. III. p. 4; quo loci Mari Rubro tranſmiſſo, Aethiopiae Orientalis meliora Arabum Colonias inſediſſe ex ipſa Abyſſinii ſermonis conſideratione arguit, nec *Ambaricam* a vulgari Aethiopica, niſi dialecto, diſtare linguam obſervans, atque plurimum Arabiſmi in Maris Indici accolis adparere. Quamquam id argumenti genus a linguae adfinitate petiti haud multum urget: fatente namque ipſo Leibnitio, Aegyptia, quae hodie *Copta*, multum ab Arabica, cognatiſque abeſt; fierique potuit, ut ab antiquiſſimis Aethiopibus proceſſerit, antequam Arabes in Aethiopiam trajecerint. Cum Arabica deinde, & Aethiopica lingua Aſſyriam, Chaldaeam, & Hebraeam, e qua ceterae facile profluxere, magnam habere adfinitatem Proleg. I multis factum eſt planum: ubi tamen pleraſque unius cum lingua altera paranomaſias, ſive alluſiones haud argumento eſſe, unam ab alia derivatam fuiſſe linguam, plurimis oſtenſum exemplis dedimus. Ita *Isbibal* Virago, *Isb* Homo in Syriaca; *Homo* humus in Latina; *Mouſes* Moyſes in Aegyptia; *Hebatelab* Habel in Arabica; *Babal* Babel *Bobel* in Chaldaica; *Nibam*, Noe, *Nobem* in Hebraea; *Abbam*, Abraham, *Abbamon* in Hebraea; *Abu-robam* idem in Arabica &c., velut obſervatum eſt Anglis Scriptoribus Hiſt. Univ. T. II. Par. I. cap. 2. p. 33. ſqq., & Obſervat. p. 161. ſqq. Ex Arabia itaque etſi ductas olim in Aethiopiam fuiſſe Colonias haud inficias eam, ductas tamen antea in Aethiopiam Colonias ex Aſſyria, & Chaldaea perſuaſum habeo, quod alibi perſuadere conabor, ac poſtea ex Aegypto, ſub *Seſoſtri* praeſertim, Colonias alias fuiſſe deductas, Aegyptioſque mores, atque ritus, Annique rationes transfuſas opinor, quo de argumento fuſius, quum de Aegyp., Arab., Aethiopum &c. Epochis.

LXII. Jam vero qui priſca ab aetate Menſes, quaeve Anni forma uſu primum Aethiopibus fuerit, in obſcuro latet, quam veri quidpiam ſimile definiri queat. Aſtronomica ſcientia porro Aethiopes prima ab aetate prae Aegyptiis excelluiſſe, quin ad

Digitized by Google

ad Aegyptios hanc ab Aethiopibus fuiſse derivatam ſcripſit Lucianus Περὶ Ἀστρολογίας. Quae ſi veritate nituntur, conjecturam inde capere licet a Chaldaeis in Aethiopiam Aſtronomiae transfuſam ſcientiam fuiſse, ideoque priſcam quoque Chaldaeis frequentatam Anni formam. Sera deinde ſub aetate Aethiopibus ad Chriſtiana Sacra converſis, quemadmodum ab Aegyptiis dogmata, Religioniſque Praeſides, quod & hodiedum faciunt, ſic etiam Anni formam accipere ſolemne fuiſse, Monumenta, quae adhuc proſtant, dubitare non ſinunt, queis de Renaudotius in Hiſt. Patriarch. Alex., & Crozaeus in Hiſt. Chriſt. Aethiop. Aſt enim longe antehac ab Aegyptiis Anni formam Aethiopes fuiſse mutuatos, atque Menſes tam apud hos, quam apud illos, ut ceteros apud Orientales, fuiſse tricenarios primum omnes obſervatum eſt Oertelio in Theologia Aethiop. loco XIV. de Baptiſmo p. 120. ſeq., conferenda ſane cum Theologia altera Aethiopica Abba Gregorii ad Quaeſtiones Jobi Ludolphi deſcripta ab Hermanno Samuele Reimaro, ex ipſoque genero ſuo a Joh. Alberto Fabricio Salut. Luc. Evang. cap. 45. p. 716. ſqq. Quo tamen loci monendus obiter Lector de ſubleſta Proteſtantium fide, deque fraude, viro honeſto indigna, qua hac in re Ludolfus, ex quo ceteri deſumpſere, egit. Gregorium enim illum Aethiopem, cujuſce, vice Liturgiarum, quae apud Aethiopes vigent, eas nempe in lucem proferre veritus, dictis, ſive reſponſis, ad ſuas interrogationes vafre inflexis, ad deprimenda Romanae Eccleſiae dogmata pleraque de Confeſſione Auriculari, de Tranſubſtantiatione Euchariſtica, de Purgatorio, de Sanctorum Invocatione, de SS. Imaginibus, de Primatu Papae &c. abuſus eſt Ludolfus in Comment. ad Hiſt. Aethiop., Gregorium, inquam, illum hominem fuiſſe ignorantiſſimum, quin & ipſius reſponſiones non tam perperam fuiſſe interpretatum Ludolfum, quam ſuum ad Calvinianum peſſime intorſiſſe genium oſtenſum dedere Duumviri doctiſſ. Picqueſius, ac Le Grandius in epiſt. ad Ludolfum, ac in diſſert. ad Hiſt. Aethiop. Ludolfi inſerta Relat. Itiner. P. Hieronymi Lobi T. I. p. 223. ſqq. In lineam, unde paulliſper digreſſus ſum, ut me modo recipiam, Annus ſiquidem apud Aethiopes ita computatus ex diebus 360. dumtaxat haud integre *Solis* pe-

periodo congrueret, ad finem anni perinde *Epagomenas*, ipſis dictas *Paguemen*, aggregandas fore ab Aegyptiis didicere. Neque enim Oertelio loco cit. adquieſco adfirmanti ab Aethiopibus dies 12. ad finem anni fuiſſe adjectos; indeque factum, ut diebus 6. in *Biſexto*, aut diebus 7. in *Communi* Aethiopicus Julianum excederet annum, cujus utpote exceſſus nullum in Aegyptiaco anno veſtigium extet. Annum denique a die 29. Auguſti, juxta Kalendarium Julianum, pro more Orientalium fere omnium, Patriarcharum etiam, de quo data erudita Diſſertatione agit Henricus Klauſingius, Aethiopes quoque exordiendum duxere. Nempe eodem, quo Aegyptiis modo, accepta Aethiopibus *Actiaca* Aera, ad Juliani perinde Anni formam, annis uti *Fixis*, eoſdemque ab *Alexandria* capta ab *Auguſto* anno 5. dinumerare cepere. Nullum proinde diſcrimen Aegyptiorum Annum, & Menſes inter, ac Menſes, & Annum Aethiopum intercedit, niſi ſola Menſium denominatione; ſunt vero ſequentes.

M E N S E S

AETHIOPUM.		ROMANORUM.				AETHIOPUM.		ROMANORUM.			
1. Maſcharam	30.	Auguſti	29.	Biſs.	30.	7. Megabith	30.	Februarii	25.	Biſs.	26.
2. Ticmith	30.	Septembris	28.		29.	8. Miazia	30.	Martii	26.		27.
3. Hedar	30.	Octobris	28.		29.	9. Ginboth	30.	Aprilis	25.		26.
4. Tachſam	30.	Novembris	27.		28.	10. Seni	30.	Maji	25.		26.
5. Thir	30.	Decembris	27.		28.	11. Hamle	30.	Junii	24.		25.
6. Jacathit	30.	Januarii	26.		27.	12. Nahaſe	30.	Julii	24.		25.

LXIII. Diverſas porro juxta dialectos Aethiopicam, Arabicam, Aegyptiam &c. inflexa diverſimode iſthaec Menſium nomina videre licet apud Ludolfum Hiſt. Aethiop., Scaligerum de Emend. temp. lib.4. p.238, Moynium Var.Sacr.T.I. in fin., Kircherum in Prodomo Copto cap.5, Fabricium in Menologio p.73, alioſque, e quibus ea nobis Aethiopicorum Menſium delecta eſt nuncupatio, quae magis ad Aethiopicae linguae genium accedere videbatur. Illud heic interea diligenter animadvertere oportet, quod Menſes ſicut *Aegyptii*, & *Copti*, ſic *Aethiopici* unitate adaugendi ſunt uſque ad Februarium, quoties

ties apud ipſos annus *Biſſextus* a die 30. Auguſti incipit. Nempe quum annus quilibet *Aegyptiacus*, ſive *Coptus*, ſive *Aethiopicus* Intercalarem proximus excipit: tum enim *Thoth*, *Thath*, & *Maſcharam* ab Auguſti die 30. incipientes efficiunt: ut *Phaophi*, *Babu*, & *Ticmith* a die 29. Septembris incipiant, *Athyr*, *Hathur*, & *Hedar* incipiant ab Octobris die 29, ac ſic deinceps, uſque ad Februarium, cujus a die 26. *Phamenoth*, *Bermahath*, & *Megabith* incipiunt, ac deinde *Pharmuthi*, *Bermuda*, & *Miazia* a Martii die 27, ac ſic ceteri deinceps in Laterculo deſcripti. Conferri meretur Kalendarium Anni Aethiopici per duodecim Menſes digeſtum apud Scaligerum de Emend. temp. lib. 7. p. 685. ſqq., in quo tum Computus Eccleſiaſticus habetur, tum Πλινθίον *Plinthion*, Cyclus ideſt *Epactas* Solares exhibens, quae Regularibus dierum adpoſitae dant Feriam diei, cum Cyclo *Solari* Romano confertur. Duplex porro apud Aethiopes uſurpari Aera, indeque duci Annorum computus ſolet: I. Aera, quam Ἀπό Πτώσεως Ἀδάμ, *A Caſu Adam* nuncupant, a Creatione Mundi ad Chriſti natalem extenditur, quo temporis intervallo annos 5500. computant, annis 7. ideſt amplius, quam *Alexandrina* Eccleſia, quae annos 5493. numerat, annis 8. vero minus, quam Eccleſia *Conſtantinopolitana*, quae annos 5508. ſupputat, annoque uno ante, quam *Anthiochena* Eccleſia, quae annos 5501. a Mundi conditu ad Chriſtianam Aeram *Dionyſianam* colligit; queis de Aeris ſuo operoſe loco agendum erit. Atque ita Epocha iſthaec *Mundi* conſignata legitur in Epiſtola *Adyjami Segbed* Aethiopiae Imperatoris ad Galliarum Regem anno 1702, Februarii die 8. ſcripta, Itinerario P. Hieronymi Lobi, diſſertationibus, ac relationibus aucto a D. Le Grandio T.II. p.221. II. Aera, quae Coptis *Tarick El-kupti*, ideſt *Aera Copta* adpellatur, Aethiopibus *Amath Macharath* dicitur, hoc eſt *Aera Gratiae*, indeque ductus annorum Computus תריץ *Rectus*, ſive Ὀρθόδοξος dici ſolet, ipſamet eſt *Martyrum* Aera *Diocletianaea*. Nempe anno *Diocletiani* 19, Chriſti 302, die 25. Martii, Paſchali dicata feſto, in Aegypto Chriſtiani ad centum quadraginta quatuor millia 500. Martyrio adfecti feruntur. Quo idcirco ab anno novam deinceps ineundam Aeram duxere Aegyptii, ac Ae-

thiopes, ita tamen, ut ab anno 1. *Diocletiani* eidem factum exordium deinde fuerit, Romanorum inſtar, quibus ſolemnis *Diocletianaea* fuit Aera, ab anno 1. imperii *Diocletiani*, Aerae Chriſtianae anno 284, die 17. Septembris initio ducto, qua de Chronicon Alex. ad an. 19. Diocletiani edit. Ven. p. 221, Ignatius Patriarcha Antiochenus in Epiſtola Arabica ad Scaligerum apud ipſum de Emend. temp. lib. 5. p. 495. ſq., Aethiopes in litteris ad Kircherum Prodromi Copti cap. 2. p. 25. ſqq., Auctor Theſauri Copto-Arabici ibid. p. 27. ſq., ac in Actis unionis Eccleſiae Aegyptiacae ſub Clemente VIII. P. M. anno 1593, feria 2, die 22. Novembris, ſive die 16. *Hatur*, a *SS. Martyribus* anno 1310. ibid. p. 29. ſq., conferendique Bucherius ad Can. Paſch. Victorii cap. 6, Jacob. Grandamicus in Chronolog. Chriſt. Par. II. p. 57, & Par. III. p. 53, ac Petavius Doct. temp. lib. 11. cap. 29. ſq,, ubi recte Scaligerum de Emend. temp. lib. 5. p. 494. ſqq., Iſag. Can. lib. 3. p. 274, & in Not. ad Euſeb. p. 242. refellit, utqui *Aegyptiacam* hanc Aeram triennio *Diocletiani* imperio, quod in Chriſti annum 287. conferre non dubitavit, anticiparit, recte tametſi in Chriſti annum 284, quo ipſo revera Diocletianus imperium inijt, hanc retulerit Epocham. Mohammedanorum adhaec Menſibus, & *Hegira* utuntur aliquando Aethiopes, uti videre eſt in Epiſtolis T*aklimanonotb* Aethiopiae Imperatoris tam ad Regem Sannaar *Bady*, filium *Ounſae* Regis die 10. *Zulkade* Lunae, anno 1118, ideſt Chriſti 1706, Januarii die 21, quam ad D. Du Roule Conſulem Gallum Cairi eadem die 10. *Zulkade* anno 1118, ideſt Januarii die 21, anno 1706. apud le Grandium Itiner. T. II. p. 235. ſqq. Ab Aethiopibus denique tempus a Mundi creatione ad ejuſdem Κόσμȣ Συντέλειαν Conſumationem annorum 7000. determinari ſolet: quae ſeptem annorum millia per ſeptem Centurias, quas *Enochi* Hebdomadas nuncupant, ita dividere ipſis adlibuit, ut Hebdomadas rurſus in *Jubilaea* diſtribuant, queis de adeundus Scaliger de Emend. temp. lib. 7. p. 701. ſq.

LXIV. Aethiopiae ad Occidentem Congus, Matamba, & Angola, quaeis Inferioris Aethiopiae nomen etiam inditum eſt, ſicut Aethiopiae Superioris ad Orientem poſitae Abyſſinia vocabulum obtinet. Populis jam vero hiſce ſex in tempeſtates, juxta

Digitized by Google

juxta Pluviarum differentiam, Annus diſpeſci ſolet, ideſt 1. in *Maſſanſa*, quod eſt Ver, cum Januarii initio incipiens, quo nempe tellus germinare incipit; 2. in *Nſasu*, quae cum Februario, quo ſegetes matureſcere incipiunt, auſpicatur; 3. *Ecundi*, quae ab initio Martii ducitur, quo pluviae inchoant ad finem Maji; 4. *Quitombo*, quae a fine Maji ad Septembrem excurrit, quo tempore pluviae ceſſant; 5. *Quibiſo*, quae Hyems eſt, a fine Septembris ad Novembris initium; 6. *Quimbangalla*, quae uſque ad Januarium durat: adeo propterea ut Populis hiſce duplex *Ver*, duplex *Aeſtas*, & duplex *Autumnus* ſit. Anni jam vero tempeſtates iſtae ſex in Menſes 12. dividi ſolent; Menſes vero in Hebdomadas, quae *Suonae* ipſorum lingua nuncupantur, unaquaeque vero diebus quatuor dumtaxat conſtat, e quibus tres feriales ſunt, quartus Idololatris feſtivus eſt, quotidiano ideo a labore vacuus. Adhaec Anno a Septembri initium facere mos ipſis eſt ſolemnis: qui Menſis primus Pluviis ideo quod proximus ſit, *Begi-Combanda*, aut *Imuilla* dici ſolet, vulgari nomine vero *Begi-Camoxi*. Menſium autem nomina vulgo ipſis uſurpata ſequentia ſunt, velut eadem nobis ſuppeditat P. Joh. Antonius Cavazzius a Montecuculo Ordin. noſtri Hiſt. Congi, Matambae, & Angolae lib. I. p. 20.

M E N S E S

AMBONDORUM, SIVE CONGENSIUM, ET ANGOLANORUM.

1. Begi Camoxi	September.	7. Caſſambuari	Martius.
2. Cajiarí Ingi	October.	8. Canaque	Aprilis.
3. Mucatatú	November.	9. Begi Cuuà	Majus.
4. Begi Cuuana	December.	10. Begi Cuuím	Junius.
5. Begi Cattenù	Januarius.	11. Begi Cuuime i mexi	Julius.
6. Begi Caſſamoni	Februarius.	12. Cuuimme Ajiari	Auguſtus.

D E

MENSIBUS, ET ANNIS

Indorum, *Malabarorum*, *Coromandeliorum*, *Indoſtanorum*, *Boutanorum*, *Thibetanorum*, *Nepalenſium*, *Tangutanorum*, *Siamenſium*, *Cambajenſium*, *Malacenſium*, *Ceylanorum*, *Laoſenſium*, *Peguanorum*, *Arachenſium &c.*

Articulus II.

I. DE Indis, Gentibus ideſt ad Ortum longe, lateque diffuſis, modo dicturi, fateri principio cogimur, horum omnium Populorum Veterem; ac imo Novam Hiſtoriam, &. Chronologiam magnis undique, ſpiſſiſque obrutam tenebris diu jacuiſſe, neque adhuc tot Virorum doctiſs. etſi conatibus effectum, ut apertam proferri in lucem quiverit. Sequemur attamen eorum, qui prae aliis hoc in ſtudii genere, ſtadioque deſudarunt, veſtigia, vades haud interea nos eorum, quae Doctiſs. etſi viris prolata ſunt, omnium praeſtantes. Atque *India* quidem olim, & hodie geminas in Regiones, *Intra Gangem* Ἡ ἐντὸς Γάγγε una, quae ab Occidentali Indi oſtio ad oſtium Gangis Orien-

Digitized by Google

Orientale per leucas 400. fere exporrigitur, Arachoſia, & Gedroſia ad Occaſum, Imao Monte ad Aquilonem, Oceano ad Meridiem definita; *Extra Gangem* Ἡ ἐκτὸς Γάγγȣ altera, quae Mari Orientali a Meridie finitur, a Septentrione Scythia, ab Ortu Corea, & Jeſſo, ab Occaſu Indo dividi conſuevit. In priori ſane Populi olim Aſpii, Thyraei, Araſaci, Peucolaitae, Taxilli, Aſſaceni, Guraci, Cathaei, Malli, Gandarae, Oxidracae, Sibae, Praſii, Laryces, Ariaces, Limyrices, Ajori, Carei, Bati, Aruarni, Maeſoli, Sabarae, Sabracae, Muſicani, Praeſti, Agriophagi, Parapiotae, Phyllitae, Brolingae, Poruari, Adiſathri, Sorae, Nomades, Mandalae, Cocconagae, aliique Arriano lib. 4. cap. 22. ſqq., Luciano Fugitiv. p. 594, Straboni lib. 15. p. 480. ſq., Diodoro lib. 2. p. 120. ſqq., Plinio lib. 6. cap. 17. ſqq., Q. Curtio lib. 8. cap. 10. ſqq., & lib. 9. cap. 7. ſqq., Ptolomaeo lib. 7. cap. 1. ſq., Nonno Dionyſ. lib. 26. ſq. p. 68. ſqq., & p. 708. ſq. &c. memorati leguntur; in poſteriori vero Gangaridae, Calingae, Argyraei, Chryſaei, Biſyngeti, Sophiritae, ſive Ophiritae, Leſtae, Balongi, Corgathae, Sindi, Pagraſi, Toſoli, Tugmitae, Chalcitidae, Tacoraei, Corancalli, Indaphratae, Cacobae, Iberingae, Dabaſae, aliique obſcuri nominis Populi longe plures; videndique Cellarius Geog. Antiq. T. II. lib. 3. cap. 23. p. 731. ſqq., ubi & de Indici Maris Inſulis p. 749. ſqq.; & Continuator Rollini Hiſt. Moder. Sinen. Jap., Ind. &c. T. III. Introd. edit. Ven. p. 2. ſqq. Hodie tamen Indiae *Intra Gangem* nomine Indoſtania, ſive Mogolis ampliſſima Regio venit, quae in Provincias XXXIV. partiri ſolet; atque Indoſtaniae Peninſula, quae a gradu 8. ad 20. Latit. Septent. extenſa, Ora Malabarica ab Occaſu, a Guzaratis ideſt confinio uſque ad Comorini Promontorium, ubi Regna X. obtinent; ab Ortu vero Ora Coromandelica ad fretum Bengalicum finitur; in qua Regna X. itidem numerantur, in medio Regna comprehendens Viſapuriae, Carnatae, & GolKondae. Inde ubi finitur India *Intra Gangem*, incipit altera *Extra Gangem* India, a freto Bengalico ad Occaſum, ad Ortum, & ad Meridiem ab Orientali Mari, Tartaria, & Mogole, ac Sinis ad Aquilonem finita, per leucas 500. fere a Septentrione ad Auſtrum, perque leucas 363. ab Occaſu

Occaſu ad Ortum extenſa, atque Regna Ceylani Inſulae, Tuphaniae, Kakonoris, Thibeti, Boutaniae, Nepalis, Azemi, Tiprae, Arrakani, Pegovii, Avae, Laoſi, Malacae, Cambajae, Siami, Ciampae, Cochinchinae, Tonquini &c. complectitur. Indis utriſque porro jamdiu, hodieque potiſſimum tam Commercii, quam Religionis cauſſa immixtos alios pleroſque Aſiae, Africae, & Europae Populos ignoratum eſt nemini; adeo ut Indiae utriuſque Incolae commode in Ethnicos, Judaeos, Mohammedanos, & Chriſtianos; hique in Armenios, Graecos, Neſtorianos, Jacobitas, Proteſtantes, ac Romanos Catholicos diſtingui ſoleant. Itaque non haeic de Romanis, ac Proteſtantibus,queis Annus uſu *Julianus* eſt, non de Jacobitis, ac Neſtorianis, queis Annum *Arabum*, aut *Syrorum*, aut *Graecorum* adhiberi ſuo infra docebimus loco, neque de Mohammedanis, quibus *Turcarum*, aut *Arabum* Annum uſurpari palam alibi faciemus, neque de Judaeis, quos ſuo uti Anno pergere, non ſecus, atque Perſas, Armenios, & Graecos ignotum haud eſt; ſed de Ethnicis dumtaxat, hiſque Indigenis, non de Guebris Alienigenis, genere Perſis, qui poſt *Izdegerdis* obitum e Perſide anno Chriſti 766. magno ſe per Guzaratis in Indoſtania Regiones effudere numero, hodieque dum Veterum Perſarum cum Religionem tenent, Ignemque colunt, tum Lingua veteri Perſica adhuc loquuntur: quam ut addiſceret, eò e Gallia ſe contulit, eamque reapſe didicit, Vetereſque ab illis *Zoroaſtris* libros obtinuit *Anquetilius*; qui & illud obſervatu dignum nobis retulit a Guebris tam ex veteri traditione, quam ex libris memoriae demandatis ab exordio Mundi ad Chriſti natalem annos 4000, ſicut Hebraicus Textus, & Vulgata Noſtra computant, non amplius computari; videndique Auctor Ephemerid. Sapient. Julii 1762, & Eques de Origny in Chron. Aegypt. T. I. Sect. 1. cap. 7. p. 124. ſqq., ibique in Not., ſermo nobis impraeſentiarum eſt.

II. Antequam attamen ad ſpartam hanc adornandam noſtra ſe accingat Oratio, de *Indorum* Originibus, & Antiquitatibus, unde lux dicendis uberior adfulgeat, nonnulla attingere operae pretium eſt. Atque de *Indis* porro, quos a *Sindo*, aut *Indo*, qui *Chami* pronepos fertur, originem duxiſſe,

xiſse, receptam Arabibus traditionem eſſe obſervant Angli Scriptores Hiſt. Univ. verſ. Gallic. T. XIII. lib. 5, diverſa, & prorſus incredibilia tradi, & quidem ex ipſorum relatu, famaque recepta, a Graecis pro more, quem Chaldaeis, Phoeniciis, Aegyptiiſque fuiſſe communem, alibi dictum abunde; Scriptoribus, ſolent. Inter quae a *Libero* Patre, ſive *Dionyſio*, vulgo *Baccho*, uſque ad *Alexandrum* M. Reges CLIV. in India, anniſque 5402., ac Menſibus 3. imperaſſe ſcripſit Plinius Hiſt. nat. lib. 6. cap. 17. ſqq., ſive ut habent Arrianus de Reb. Ind., ac Solinus cap. 52., annis 6451, ac Menſibus 3: quos calculos ambabus ultro citroque ulnis, tamquam eos, qui ſuis ante Mundum conditum Praeadamitis loco, & tempore ſtabiliendis probe conferrent, amplecti viſus eſt Iſaacus Pereyrius in Syſtem. Theolog. lib. 4. cap. 9.; quas attamen fabulas abunde refutavit Jaquelotius de Exiſten. Dei T. II. diſſert. 1. cap. 18. p. 11. ſqq., ut amplum nobis, qui tempore non abutimur, otium fecerit. Quamquam hancce *Bacchi* in Indiam Expeditionem, quam omnium primam fuiſse auctor eſt Megaſthenes apud Strabonem lib. 15., non aliam, quam quae a *Seſoſtri* ex Aegypto Chriſti ante natalem anno 1500. circiter adornata fuit, cujuſque ſane documento ſunt geminae, quae olim ad Gangis oſtium in Monte poſitae fuere Columnae, *Seſoſtris* nomine, ac victoria inſcriptae, contendunt Nevvtonus in Chron. Vet. Regn. emend., Angli Scriptores Hiſt. Univ. edit. Pariſ. T. XIII. lib. 10., & Continuator Rollini Hiſt. Mod. Sinen., Japon., Ind. &c. T. III. edit. Ven. Introd. §. 3. p. 8. ſq. Queis ego tamen in hac repugno parte, qua *Seſoſtrim* indiſtinctum prorſus a *Seſaco* habendum fore putant, quo de argumento prolixius alibi. Vel ab eo ad haec tempore, quo Turris *Babylonica* condi jam ceperat, *Indum* quemdam floruiſse ex *Arphaxadi* ſtirpe, nomine *Andubarium*, ſapientiae, & Aſtronomiae quammaxime, laude clarum, a quo primum apud Indos de Aſtronomicis diſciplinis libri conſcripti fuerint, venditavit ſaepe nugivendulus Auctor Chronici Radero Alexandrini, Leunclavio Conſtantinopolitani, Ducangio, Doctiſque communiter Paſchalis dicti edit. Ven. p. 30. Sed & Cteſias, ineptus, ut obſervat Photius Cod. 72. p. 158, ſimplici plus vice Scriptor, ac fabulator in Indicis praeſertim apud Dio-

Diodorum Sicul. lib. 2, auctor eſt a *Semiramide* Expeditionem adverſus *Staprobatem* Indiarum Regem adornatam peſſime eidem ſucceſſiſſe, ſuis ex Aſsyriis in praelio decies centenis millibus deſideratis. A *Baccho* deinde, ſive *Seſoſtri*, Regis nomine fuiſse Indiae praefectus *Spartembas*, a quo *Bacchi* cultus inductus ideo fuerit; ei poſt annos 52. Succeſſiſſe filius *Budias*, iſtique poſt annos 20. *Cradevas* filius item fertur apud Anglos Script. loc. indic. In haece porro Dynaſtia Indorum Regum I. a *Baccho* regnaſſe una ex Patrum ſerie filios uſque ad *Herculem* per annos 1500; ab *Hercule* vero Dynaſtiam II. in India fundatam fuiſse, eumque filium excepiſſe, e quo *Pandea* genita uni Indiarum Provinciae ſuo de nomen fecerit, auctor eſt Arrianus in Indicis, & Ariſtides ibid. apud Script. Anglos. Sed enim incerta ſunt omnia, quae de Indorum Regibus referuntur ante *Cyaxaris*, ac *Cyri*, ad quos ab Indorum Regibus Legationes miſſas memorat Zonaras Annal. lib. 3, & 9, *Darii Hyſtaſpis*, & *Alexandri M.* aetatem, a quibus ſubacti Indi diu ſub Perſarum dominio ſtetiſſe leguntur. Poſt *Alexandri M.* obitum tamen, *Seleuci* excuſso jugo, Indos in libertatem adſeruiſſe, Regis adſumpto titulo, *Sandrocottus*, ſive *Androcottus*, qui ſub *Alexandro* militiae ſtipendia meruerat, iſque *Porro* Indiae Regi, ab *Alexandro* ſubjugato, ſucceſſiſſe videtur. A *Baccho* porro ad *Herculem* annorum 1500. intercapedinem, ab *Hercule* vero ad *Sandrocottum* annos 4500 interjecit Arrianus: quae ſane immanis annorum 6000. ſumma, quae Chriſti ante natalem annum 312. antevertiſse ſuppouitur, nulla cum Hiſtoria componi poteſt. Anno Chriſtianam ante Aeram 200. circiter *Demetrii* Indorum Regis, a Rege Bactrianae *Eucratitide* devicti, mentio fit a Juſtino; anno Chriſti ante natalem 134. a Scythis, inde dictis *Indo-Scythis*, irruptione facta, India occupata traditur. Aerae Chriſtianae anno 428. Indi Regis *Tuegnai* mentio fit a Scriptoribus Sinenſibus apud DeGuignaeſium Hiſt. gen. Hun. T. I. Par. I. lib. 3. p. 168. ſq.; ab eoque Legatio ad Sinarum Imperatorem miſſa fertur; alteraque refertur itidem anno 503. in Sinas miſsa ab Indo Rege altero *Kiu-to*. A Svetonio etiam a *Porro* Indiarum Rege ad *Auguſtum* Legati miſſi pro foedere cum Romanis incundo referuntur; alteriuſque

que Legationis ad *Claudium* Imp. a Taprobanae, hodie Ceylani, Rege miſſae meminit Plinius lib. 6. cap. 22; quas ſubſequutae perinde aliae ad *Trajanum*, *Antoninum Pium*, *Aurelianum*, *Conſtantinum*, ad *Theodoſium*, *Heraclium*, *Juſtinianum* &c. leguntur. Aerae deinde Chriſtianae Seculo VIII. ſub initio a *Valido* I. ex *Ommiadum* Dynaſtia Kalipha VII. novenni ſpatio una cum Hiſpania, Inſulis Sardiniae, Majoricae, ac Minoricae, & Galliae Narbonenſis parte in Occidente, Turqueſtania, Provincia Mavaralnahariae, ſive Tranſoxaniae in Oriente ſubjugatis, India etiam *Intra Gangem* ſub tributo poſita, eòque primum *Mohammedi* ſuperſtitio inlata fuit, quo de Abbas de Marigni in Hiſt. Arab., Herbelotus Bibl. Orient. p. 906. ſq., & Angli Script. Hiſt. Univ. T. XIII. lib. 10. Anno ſubinde Chriſti 1002. a *Mahmodo Gazi*, Arabice *Conquaeſtore*, in Dynaſtia *Gaznevidarum* Sultano I, Indoſtaniae Rex *Gebal*; anno 1006. Rex Indiae alter *Neveſcha*; anno 1009. ceteris Indiae Regibus potentior alter *Bal*, ac totius Indoſtaniae Imperator; anno 1014. *Marvini* Rex; anno 1018. Rex *Kiſragiae* ad Indiae Septentrionem; anno 1025. *Soumenatiae* Rex, hodie *Viſapuriae*, armis ſubacti, tributum pendere Mohammedanis Sultanis compulſi ſunt, velut ex Mirkondo, Kondemiro in Dynaſt. Gaznevid., Ebn Sinah in Itin Koraſ., Cazvvinio in Nighiariſtano, ſive Hiſt. Perſ. refert Herbelotus Bib. Orient. p. 533. ſq. A *Gengbiſchano* deinde anno Chriſti 1220. circiter, annoque 1398. ſq. a *Timur-Bego*, vulgo *Tamerlano*, armis India utraque ſubjugata eſt; cujus e poſteriore adhucdum poſteri in Indoſtania regnant, ut abunde, ubi de Menſibus, & An. Mogulenſium &c. dicendum erit. A Dynaſtia *Timuridarum*, ſive *Baberidarum* abſtracta fuere Seculo XVI. ab *Habed-Schaho*, Copiarum duce ſub Mogolis Schaho, Regna *Viſapuriae*, *Golkondae*, & *Carnatae*, quae denuo Seculo XVI. ſub medio ab *Ekbero* Mogolis Imperatore, a *Babero* III, ab *Abouſaiddo* V, recuperata in Mogolis Imperium redintegrata ſunt; queis de fatis Caſteneda in Hiſt. Ind. a Luſitanis detectae, & Continuator Rollini Hiſt. Sin., Jap., Ind. &c. T. IV. ſect. 2. cap. 1. p. 241. ſq.; atque de Indorum Dynaſtiis hactenus.

III. De Veteri, hodiedum Ethnicis obſervata, quaeve

tantis, quot *Mohammedi* ſuperſtitionem loco ſufficere Mohammedani Schachi adnixi ſunt, conatibus oblitterari prorſus nequivit, Indorum Religione, ut obiter dicamus, *Brachmannum* porro arbitrio res ad Religionem omnes, ſicut ad Anni rationem attinentes, dirigi, ac diſponi, antiquo Indis more receptum eſt. Sed & Syderibus adhaec obſervandis ſtudium ab Indis Philoſophis egregium impendi conſueviſſe teſtes ſe liquidos nobis praeſtant inter alios Solinus cap.60., & Clemens Alex. Strom. lib.3. p.451. Atqui de *Brachmannum* origine non una Eruditorum ſane opinio eſt, diſtractis, juxta diverſa, uti ſolet, hominum ſtudia, ſententiis. Namque derivatum nomen ex Hebraiſmo, veluti ſint ברוכים *Beruchim*, hoc eſt *Abrahamidae*, dicti *Abrahami* diſcipuli, ſive ex *Abrahamo* progeniti, delectati ſint, viſum eſt Guillelmo Poſtello ad librum *Jezirah*, Heurnio Antiq. Philoſoph. Barbar. lib.2. cap.2. p.140., Nevvtono in Chron. Vet. Regn. emend. cap. 4. edit. Ven. p.252, & Hornio Hiſt. Philoſ. lib.2. cap.9. p.505. ſq.; quos refellit Scaliger ad Graeca Euſebii p.408., & in Euſebii Chron. p.51. Verius derivatum a *Brahma* Rege, ſapientiae ob inſignis laudem inter Deos ideo relato, quo de Suidas V. Βραχμάν Lex. T. I. edit. Kuſt. p.454, Abrahamus Roggerus in libro inſcripto *Janua Ethniciſmi aperta*, & Herbelotus Bibl. Orient. p. 212., a quo ſcilicet quatuor Indis de Religione, ſcientiiſque omnibus libri antiquiſſimi, *Bed*, ſive *Beth* dicti, primum traditi feruntur, unde cum quadruplici capite *Brahma* effingi ſolet, deſumptum autumat Joh. Albertus Fabricius Exercit. de Brachmannibus Ind. Philoſ. in Sylloge Opuſc. Hiſt. Crit. Litt. cap.1. §.3. ſq. p.335. Cui tamen haud conſentiunt Bannierius Mytholog. T.II. edit. Neap. lib.2. cap. 8. de Theogonia Brachmannum p. 508. ſqq., ac Brukerus Hiſt. Crit. Philoſ. T. I. lib.2. de Philoſoph. Indor. cap.4. §.2; verius a *Bituma*, ſive a *Biruma* Indorum Demiurgo, ſive prima Dei *Emanatione*, dictos Brachmannes cum Arnoldo in Not. ad Roggerii Januam Ethniciſmi &c. p.223. exiſtimantes. Fabricii viciſſim opinioni favet Matur. Weiſſere la Croze Hiſt. Chriſt. Ind. lib.6. p.424. ſqq., *Brahmae* nomen derivatum a voce *Piroumi* Aegyptiaca, Ceylanis *Pirimba*, Latinis *Homo*, cenſens. Utrinque facit vero du-

plex,

Digitized by Google

plex, quae a Kirchero in China illuſt., & a Bannierio loc. cit. exhibetur *Brahmae* Figura; quarum altera ſingulis corporis partibus totidem deſcriptos geſtare Mundos conſpicitur; quatenus ab ipſo Mundi plures conditi feruntur; altera, quam etiam Crozaeus lib. 6. p. 429. exhibet, quatuor inſignita capitibus videtur: quod indicio eſt ſane, quatuor Indis, ut modo innui, celeberrimos a *Brahma* compoſitos fuiſſe libros, *Bed* dictos, quibus Leges, Scientias omnes, ac Religionis ritus comprehendiſſe creditur. *Bed* vero deperditis hodie ſuffectus eſt a Brachmannibus *Vedan*, eadem dogmata complectens, magno, ceu Divinus, in pretio habitus liber, veluti Brachmannes jactant. Praeter *Brahmam* porro, ſive *Birumam*, duos habent alios Malabari Deos, *Iſuren*, Indorum aliis *Butzen*, aliis *Rutren* dictum, cujuſce familia *Vaccino* decorari ſtercore delectatur, & *Viſtnou*, cujus Cultores terrae rubrae, aut ferri candentis inſigniri ſignis gaudent. Quis vero e tribus hiſce Diis ſuperior habeatur, quiſve originem dederit, in obſcuro latet. Apud Anglos Scriptores Hiſt. Univ. Introd. T. I. edit. Ven. p. 145. ſq. a Deo creati primum *Brahma*, *Viſtnou*, & *Rutren* feruntur; atque priori quidem poteſtas collata producendi homines, & Bruta; ſecundo productos homines, ac Bruta nutriendi, & conſervandi; tertio homines, ac Bruta deſtruendi tandem traditur. E libro *Vedan* Par. II. cap. 1. refert viciſſim Abrahamus Roggerus Brachmannis ſupremum Deum haberi *Viſtnou*, ab eoque productum *Brahmam* fuiſſe cum poteſtate creandi Mundum. Contra Danici Miſſionarii in Oram Coromandelis miſſi in Actis Miſſ. Dan. P. I. epiſt. 3. tradunt Malabaris Deum ſupremum agnoſci *Iſparetam*, nobis *Deum*; hunc in *Ovum* ſe transformaſſe, indeque Caelos, ac terram, & creata omnia prodiiſſe. Ab *Ovo* hocce denuo, ipſi *Kivvelinga* dicto, proque Deo habito, procreatos tres Deos alios fuiſſe, *Brahmam*, *Viſtnou*, & *Iſurem*; ab eorum vero primo res omnes produci, a ſecundo gubernari, a tertio deſtrui. Aliter eiſdem in Actis Par. II. epiſt. 3. iſthaec Malabarorum Theogonia a Danis Miſſionariis exponitur. A Deo nempe ſupremo *Barabara Waſtu* creatum fuiſſe *Thſivven*, ab hocce conditam Deam *Tſhaddy*, ab iſta productum fuiſſe *Putadi*, hoc eſt Mundum

 Ele-

Elementarem, ab hoc *Sonum*, ab iſto *Naturam*, ab hac Deum *Tshutam Sbivven*, ab iſto *Mageshrum*, ab hoc *Ruddirem*, ſeu *Iſpurem*, ab iſto *Viſtnou*, ab hoc *Brahmam*, ab iſto *Animam*, ab hacce *Caelos*, a Caelis *Aerem*, ab Aere *Ignem*, ab Igne *Aquam*, ab Aqua *Terram*. Praeter hos Indoſtanis adhuc Idolum coli *Jaggernant*, qui Graecorum *Jupiter* videtur; *Veneris* item ſub figura *Lapidis Nigri* in pyramidis faſtigium deſinentis, (cujuſmodi ſane fuiſſe *Hagiar Alaſſovad*, Lapidem ideſt *Nigrum*, alias *Chobar* dictum, apud Arabes magno in honore olim habitum, ac in Templo Meccano repoſitum alibi dictum eſt, quo de Herbelotus Bibl. Orient. p.420.); atque Lapidem hunc e Caelo demiſſum credi, generandi facultatem impartiri, & quotannis curru triumphali ad Gangis ripam deferri, refert Joh. Henricus Groſſe Anglus Itin. ad Ind. Orient. 1758., ex ipſoque Scriptores referunt Excerptorum Litterat. Europ. Bernae edit. 1759. Menſ. April., Maij, & Jun. T. II. p. 60. ſq.

IV. Sunt aſt enim Viri Docti, qui tribus in hiſce apud Indos Diis *Brahma*, *Iſuren*, ac *Viſtnou*, ſimul una ſumptis, unum ſupremum *Eſſe* profecto ab Indis agnoſci perſuaſum habent. Atque tres porro hoſce patre natos *Paraſakti*, quo Indis prima *Mens*, ſeu *Verbum*, ſive *Sapientia* ſignificatur, ex Indorum traditione referunt P. Bouchetius in epiſt. ad Huetium, ac Bannierius in Diſſert. de Indor. Diis T. VI. de Religioſ. Indor. Ritib. p. 167. *Brahmam* adhaec a *Jove*, ſive ab *Ammone* indiſtinctum, *Viſtnou* haud diverſum ab *Iſide*, ſeu a *Venere*, eumdem vero cum *Oſiride* habendum *Iſuren* ex Bannierio, Maſcrierio, Crozaeo, Kaempfero, Carlevoixio &c., ac congeſtis e linguis exoticis conjecturis, ſuadere nixus eſt Vir doctiſſ. Aug. Anton. Georgius Alphab. Tibet. Par. I. cap. 51. ſqq. p. 97. ſqq. Quae tamen omnia ad unum referri commode *Solem*, juncta *Luna*, ſi placet, diverſo ſub aſpectu, ſatius mihi videntur, velut opportuno fiet in loco planum; ut proinde non audiendus ſit Auctor Anglus libri de Humanae Vitae Oeconomia, Gallice deinde, ac demum Italice Ferrariae an. 1759. editi, ubi Par. VII. p. 145. ab Indis *Solis* cultum amoliri tam falſo, ineptèque, quam fruſtra ſategit. Praeiverant hacce porro in opi-

opinione Cartrous in Hiſt. gener. Mogolis p.54, & Huetius in Hiſt. Commer., & Navigat. Vet. cap.9, Indos Aegyptiorum, ſicut & Sinenſes De Guigneſius, Colonias eſſe uterque opinatus; quam exornandam adorſus Crozaeus Hiſt.Chriſt.Ind.lib.6. p.424. ſqq., ex conformitate morum, ac Religionis cum Aegyptiis id confirmat, *Iſidem*, *Oſiridem*, ac *Serapidem* apud Aegyptios eadem prorſus Idola eſſe, atque *Brahmam*, *Iſurem* ac *Viſtnou* apud Indos perſuadere conatur. Quod Aegyptiis infamis fuit *Phallus*, idipſum *Lingam* Indis eſſe; cujuſce ſub ſpecie *Iſurem* ab ipſis coli putat; ab eaque parum diſtare, quae frequens in Tabula *Iſiaca* figura viſitur a Pignorio deſcripta; quam in Templo *Serapidis* a Theophilo Alex. everſo repertam tradere Socratem lib.5. cap.17, ac Sozomenum lib.7. cap.15. (quam & in Imaginibus *S. Antonii* Aegyptii conſpici, ipſamque *Crucem* eſſe, quae ejuſdem *S. Antonii* Monachis geſtatur, impie ſubjungit), atque ſingulos manu ſiniſtra *Phallum* geſtantes ab Aegyptiis *Decanos* xxxvi, Deos ideſt *Tutelares* diebus anni praefectos, ita ut tres ſingulis praeeſſe Menſibus crediti ſint, ut obſervat Salmaſius de Annis Climact., exhiberi conſueviſſe exiſtimat. Indis etiam, Aegyptiorum inſtar, Animalia coli, uti Boves, Vaccas, &c. obſervat. Sicut Aegyptios olim in ſeptem Claſſes, Herodoto lib.2. p.153, ac Diodoro lib.1. p.47. edit. Steph. teſtibus, ſic Indos in Tribus diſtingui: ſicut illis *Nilum*, ſic hiſce *Gangem* in honore quammaxime haberi: *Geniis* utrinque cultum deferri; *Faſtos*, ac *Nefaſtos* obſervari dies; certis abſtinentiae a cibis hos, illoſque, diebuſque certis deditos eſſe &c. Quamquam Indis & pleraque cum Perſis eſſe communia idem obſervat Crozaeus p. 438. ſqq. Indorum namque *Viſtnou* parum diſerre a Perſarum *Vibishcoush* apud Hydaeum de Relig. Vet. Perſar. p. 193. videtur, qui diei quintae *Intercalari* Perſici anni praeſidere fingebatur; alterumque Indorum Deum *Ram* haud diſtingui a *Tutelari* Deo Perſarum, cui dies 21. cujuſque Menſis dicata apud Perſas erat, exiſtimat. Aethiopico etiam Alphabeto videri ſimilia Alphabeta uſurpata Indis Tanguti, Manchaevus, Bengalae, Ceylani, Malabariae, Siami &c. conjicit, ideoque Aegyptiacae, unde in Aethiopiam delatas fuiſſe litteras arguit, Indos originis eſſe conficit.

Ve-

Verum in hacce de ſimilibus apud Indos, ac Aethiopes litteris conjectura parum felicem Crozaeum fuiſſe ex dictis Proleg.I. abunde patet. Ad Indorum modo Idola gradu deflexo, horrificas porro horum figuras videre licet apud Crozaeum Hiſt.Chriſt. Ind. p. 429, 447, & 449; non ſecus atque pleraſque Idolorum terrificas imagines alias apud Sinenſes, & Japonios familiares exhibet Abbas Baſſius in Not. ad Mytholog. Bannierii T.II. edit. Neap. p. 498. ſqq. Inter alias vero Idolorum aliorum figuras Tabulam, in qua depicti conſcipiuntur *Senex*, *Juvenis*, & *Avis*, *Todomalae* in Regione Samorini Incolis religioſo in honore habitam, ex Govea refert Crozaeus Hiſt. Chriſt. Ind. lib.4. p.329. ſq., atque Idolum illud iis *Bidi*, quod illorum lingua eſt *Fatum*, denominari, ac ita fuiſse interpretatum ab ipſorum Sacerdotibus, ut *Senex* Patrem, *Juvenis* filium, *Avis* Spiritum S.deſignarent, obſervat. Et idem certe Crozaeus p.313. ex Emanuele Godinho Itin. Ind. an. 1663. p.18. refert Brachmannes de Religione interrogatos reſpondiſse ſe in *Deo* ſimiliter cum una *Subſtantia* tres *Perſonas* agnoſcere; Chriſtianis *Patrem*, *Filium*, ac *Spiritum S.*, ſibi vero *Rama*, *Viſnou*, ac *Chriſna* dictas. Quin, ut de *Hottentotis*, Populorum omnium ſtupidiſſimis, juxtaque ignorantiſſimis, Promontorii Bonae Spei incolis, queis alioquin unum *Deum* agnoſci teſtantur Ziegenbalgius, ac Kolbus apud Crozaeum Hiſt.Chriſt.Ind.lib.7. p.570. ſqq., nihil heic regeram, locuples accedit teſtis Johannes Ribeyro in Hiſt.InſulaeCeylani a Chingulanis incolis, hoc eſt Ceylani Inſulae habitatoribus, unum *Deum*, Mundi Creatorem agnoſci, colique; etſi alii quoque inferioris ordinis *Dii* in honore illis habeantur. Antonius etiam Andrada in Hiſt. Regni Boutani, Thibeti, & Tanguti tradit Indis his in *Deo* tres itidem *Perſonas* agnoſci, quarum I. *Lama Conioc*, II. *Cho-Conioc*, Legis auctor, qui ſanguinem pro ipſis fuderit, III. *Sanguya-Conioc*, quae ſit Gloriae Viſio, & Amor, creditur. Quo ſane a dogmate de Deo *Uno*, ac *Trino* haud diſtare Incolas Regni Tanguti ex quodam ipſorum libro conijcit etiam Crozaeus lib.6. p.515. ſq.

V. Juxta tria iſthaec diſtincta Idola convenit inter Indos quidem de *Brahma*, quem in Brachmanibus colere nec dubitant,

bitant, neque deſinunt; non ita de *Iſuren*, ac *Viſtnou* inter ſe conſentiunt: unde duplicis inter eos origo Sectae enata eſt, aliis *Viſtnou*, aliis *Iſuren* ſupremo collocantibus loco. Atque *Iſuren* ſane, cujus figuram exhibet Crozaeus Hiſt.Chriſt.Ind.lib.*6.* p.447. Cultorum Secta *Tchiva Sameja* vocatur; Cultorum *Viſtnou* autem, cujus imaginem videre licet apud eumdem Crozaeum p.449, Secta *Viſtna Sameja* dici ſolet; invicemque differunt in Sacrificiis, Precibus, Feſtis, Jejuniis, Caeremoniiſque aliis. Ex Cultoribus *Iſuren* rurſus alii hunc unum colunt; ab aliis vero cum eo *Tchaddi* etiam ipſius Uxori cultus impenditur; aliis cum utroque filius etiam ipſorum *Vikkineſuren*, ſive *Poullejar* Deus; aliiſque quin inſuper, filius illorum alter *Subbiramanien* in honore item habetur: queis de plura Fabricius in diſſert. de Brachman., Roggerus in Theatro Idol., Baldeus de Idol. Indor., Ziegenbalgius in Actis Miſs. Dan., queis de infra, Antonius Govea de Exped. Alexii Menezeſii, Vincentius Maria a S. Catharina in Relat. ſui Itin., Joſephus a S. Maria in Relat. ſecundae Exped. in Malabar., Crozaeus Hiſt. Criſt. Ind. lib.*6.* p.446.ſqq.&c. Ex Indis tamen neque deſunt, quibus unus *Deus* Caeli, & Terrae Creator agnoſcitur, & colitur ſub *Vaſtou* nomine, quem *Supremum*, *Inviſibilem*, *Incomprehenſibilem*, *Immobilem*, *Aeternum*, *Omniſcium*, *Omnipotentem*, *Optimum*, *Infinitum*, *Juſtum*, *Immenſum*, *Miſericordem*, Rerum omnium *Creatorem*, atque *Conſervatorem*, praedicare non dubitant ſuo in *Vedan*, libro ideſt Sacro, alteroque *Tchiva Vaikkium* inſcripto, in libris item *Gnana Vumpa*, atque *Varabaddu*, prae aliis in pretio apud Indos habitis apud Grundlerum in libro de Medico Malabaro, & Ziegenbalgium de Genealogia Deorum Malabariae; ubi Malabaris ſub diverſis verbis diverſa veri *Dei* adtributa deſignari obſervat. Ita namque *Sarouva Souren* rerum omnium *Dominum*; *Niddia Anander* ſupremum *Eſſe*, Aeternumque; *Adinajàguen* ſupremum *Dominum*, ſupra quem nullus eſt; *Sarouva Lòga Dalbaren* Orbium *Amatorem* omnium; *Sarouva Letchaguer Salvatorem* Univerſi. *Kadden* item *Dominum* Indis deſignari advertit Crozeus lib. *6.* p. 452. ſqq.; ubi a Brachmannibus ipſis *Unum Deum* Univerſi *Conditorem* olim,

Digitized by Google

olim, hodieque agnoſci ex S. Franciſco Xaverio lib. 1. epiſt. 5;
ex Bernierio Itin. T. II. p. 158. ſq., ex Vincentio a S. Cathari-
na Itin. lib. 3. cap. 17, ex Bouchetio in epiſt. ad Huetium,
Epiſt. Aedif. T. IX. p. 16. ſq., &c. oſtendit. Indorum itaque *Bi-
ruma*, *Iſuren*, & *Viſtnou* aliis *Dei* ſummi Imagines, ac ſym-
bola eſſe, aliis pro *Diis* inferioribus haberi, aliiſque pro *Dei*
ſupremi Miniſtris, diverſis apud diverſos adfectos nominibus,
reputari obſervat Crozaeus p. 464. ſqq. Geminas praeter haſce
Brachmannum Sectas, altera his antiquior *Sannias*, ſive
Sammanaeorum dicta, veluti *Solitariam* vitam agentium, ce-
lebratur apud Indos. Eorum meminit Clemens Alex. Strom.
lib. 1. edit. Pott. p. 529, quos *Sarmannes*, & Ἀλλόβιυς, *Solita-
rios* vocat, a Conjugio abſtinere, eiſque *Bouttam*, qui S. Hie-
ronymo adv. Jovin. lib. 1. *Boudda* dictus videtur, is nempe,
qui ceteris Indis Regni Arekani, Peguani, Lauvi, Siami, Cambo-
jae, Tunchini, Concinſinae, Japoniae &c. *Xaca*, Sinenſibus
Ke-Kia dicitur, quo de infra, *Dei* loco haberi refert. Ab hiſ-
ce porro *Sarmannibus* profecti videntur *Schammannes* hodie
diffuſi per Tartariam, Sinaſque; queis de Ever Isbrand Itin.
Sinen. cap. 7. p. 62. ſqq. apud Crozaeum lib. 6. p. 492. ſq. Eoſ-
dem vero, atque *Sarmannes*, ſive *Schammannes* eſſe nullus
dubito *Sammannaeos* Origeni contra Celſum lib. 1, & S. Cy-
rillo contra Julian. lib. 4. ita dictos Philoſophos apud Bactria-
nos, ſive *Samotheos*, quos ita corrupte denominatos Laertio,
perperamque confuſos cum *Druidis* apud Celtas obſervant Ca-
ſaubonus in Not., & Henr. Stephanus in Judicio de Opere
Laertii, Romana Civitate ab Ambroſio Camald. donato. Quo
ſane Laertii loco decepti Schedius de Diis German. cap. 42.
Germanos olim Philoſophos a *Sammanaeis* Bactris deſcendiſſe
ſuſpicatus eſt; Montacutius in Not. ad Origenem loc. cit., ac
Spencerus in Not. ad eumdem putantes *Sammanaeos* Philoſo-
phos fuiſſe apud Celtas, ideoque apud Origenem, Clemen-
tem Alex., ac S. Cyrillum loco *Sammanaeos* legendum *Sarma-
nas*, quos revera apud Bactrianos Philoſophatos opinantur:
qui alioquin ex una Σεμνοὶ Θεοὶ, Aegyptiace *Semnuti*, hoc
eſt *Dei Cultores*, voce derivatos *Samnaeos*, ſive *Semnotheos*
&c. videre poterant *Samnathae* ideſt, ſive *Sam-thae*, vulgo
Sam-

Sam-poutrae Sectae auctores, & Alphabeti Thibetani inſtitutores, queis de Proleg.I. §. LIV.p.112. dictum, ut opus erat. Mitto alias longe plures Idololatrarum Sectas apud Indos, queis de adeundi, qui de iis prolixius egere in Hiſt. Itiner. Tavernierus, Mandeslus, Bernierius, Scheldon, Roggerius, Hamilton, Gervaſius, Louberus, Gujonius, Isbrandius, Ovigtonus, Salmon &c.

VI. Ad Menſes, & Annos, quod jam nunc attinet, Indis profecto non ſecus, atque Orientalibus paſſim, veluti de Tangutanis Paulus Venetus, (qui lib.2. cap.14. tamen Tartaros a Kalendis Februarii perpetuo ſuum auſpicari Annum ſolere ſcripſit), de Japoniis Aloiſius Froeſius, quibus & ipſe a Februarii die 1. Annum incipi ſubjungit, de Sinenſibus Ignatius Antiochen. teſtatam rem faciunt apud Scaligerum de Emend. temp. lib.2. p.118. ſq., ad *Lunae* Periodos Menſium ſpatium dirigi conſueviſſe, Annumque ideo *Lunarem* uſu, prae *Solari*, veniſſe memoriae prodidit Q. Curtius apud Lilium Gyraldum de An., & Menſ- T.II.Oper.p.790. Ex eodem Q. Curtio lib 8. cap.9. perperam intellecto a Scaligero de Emend. temp. lib.3. p.118. ſq., & Iſag. Canon. p. 11. ſq., ubi Q. Curtium Indis Menſes quinoſdenos, hoſque a *Luna*, quum ſe curvare incipit in cornua, incipi adſerentem emendandum, atque vel etiam a *Plenilunio* incipi Menſes apud Indos conſueviſſe, vel Indis Menſes verius *Plenos* alternatim, & *Cavos* fuiſſe, tricenos idest, & undetricenos putat," ex Q. Curtio, inquam, obſervat Fabricius Exercit. de Brachm. Ind.cap.3.§.5. p.351.ſq. *Brachmanum* Annum Menſibus ſaltem quatuor ſupraviginti conſtitiſſe, dierum 15. ſingulis, quorum primus incipiebat a primo quadrante, ſive a *Lunae* Φάσει Corniculatae, ſive potius Διχοτόμου; ſecundus a quadrante tertio, ſive a *Lunae* decreſcentis Φάσει, poſtquam Ἀμφίκυρτος, ſive gibboſa adparuit; tertius iterum a primo quadrante, ſeu a facie *Lunae* Δρεπανοειδέος falcatae, atque ita deinceps. Idcirco breviores Indis Menſes fuiſſe oportet, quod illos ad haſce *Lunae* rationes exigere adliberet, ita nempe, ut una *Lunae* Periodo duos, Q. Curtii opinione, numerarent Menſes. Hancce tamen Anni formam Indos haud omnes, uti *Gymnoſophiſtas* puta, quos

a *Brachmanibus* plane diſtinctos fuiſſe Ptolomaeo in Geogr., & Clementi Alex. Strom. lib. I. p. 305, obſervat eo loci Fabricius cap. I. §. 5. ſq., fuiſſe ſectatos Vir doctiſs. ibid. exiſtimat. Referente namque Anonymo de Brachmanibus, (quem cum Pſeudo-Palladio de Gentibus Indiae, & Brachm., ac Pſeudo-Ambroſio de Moribus Brachm. Londini 1665. publicam in lucem produxit Eduardus Biſſeus), p. 22. *Dandamis* Gymnoſophiſtarum princeps, quem cum *Alexandro* M. ad Indos penetrante ſermones miſcuiſſe referunt Strabo lib. 15, Pſeudo-Palladius, idem Anonymus de Brachm., ac Pſeudo-Ambroſius, annum gentilibus ſuis uſurpari *Solarem*, atque biſſenis conſtantem utique Menſibus adfirmavit. Mogulis viciſſim, ac Thibetanis Annum Menſibus XII. componi, Menſes autem a *Lunae* motu computari documento eſt locupleti Relatio P. Joh. Bapt. Duhaldi Hiſt. Sinar. T. IV. p. 467. de Nuntio a Tartarorum Kano *Dalai Lamae*, ideſt Sacerdotum Pontifici ſubjecto ad Sinas circa Seculi proxime elapſi exitum miſſo de Magni *Lamae* obitu, qua de Relatione etiam Moshemius Hiſt. Tartar. Eccleſ. cap. 3. §. 3. p. 135. ſq. Thibetanos porro, queis de fuſius infra, *Lamas* ita dictos a *Fo*, ſive *Foe*, eximio in honore ipſis habito, dictoque *La*, unde quoque Thibeti Metropoli *La-ſa*, ſive *La-tſan* nomen inditum a *La*, ideſt *Foe*, Thibetana namque lingua *Sa*, ſive *Tſan* eſt *Locus*, obſervat P. Gaubilius Obſervat. Mathem., Aſtron., Geogr., Chron. &c. T. II. p. 120. ſq. *Lamas* quoque haud differre a *Bonſis* apud Sinenſes, eorumque Religionem late diffundi per Regna Mogolis, Peguvi, Avae, Lauvi, Arrakami, Siami, Tunchini, Concinſinae, Tartariae, Cambajae, Ciampae, Japoniae quinimo refert Dionyſius Kao Chriſtianus Sinenſis in Deſcript. Regni Sinen. a Witzenio Belgice reddita cap. 20. de Relig. Sinen. apud Crozaeum Hiſt. Chriſt. Ind. lib. 6. p. 518. ſq., videndusque De Guignesius Hiſt. gen. Hun. T. I. Par. II. lib. 3. p. 223. ſqq., ubi tam apud Tartaros *Fo* nomen ferre *La*, indeque ejuſdem cultui dicatos *Lamas* dici, quam *Fo* Sectatores dictos fuiſse *Samanaeos* luculenter oſtendit.

VII. Indis rurſus, Indoſtanis, Sumatris, Javanis, Ceylanis, Malabaris, Coromandelicis, Arrakanis, Siamenſibus, Thi-

Digitized by Google

Thibetanis, Camboiis, Tunchinenſibus, Concinſiniis &c. Menſes, & Annos eoſdem olim, qui Aegyptiis, adhibitos fuiſſe, inde augurari fas eſt, quod (ut modo de Cartroi, Huetii, Fabricii, Crozaei, DeGuigneſii &c., quibus Indos Aegyptiorum fuiſse Colonias arcte perſuaſum fuit, opinione nihil attingam, dicturus ſuo infra loco), illum, qui Indis univerſim Religionis cultum, ac Philoſophicas diſciplinas inſtillaſse traditur, *Buddam* nempe, Libycum fuiſſe genere, Aegyptiorum diſciplinis haud leviter inſtitutum, ad Indos profectum ſe ſe novum *Hermetem* vendidiſſe, Aegyptiacaque cum Religione, Dogmatibus, ac Philoſophicis diſciplinis ibidem receptis Indos adflaſſe, imbuiſſeque conjecturis haud contemnendis oſtendere conati ſunt Kaempferus Hiſt. Japon. T. I. lib. 1. cap. 2. edit. Gall. Scheuchzeri p. 55. ſqq., & Bruckerus Hiſt. Crit. Philoſ. T. V. Periodo III. Par. II. lib. 3. de Philoſ. Aſianorum cap. 1. Atque *Butta* hicce quidem, ſive *Phutta*, ſive *Buths*, quem indiſtinctum eſſe a *Xaca*, eumdemque, qui poſt obitum *Foë*, ſive *Fotoke*, ideſt *Non Homo*, paſſim eſt denominatus, quo de Acta Erud. Lipſ. an. 1688. p. 257, Ceylanis *Buddu* dictus, Siamenſibus *Sammona-Khodum*, Peguanis *Samana-Kutama*, Sinenſibus *Ke-Kia*, quibus filius *In-fan-Vang* Regis fit, Japoniis *Xaka*, ſive *Siaka*, Aegyptiis *Saſyches*, ut ex Diodoro lib. 1. adnotat Bonjurius in Select. S. Script. diſſert. p. 134, poſt Crozaeum jam vulgo Eruditis perſuaſum eſt, *Budda* hic, inquam, floruiſſe, ſive ex *Viſtnou* efformatus fuiſſe vel anno Mundi 3000. aliis fertur, annoque poſt Confuſionem Linguarum amplius 1000, ut apud Alexandrum de Rhodes in Catechiſmo pro Tunchiniis Romae anno 1651. edito p. 105. ſq., a quo Regis Siamenſis *Timphae* filius dicitur, velut etiam *Xacae* in Indias adventum, Chriſti ante natalem anno 959. ſtatuunt *Lamae* Thibetani, teſte P. Horatio a Pinna Miſſionario noſtro apud Georgium in Alphab. Thibet. Par. I. cap. 31. p. 42. ſq., qui ex Crozaeo p. 502. ab hoc ipſo computo parum abſcedere Tunchinenſes Doctores obſervat, a quibus *Timphae* Legislatoris ſui, a *Xaca* ſane haud diverſi, aetas in annum Mundi 3000, ante Chriſti natalem 950. conferri ſolet; a *Xaca* vero, ſive *Budda*, ſive *Timpha* gradu demum ſucceſſionis 128. deſcendiſſe *Thamum*,

mum, (quem perperam cum S. *Thoma* Apoſtolo fuiſſe a PP. Magalanes, Le Comte &c. confuſum recte obſervant D. Maigrotus Epiſcopus Cononenſis, ac Vicarius Apoſtolicus in Sinis epiſt. e Fou Tcheou anno 1699. exarata p. 58. ſq. apud Crozacum Hiſt. Chriſt. Ind. p. 43, & 506. ſq., ac P. Philippus Marini in Relat. lib. 1. p. 113.), a quove, *Thamo* nempe, omnium primo impia *Xacae* dogmata in Sinas fuiſse inlata Aerae Chriſtianae anno 552. refert Maigrotus, unde minus vere jam ab anno 335. in Sinas eamdem ſuperſtitionem inductam fuiſse ſcripſit DeGuigneſius Hiſt. gen. Hun. T. I. Par. II. lib. 3. p. 223. ſq. Anno poſt Diluvium 1000. aliis in lucem prodiiſſe *Budda* fingitur; aliis *Salomoni* aetate ſit ſuppar, ut apud Dominicum Fernandum Navaretam in Hiſt. Tract. 2. Imper. Sinen. p. 82. ſqq., qui eumdem Regis Ceylani *Cing-Fan-Vuang* filium fuiſse refert; vel ante Chriſtianam Aeram anno 1211. aliis, aut 1690; verius anno 545. dumtaxat, aut 542, (quo ab anno *Siamenſium* Aera I. incepiſſe, *Sammonae* ideſt ab obitu, qua perinde, veluti dubia, obſcuraque, abolita, ab Aerae Chriſtianae anno 638. altera *Siamenſibus* incepta Epocha traditur Loubero in Deſcript. Regni Siam. Par. I. cap. 1. ſq., & Par. II. cap. 11, ac Gervaſio in Relat. Regni Siamen. Par. III. cap. 4, qua de utraque Aera infra), apud Bruckerum Hiſt. Crit. Philoſ. T. V. lib. 3. cap. 1. Equidem *Budda* hicce natus Ceylani dicitur Siamenſibus; aſt contra natus Siami Ceylanis; in India Sinenſibus, ac Japoniis fertur: quod indicio eſt ſane Indigenam haud illum habitum Indis fuiſſe. Accedit & illud, quod ſicut Aegyptiis, ſic Indis Metempſicoſis dogma arcte inſitum animo eſt; *Vaccae* etiam in honore eximie utriſque habentur; quod argumento eſt ab Aegypto in Indias hujuſmodi ſuperſtitiones inlatas fuiſse. Siamenſibus adhaec *Soncarad* Epocha, ideſt *Eccleſiaſtica*, ab obitu *Sammonae* hujus iniri ſolet, uti ſuperius innui: ſiquidem vero, Kaempfero teſte, anno Chriſti 1690, quo Juthiae Siami Metropolis ipſe fuerat, Incolis numeraretur annus 2233, inde fit, ut Epochae iſtiuſmodi exordium cum anno Chriſti ante natalem 542. concurrerit: quo circiter anno a *Cambyſe* Aegypto expugnata, & *Apidis* cultu abrogato, Aegyptius *Sammona* Sacerdos, ſive *Siacba* inde profugus in Indiam *Apidis* cultum,

aliis

Digitized by Google

aſiis cum Aegyptiorum dogmatibus, ac diſciplinis, tranſplantaſſe videtur, Kaemſero judice. Opinione haud procul hinc abfuit Bruckerus Hiſt. Crit. Philoſ. lib. 3. cap. 1. §§. 6, & 11. p. 814, & p. 823. ſqq., & cap. 2. §. 2. p. 829. ſq., quo loci poſt Abrahamum Roggerium in Theatro Idololat., harum utique rerum peritiſſimum, utpote qui decennio in Ora Coromandelica obverſatus Pſeudo-Eccleſiaſtis officio pro Batavis defunctus fuerat, de Relig. Malabar., *Brachmanum* in Malabaria inſtitutum a Veterum Aegypti *Therapeutarum* moribus, ac diſciplinis haud multum abſimile fuiſſe advertit. Hiſce vero praeceſſerat in ſententia Illuſtriſs. Huetius Demonſt. Evang. Prop. IV. cap. 6. edit. Ven. T. I. p. 102. ſqq., ubi pleraque de Indis docte, more ſuo, perſequitur, atque plurima illis cum a Judaeis, tum ab Aegyptiis accepta obſervari confirmat; atque inter alia multa Indis Deum *Tao* dici, voce haud multum a *Theuth* Aegyptiorum abſformi; *Hieroglyphicam* quoque ſcribendi rationem Indis uſurpari, Aegyptiacae valdequam adſinem; moreſque alios coli Aegyptiis olim proprios, Legeſque, quas Indis ſcripſiſſe plane *Seſoſtrim*, eò olim appulſum, ipſe opinatur. A Perſis deinde pleraque mutuati videntur Indi, inter quae illud de *Zaruam* omnium Principe, *Fortuna* interpretato, a quo *Hormiſdas*, Perſis *Tezad*, Graecis *Oromazes*, quem *Genium bonum*, atque *Satanas*, Perſis *Ahriman*, Graecis *Arimanius*, queis de *Hydaeus* de Relig. Vet. Perſ. cap. 9, quem *Genium malum* ex Plutarcho de Iſid., & Oſir., ac Briſſonio de Regno Perſ. lib. 2. interpretatur Hoeſchelius in Not. ad Photium, geniti feruntur e confiĉto Revelationum *Zoroaſtris* libro a Gnoſticis, referente Theodoro Mopſveſteno libro de Perſarum Magia apud Photium Cod. 81. p. 199., *Zaruam* vero, ſive *Hazarouam* idem eſſe Sinice *Chi*, hoc eſt *Seculum*, ſive Arabice عالم *Alem*, eoque nomine Supremum *Eſie* apud Sammaeos deſignari idem, ac durationem annorum 36000, aut 70000. ex Indo Auctore libri inſcripti *Aubertkend*, Perſice ad Yman Rokneddino Mohammedo reddito, Arabice deinde a Mohieddino ben Al-Arabi verſo, ab ſeque demum Gallica Civitate donato, oſtendit De Guigneſius Hiſt. gen. Hun. Par. II. T. I. lib. 3. p. 226. ſq. Impuris ex hiſce fontibus perinde figmenta hau-

hauſiſse ſua de *Aeonibus*, de Principio *Bono*, & *Malo* &c. Valentiniani, & Manichaei videntur; quae pariter in Indias tranſplantata ita fuere, ut a *Xaca* inductam Idololatriam, exteriorem quidem in Idolorum cultu ſitam fuiſse, interiorem vero in purum degeneraſse demum, putumque Atheiſmum recte obſervarint Indicarum rerum peritiſſimi Navaretta, Maigrotus, & Alexander Rhodes locis ſupra indic., Louberus in Deſcrip. Regni Siamen. T. I. p. 381. ſqq., Philippus Marini in Hiſt. relat. Tunchini lib. 1. p. 108. ſqq., & Borrius in Relat. Miſſion. Concinſinae cap. 8. p. 202. ſqq. apud Crozaeum Hiſt. Chriſt. Ind. lib. 6. p. 499. ſqq.

VIII. In lineam modo regrediendo meam, ad Indorum propius antequam Chronologiam accedam, pauca de ipſorum Coſmogonia prius attingere nec injucundum, opinor, nec inutile prorſus erit. A *Brachmanibus* itaque Aſtrologiae *Judiciariae* quammaxime deditis, & Aſtronomiae haud omnino ignaris, Mundi a Creatione duratio quatuor in aetates diviſa Indis venditari ſolet. Quarum I. *Cruda - Jugam*, velut *Aurea* complexa annos 1728000, ſuaeque, reliquis longe illuſtriori, *Brachmanum* ſtirpi ortum dediſse fingitur. II. *Treda - Jugam*, velut *Argentea*, conſtitiſſe annis 1296000, tumque *Rayadum*, ſive *Khatrydum*, illuſtris ſtirps altera, ſed *Brachmanidum* inferior, in lucem emerſiſſe jactatur. III. *Devapara - Jugam*, velut *Aenea*, comprehendiſse annos 8064000. fertur, qua Homines a priſco deſciſcere nobilitatis genere, virtuteque degenerare paterna cepiſse inepte creduntur. IV. *Cali - Jugam*, veluti *Ferrea*, jam emenſa annos 4027275. traditur, neque niſi poſt quadringentos ſupra triginta mille annos finem acceptura. Videndi Niecampius in Compendio Actor. Miſſion. Danor. T. I. p. 96. ſqq., & Auctor Gallus *Recueil d'Obſervations Curieuſes ſur les Moeurs, la Mytologie, la Cronologie* &c. *des Peuples de l'Aſie* &c. T. III. cap. 7. p. 119. ſqq. Mundum aſt enim haud unum ſane, ſed quatuordecim omnino Brachmanes enumerant, *Superiores* VII., ac totidem *Inferiores*. Superiorum extenſionem in longum eſſe leucarum, ſive horarum itineris quinquaginta quadrimillionum, in latum vigintique, ſinguloſque inhabitatos eſſe ſub unius Re-

gis

gis *Tetchanemis* dominio, quem patrem *Tchaddi*, ſive *Parvadi*, quae Uxor ſit *Iſuren*, perhibent. Ex hiſce porro Mundis I. *Padalalogum* vocant, *Infernum* hoc eſt, Regem ſue habere *Emen*, Deum mortis. II. *Palogum*, in quo homines, ac bruta habitant. III. *Magalogum*, ubi *Viſtnou* imperium obtinet. IV. *Devalogum*, in quo *Dii* inhabitant, *Kori* ipſis dicti, quorum numerum eſſe triginta trium decem millionum, una cum quadraginta octo Prophetarum mille, omneſque Regi *Devendiren* obnoxios eſse fabulantur. V. *Tchaddia Logum*, ubi domicilium habere *Birumas* fingitur: de aliis duobus alte ſilet Ziegenbalgius, ex quo haec hauſit Crozaeus in Hiſt. Chriſt. Ind. lib. 6. p. 456. ſqq. Junge, quod Indis *Elementa* quinque numerari ſolent, *Terra*, *Aqua*, *Ignis*, *Aer*, *Aether*, quot etiam a Perſis Magis accepiſſe Manichaeos, *Ventum*, *Lucem*, *Aquam*, *Ignem*, ac *Materiam*, liquet ex diſputatione Archelai cum Manethe p. 147. edit. Fabricii, apud Manſium Supplement. Concil., atque ex S. Johanne Damaſceno in Dialogo adverſ. Manichaeos §. 28. edit. Lequiennii Pariſ. T. I. p. 441. Sed enim hiſce de variis apud Indos Mundis, variiſque Mundi periodis fuſius paullo poſt.

IX. Jam vero quod ad Malabarorum, & Coromandeliorum, Finitimarumque Indo, & Gangi gentium, quarum in cenſum profecto conferendi Indoſtaniae Peninſulae, Viſapuriae, Carnatae, & Golkondae Incolae, Chronologiam proxime attinet, praeter quamplures, qui eorum de Religioſis, Civilibuſque rebus ſcribendi provinciam in ſe ſuſcepere, explicatiora ſunt plane, quae nobis opportune ſuppeditat Hiſtoria Pſeudo Miſſionis, quae *Friderici* IV. Daniae Regis juſſu, ducibus Ziegenbalgio, & Grundlero ad Indos Coromandelicos Dani Pſeudo-Eccleſiaſtae, Evangelii praedicandi gratia, veriuſque Lutheranorum impia propagandi dogmata, Miſſionis deinde ſede Trinquebariae defixa, ultrocitroque ſuſcepere ab anno 1706. ad annum 1736. Ex Actis igitur ejuſmodi Miſſionis, ſive Relationibus e Trinquebaria in Europam miſſis, quae in Compendium a Niecampio redacta, Genevae anno 1747. tribus in 8. Voluminibus edita ſunt, accipe, quae de Menſibus, & Annis Malabaris, & Coromandeliis uſurpatis T. I. Par. I. Art.

IX.

IX. p. 96. ſqq. nobis tranſmiſſa ſunt. Atque principio Aſtronomiae ſtudium, etſi non omnino incultum apud Indos jaceat, adeo imperfectum eſt attamen, rudeque, ut nullo ferme uſui recte cenſeri queat. Illud obſervatu interea dignum judicat Bruckerus Hiſt. Crit. Philoſ. T. V. lib. 3. cap. 2. §. 4. p. 834, ex quo conjecturam de accepta olim ab Aegyptiis, una cum Religione, Anni forma magis confirmat ſuam, Malabaris, & Coromandeliis eodem prope, quo Aegyptiis, modo *Lunae* incrementa, & decrementa deſignari, eiſdemque fere nominibus *Zodiaci* quidem Conſtellationes XXVII. Indis dinumerari, diſtinctiſque ſingulas nominibus deſignari; quamlibet vero in quatuor rurſus diſtingui, quatuorque *Monoſyllabis* Characteriſticis denotari refert P. Soucietus ex Epiſtola P. Du Crozii Soc. J. Obſervat. Matem., Aſtron., Geograph., Chron. &c. T. I. p. 242. ſq., ubi & earumdem ſpecimen exhibet. Siquidem vero *Lunae* periodus diebus 27. conſtet, in Indorum proinde Kalendario diebus hiſce ſingulis *Lunae* Zodiaci ſingulae reſpondent Conſtellationes. Atque ita quidem, ut *Zodiaci* Signis XII. *Lunationes* XII. reſpondeant, quae quinquies repetitae Cyclum efficiunt annorum 60, quorum Annus quilibet ſingulari gaudet apud Indos, Sinenſes, Japonios, Tartaros itidem, nomine. *Lunatio* XIII. vero, quando intercedit, quum nempe intra Menſis ſpatium alterum a *Sole* non attingitur Signum, tum *Abigitten*, arbitrario ideſt nomine, deſignatur. Conſtellationum XXVII. ope Noctis horas Indis diſtingui ſolere adnotat ibidem Soucietus, explicatque, dignus plane, qui legatur, quemque legiſſe eo loci, opinor, quemque haud poenitebit. Jam vero Malabaris, & Coromandeliis *Hora* dicta *Ghadica*, Tamulice vero *Marhigei*, multo ſane minor eſt Hora noſtra, ſive noſtris longe minora ſunt minuta, quibus apud illos Hora componitur. Namque apud ipſos Hora minutis 300. conſtat, ex Horis 7. cum dimidia conflatur *Samum*, ex octo *Samis* vero dies coaleſcit, velut habetur in libro inſcripto apud Indos *Diragala Sakkarum* laudato a Crozaeo Hiſt. Chriſt. Ind. lib. 6. p. 470. Verbo *Samum* apud Indos trium Horarum noſtrarum ſpatio reſpondet, octo vero *Samum* diem integrum horarum 24. exhauriunt. Quamquam

quiam & Diem in horas 60. diſpeſci Malabaris, & Coromandeliis ſolere, atque ita quidem, ut diurnas aſpectu *Solis*, nocturnas *Syderum* obſervatione diſcernere valeant, ex Mar-Joſepho Indo Cranganorenſi Archiepiſcopo, de quo plura Aloyſius Cadamuſtus Venetus in lib.de Navigat. Indicis, anno 1493. navigatione ipſi eò ſuſcepta, capp. 130. ſqq. refert, Joh. Facundus Raulin differt. 3. de Apoſtolatu S. *Thomae* §. 68. ad calcem Hiſtoriae Synodi Diamperitanae p.389. ſq., obſervat. Viciſſim a P. DuCrozio apud Soucietum loc. cit. p.245. ſq. obſervatum eſt Indis Horam *Guediam* dictam, eſſe partem 60. diei *Naturalis* ex horis 24. noſtris compoſiti; ideoque *Guediam* aequivalere noſtrorum minutis 26. *Viguediam* autem Indis eſſe partem 60. unius *Guediae*, ideſt Horae Indicae, ſive partem 60. minutorum 26. noſtrorum, ideoque minutis 26. ſecundis noſtrorum reſpondere.

X. Uſu itaque *Civili* Noctem, ac Diem Indis dividi in partes 30, ſive *Guedias*; atque *Guedias* 68. a *Solis* ortu ad ortum *Solis* alterum dinumerari adnotat Soucietus ibidem. *Naturalem* iterum diem, horarum 24. nobis, Indis dividi in *Guedias* 60, ſive *Jamon*, ſive *Samum* 8. advertit, ita ut quodlibet *Jamon* conſtet, ut ſupra innui, Guediis $7\frac{1}{2}$: atque ita *Samum*, aut *Jamon* quodlibet Indicum tribus, uti dixi, horis noſtris aequivalet. *Viguedia* quaelibet vero, juxta Soucietum, reſpondet minutis $\frac{2}{5}$ noſtris, ſive 24." ſecundis. Uſu Aſtronomico vero *Noctem* Indis dividi in partes 15, totidemque diſtingui Conſtellationum Stellis, Meridianum viciſſim, & Horizontem tranſeuntibus obſervat eodem loci Soucietus p.246.ſq. Qui tamen Indis, haud recte ita dividi, neque Horas Stellarum motu aeque diſtribui, neque Diem horarum 24. Conſtellationum 27. per Horizontem, ac Meridianum pertranſitu rite menſurari demonſtrat. Contra Indoſtanis, ut obſervant Dani Pſeudo-Eccleſiaſtae, ſive pſeudo-Miſſionarii in Epiſt. anno 1735. ſcripta, vulgo Hora dividitur in *Nodt* 360, ſive digitorum crepitus; ab Aſtronomis vero in minuta 1, & 2, dicta prima *Winadì*, ſecunda *Calà*, ita ut minutum 1. reſpondeat Europaeis minutis 24. Hora 1. eſt diei pars 60., ideoque horae $2.\frac{1}{2}$ aequivalent horae 1. Europaeae, ita ut Hora 1. Indoſtana reſpon-

deat minutis 24. Europaeis. Dies ab ortu *Solis* inceptus in partes 12. partitur, dictus dies *Nal*, Brachmanibus *Dinam*, ita tamen, ut *Civilis* in horas 60, *Naturalis* in horas 30. dividi ſoleat. Dividitur iterum dies in 8. *Samam*, ideſt Vigilias, uti ſupradictum de Indis, quarum quaelibet horis 3. Europaeis conſtat, ac Indis $7\frac{1}{2}$; quae tamen non ſemper aequales ſunt, ut alibi de Horis Planetariis diximus, niſi quum *Sol* eſt ſub Aequatore. Hebdomada ad haec, dicta *Navan*, Tamulice *Kurhamei*, aliis *Waram*, non ſecus, atque apud Europaeos, diebus 7. apud Indos componitur, a *Planetis* 7. derivato in ſingulos nomine: etſi ſeptem Planetis duos addere Indi feruntur, *Ragu*, ideſt Serpentem nigrum, & *Kadù*, ideſt Serpentem rubrum: queis *Solis*, ac *Lunae* Eclipſes potius deſignari videntur. *Menſis*, dictus *Madan*, eſt anni pars 12, *Zodiaci* ſignis diſtingui ſortita nobis communibus, niſi quod *Sagittarii* loco ipſis eſt *Crocodillus*. Quadruplex illis diſtinguitur Menſis, *Lunaris* a Lunae phaſi triduo poſt *Novilunium* inceptus; *Solaris* alter dierum 30, atque dierum 27. alter, dieſque Menſis modo 29, modo 30. alternatim computantur. Qui vero dierum 27. dumtaxat ſit, non ad *Lunae* periodum utique, ſed ad Conſtellationum XXVII. numerum ita exigere Indis cum adlibuit, ut *Sydereus* ideo potius, quam *Solaris* Menſis hic haberi debeat. Sequenti jam vero tam *Zodiaci* ſigna, quam Anni *Indici* Menſes ad *Julianos* comparati ſe ordine habent, veluti tam illa, quam iſtos duplici Tamulica, & Graendica deſcriptos lingua ad nos tranſmiſit Chriſtophorus Theodoſius Walthierus Danus Pſeudo-Evangeliſtes apud Tranquebarios in Doctrina Tempor. Indica, Bayeri Hiſtoriae Regni Bactrianorum adjecta Comment. Acad. Petropolit. Supplem. T.VI. p.143. ſqq.

INDORUM MENSES

SIGNA ZODIACI		TAMULICE		GRAENDICE
1. Moſchàm	Aries.	1. Sittirey	Aprilis 31.	1. Seytram.
2. Wruſchabham	Taurus.	2. Weiyaſi	Majus 31.	2. Weyshakam.
3. Mittunam	Gemini.	3. Aani	Junius 32.	3. Gijeſtam.
4. Cat'acam	Cancer.	4. Aadi	Julius 31.	4. Aaſchadtham.
5. Scimham	Leo.	5. Aawani	Auguſtus 31.	5. Shrawanam.
6. Canni	Virgo.	6. Puraedtaſi	September 31.	6. Badrapadam.
7. Tulam	Libra.	7. Aptaſi	October 31.	7. Aashwigjam.
8. Wrutshicam	Scorpio.	8. Cattigey	November 29.	8. Kartigam.
9. Dhanuſcu	Sagittarius.	9. Margarhi	December 29.	9. Margashirsham.
10. Macaeram	Crocodillus.	10. Tey	Januarius 30.	10. Pauſcham.
11. Cumbham	Amphora.	11. Maſi	Februarius 30.	11. Magam.
12. Minam	Piſces.	12. Panguni	Martius 30.	12. Palgunam.

XI. Ab Ariete itaque *Caeleſtem*, & ab Aprili *Civilem* Indi Annum incipiunt; atque ita quidem, ut Menſes duo primi dierum 31. fiant, tertius dierum 32, quatuor deinde alii dierum 31. rurſus, duo ſequentes dierum 29, treſque poſtremi dierum 30. Sed enim ſecundus diebus 32. aliquando, primus e contra diebus 30. aliquando componitur, ut propterea haud conſtans apud Indos dierum Menſis numerus ſit. Annus, dictus *Warſcbum*, a Verno tempore, Aprili noſtro ferme reſpondente, inchoari ſolet, diebuſque 365, horis 5, minutis 55.', 24." componitur. Quilibet porro Annus, more Orientalibus recepto, ſingulari gaudet nomine, non ſecus, atque ſinguli Hebdomadae dies proprio decorantur vocabulo, ſinguliſque quadriennis *Intercalaris* quoque dies aggregatur. Quadruplex adhaec Indis Annus diſtingui ſolet. I. *Lunaris*, ipſis dictus *Sandra-Manam*, fitque dierum 355. II. *Solaris*, adpellatus *Scaura-Manam*, iſque diebus 365. conſtat. III. Εφημεριος, Indice *Scawana-Manam*, dierum 360. factus. IV. Αςρόθετος, Indis dictus *Nakſcbaetra-Manam*, atque diebus 324. conflatur. Quartus hodie in deſuetudinem abiit; tertius uſu Zephyro-Aquilonaribus eſt; ſecundus apud Indos Auſtrales obtinet; primus Euro-Aquilonaribus Indis, atque Sinenſibus uſu receptus eſt.

Additur *Jovialis*, ab Indis *Rettaſchi* denominatus, *Barhacpaſja-Manam* aliis, Indis Septentrionalibus uſurpatus dierum 360, ac Menſium 10. *Julianus* modo Indis univerſim eſt Annus, ſive ad *Juliani* rationes ita attemperatus *Indicus* eſt Annus, ut ab illo parum hic abformis ſit, velut auctor nobis eſt locuples Waltherus loco ſupra cit. Atque *Indorum* Annum utique anno *Tropico* Hipparchi, & Ptolomaei aequalem ferme eſſe, duobus infra minutis ſecundis, obſervatum eſt Caſſino. *Ptolomaei* nempe Annus eſt dierum 365, hor. 5, min. 55.′ 26.″, *Indorum* vero dierum 365, hor. 5, min. 55.′ 24″; quo fit, ut ſpatio demum annorum 720. Annus *Ptolomaeus* die 1. anno *Indico* major evadat, eumque antevertat: indeque inferre fas eſt Anni formam a Chaldaeis Indos fuiſſe poſtea mutuatos, ſive Annum ab Aegyptiis olim receptum, ab Indis ad *Chaldaici* rationes reformatum fuiſſe. Indoſtanis tamen Annum ab ingreſſu *Solis* in *Arietem* incipi quidem, aſt diebus 365, horis 6, minutis 12.′ 30.″ componi, atque in *Biſſexto* inſuper diem 1. addi refert Eulerus de Indorum Anno Solari Aſtronomico cit. Comment. Acad. Petropol. Suppl. T. VI. p. 201. Quo fit, ut *Indicum* vulgarem *Indoſtanus* hic Annus minutis 16.′ 56.″ excedat; *Europaeum* vero dierum 365, hor. 5, minut. 48.′ 57.″ ſuperet *Indoſtanus* minutis 23.′ 33.″; adeoque ut poſt annos 61. integra die *Europaeo* tardior incipiat *Indoſtanicus*, atque per omnes Anni tempeſtates impune ita vagetur, ut nonniſi poſt annos 22310. ad idem, quo digreſſus fuerat, punctum regredi queat. Cyclum adhaec annorum 60, dictum *Aandù*, habent Indi, ſingulis annis ſingulari indito nomine, cujuſce ſpecimen exhibet Waltherus loc. cit. p. 169. ſqq., quod hùc transferre nihil attinet: quem ſane Cyclum Indis univerſim, Tamulis, Varugis, Marathis, Cannaris, Malabaris &c. frequentari Vir doctiſſ. obſervat, quove de nos infra prolixe. De Anni forma denique, atque Graecorum Epocha apud Chriſtianos Indos a Syro-Neſtorianis invecta, dicemus infra §. ſq.

XII. Pleraſque ad haec putandis temporibus Periodos Malabaris, & Coromandeliis adhibere frequens eſt, ac familiare. Inter quas *Mamangan*, ſive *Mamankum* Periodus eſt annorum XII, qua quinquies repetita efficitur *Aandù*, ſive *An-*

toù

toù, Periodus hoc eſt annorum LX: quam utramque Indis aliis Thibetanis, Tartaris, Sinenſibus, Japoniis &c. computandis annis uſu pariter veniſſe tam agendum Tomo ſq., ubi de Menſ., & Annis Tartarorum, Mogulenſium &c., quam dicendum affatimerit infra, quum de Menſ., & Annis Sinenſium, Japoniorum &c. ſermo fiet. Ad haec Mundi Aetates, queis de jam aliqua paullo ſupra, diſpeſcere Chronologi Malabari, & Coromandelii veteri receptiſſimo more ſolent in Periodos XVIII. ipſis *Ugams* dictas, ſive *Ougoum*, quarum unaquaeque ex centum mille *Antou*, ſive annorum ſex millionibus componitur, quarum priores XVII. inepta, falſaque ipſorum opinione, jamdiu effluxere, ſpatio annorum pluſquam mille, centumque millionum annorum a Mundo condito. Ecce vero tibi Periodorum harum Schema, quale ex Actis Miſſion. Danicae in Compendio a Niecampio T.I. Par.I. Art. IX. p. 100., exindeque imperfecte tamen admodum a Crozaeo Hiſt. Chriſt. Ind. lib. 6. p. 470. ſq. exhibetur.

MUNDI PERIODI

MALABARICAE, ET COROMANDELICAE.

PERIODI.	ANNI PERIODORUM.	PERIODI.	ANNI PERIODORUM.
I.	140000000.	X.	50000000.
II.	130000000.	XI.	40000000.
III.	120000000.	XII.	30000000.
IV.	110000000.	XIII.	20000000.
V.	100000000.	XIV.	10000000.
VI.	90000000.	XV.	9026000.
VII.	80000000.	XVI.	7012500.
VIII.	70000000.	XVII.	5959600.
IX.	60000000.	XVIII.	48300.
			5472046400.

XIII. Pro-

XIII. Propriis ſingulae Periodi nominibus gaudent, quarum ſex dumtaxat reperire mihi fas fuit, nempe I. *Ananden*, II. *Adpouden*, XV. *Kiretan*, XVI. *Diretan*, XVII. *Duvabaren*, XVIII. *Kalien* Indis denominatas legi. Periodis vero ſingulis totidem Mundi XVIII. nempe deſignari ſolent; e quibus priores quatuordecim Poetis, & Doctoribus compertae dumtaxat feruntur, omninoque fabuloſae: quatuor reliquas ne Vulgus quidem ignorat: quas plane ad unam Periodos omnes eodem prorſus fabularum, quo apud Chaldaeos olim, & Aegyptios, ſapore olere nemo non ſentit. Periodus ſane omnium prior, omnibus eſt prolixior, a qua deinceps uſque ad decimamquartam Periodus quaelibet decem annorum millionibus decurtata conſpicitur; decima octava, & ultima, in qua juxta Indos vivimus, ceteris brevior eſt. In priori adhaec Periodo, atque Mundo *Viſtnou* natum fabulantur, ſub *Addi Narajen* nomine; in 2. *Birumam* in lucem prodiiſſe; in 3. *Legem* fuiſſe revelatam; in 4. *Indirem* per Legem procreatum; in 5. ab *Indirem* productum *Solem* fuiſſe, ac *Lunam*; in 6. a *Sole*, & *Luna* progenitos *Genios* tutelares octo Mundi partium; in 7. ab hiſce octo *Geniis* productas fuiſſe *Nubes*, ab hiſque progenitum *Varunem* Pluviae Deum; in 8. a *Varune* producta octo rerum genera frumenti, fructus, flumina, & flores &c.; in 9. *Animalia* fuiſſe procreata; in 10. conſcriptum fuiſſe *Irukka-Vedoum*, librum ideſt Legis; in 11. a *Lege* productas diverſas Indorum *Tribus*; in 12. ab *Iſuren* in lucem prolatum *Dirou-Nourou*, Cinerem hoc eſt ex ſtercore *Vaccae*, atque artium inſtrumenta confecta; in 13. introductos fuiſſe *Religiouis* Ritus, Preces, Jejunia, Sacrificia &c., ac Ordinem *Sannias*, Monachorum ideſt inſtitutum; in 14. *Homines* genio, & vitiis indulſiſſe; in 15. excreviſſe ſupra modum *Hominum* Vitia; in 16. in *Mundum* inlatas fuiſſe divitias, & paupertatem, gaudium, & dolores, bella, & pacem; in 17. enatam *Mortem*; in 18. regnare *Veritatem*, & mendacium, *Juſtitiam*, & injuſtitiam. Longius adhuc fabuloſius eſt tempus, quod Beroſi, & Manethonis exemplo, *Diis* ſubalternis adſignant Indi, tale nempe, ut Periodi hae duodeviginti omnes ſe habeant veluti temporis minutum unum ad viginti mille ſeptingenta *Chou-*

goum

Digitized by Google

goum, quot *Devendiren* Regis Deorum ſubalternorum infimi vitae adſcribuntur. Quae ſane Periodus *Chougoum* Indorum opinione componitur ex *Ougoum* 18; illa Periodus *Ougoum* vero centum mille *Antoum* conſtat; haec *Antoum* rurſus ex annis 60. coaleſcit, Annus quilibet Menſibus 12, quilibet Menſis diebus 30, dies horis 60, hora minutis 360, minutum denique quodlibet integris Periodis illis 18. conficitur. Totum jam vero, ac tam immane ſpatium illud veluti minutum Indis aeſtimatur vitae *Birumae*, Dei ſuperioris ordinis, cujuſce perinde aetas minutum veluti reputatur alterum vitae *Romarichi*, Dei alterius gradus excellentioris, iſtiuſque tota longaevitudo, ac tanta minutum non excedat relatum ad vitam *Kamantala-Maga-Richi*; & ita ſimiliter de *Viſchtnu*, deque *Iſuren*, Diis ideſt aliis ſubalternis, ſed uno alteri ſuperiori, relate ad *Deum Increatum*, qui venturus adhuc Malabaris Ethnicis, & Coromandeliis expectatur. Haud procul hinc abſunt Indi alii, teſte Walthero ſupra laudato, quibus Periodus *Ugam*, ſive *Tugam*, qua Indice *Aevum* ſignificatur, annorum 432000, aliis 48300, adſtruitur, qua expleta incendio demum Orbem deſiturum fabulantur. Periodum hancce vero tres aliae praeceſſiſſe finguntur Periodi, *Krudayugam* annorum 1, 728, 000, *Tredayugam* an. 1, 296, 000, *Dwaparayugam* an. 864, 000: quas interpretari Waltherus adnititur, ad fabulas vero magis admandandas fore cenſeo. Periodus denique maxima jactatur *Satu yugam* ex quatuor Periodis *Tugam* conflata. Quin ante Periodos haſce quatuordecim aliae effluxiſſe finguntur, una myriade myriadum interſtinctae, ita nempe ut 1. ſit Chiliadum 14. myrias, 11. 13, ac ſic deinceps.

XIV. Indis porro, Malabaris, Coromandeliis, aliiſque tam in Indoſtania ſeminſula ſitis, quam finitimis in Provinciis Incolis, Chronicos libros, Faſtos, & Kalendaria, queis rerum Epochae, ſtativique dies obſignentur, ac dirigantur, prorſus deeſſe ex praecit. Actis Miſſion. Dan. perhibet Niecampius, eique utroque ſubſcribit pollice Crozaeus Hiſt. Chriſt. Ind. lib.6. p. 471. ſqq. Verum Nicolaus Contius Venetus in Itiner. auctor eſt Indos ab *Octavio* Caeſare Annorum novam, quam ab Arabibus accepere, Epocham exordiri jamdiu ante conſueviſſe; eum

eumque, quo ipſe ſcribebat, Chriſtianae Aerae annum 1400, in Aera *Indica* fuiſſe annum 1490. ſubjungit. At enim Contium in *Indici* computi exordio turpiter erraſſe, atque Indos non ab *Octavio*, bene vero a *Julio* Caeſare annos putare ſuos occepiſſe, inde oſtendit Scaliger de Emend. temp. lib.2. p.118. ſq., quem fruſtra ob id vellicat, exagitatque Petavius Doct. Temp. lib.2. cap.51. edit. Ven. 1757. p.99, quod anno Chriſti 1400. cepit *Hegirae* annus 803. Auguſti 22, unde differentia inter annos *Hegirae*, & *Indorum*, eſt annorum 687, qui anni *Lunares* efficiunt *Julianos 666*: qua a ſumma detracti anni 621, *Hegirae* namque 1. fuit Chriſti 622, relinquunt annos 45, quae eſt differentia a *Juliano* I. a Januario incepto ad I. Aerae *Chriſtianae* a Januario inchoatae. Peculiarem deinde Epocham alteram ab Urbe *Coulam*, ſive *Coilam*, inter Malabaricas olim nobiliſſima, petitam uſu Malabaris veniſſe, eamdemque Syris-Neſtorianis inMalabaria inhabitantibus uſurpatam fuiſſe, documento ſunt liquido duo Syriaci Codices Vaticani ſignati n.2, & 3.in Urbe Angalamenſi exarati; quorum primus *Pentateuchum* complectitur, alter libros *Joſue*, *Judicum*, I, & II. *Samuelis*, I, & II. *Regum*, *Proverbia*, *Eccleſiaſticum*, *Eccleſiaſtem*, *Ruth*, *Canticum Canticorum*, *Jobum*, & Hiſtoriam *Suſannae*: ubi dicitur uterque Angamalae exaratus anno *Graecorum* 1869, *Chriſti* 1558, *Indorum* 733. apud Cl. Aſſemanum Bibl.Orient. T.III. Par.II. diſſert. de Syris Neſtor. §.4. p.440. Atque peculiarem hanc Indorum Epocham his in Codicibus obſignatam haud alteram utique fuiſse, quam ab Urbe *Coulam*, ſive *Coilam* condita, cujuſce nempe ab exordio annos computandi deinceps Malabaris occaſio, perindeque Syro-Neſtorianis conſuetudo ſuborta fuerit, docet Antonius Govvea in Diario Archiep. *Menezeſii*. Siquidem vero annus, quo Govvea ſcribebat, in Aera Chriſtiana 1602, Malabaris 780. a *Coulam* Urbe condita ſupputaretur, inde Urbem *Coulam* anno Chriſti 822. conditam arguit. Govveae adhaeret Crozaeus in Hiſt. Chriſt. Ind. p.47, & p.265, *Coulam* revera conditam Aerae Chriſtianae anno 822. confirmans. Aſt enim Viſcherius in Epiſt. Cochini exarata, inſertaque Bibl. Bremenſ. Faſciculo IV. Claſse V. p.763, eamdem in annum Chriſti 825. confert. Neutra

tra

tra ex hiſce Doctiſs. Aſſemano loc.cit.p.442.adprobatur ſupputatio, atque *Coulam* Aerae Chriſtianae anno 922. conditam opinatus, inde novae ducendum Epochae exordium putat. Verum Viſcherii ſupputationem eſse genuini praelaudati demonſtrant Syriaci Codices. Siquidem enim Indorum annus 733, a *Coulam* ideſt condita, inceptus, incidiſse dicatur ibidem in Chriſti annum 1558, inde fit evidens, quod ad annum Aerae Chriſtianae 825. referenda *Coulam* fundatio ſit. Hanc ipſam confirmat Epocham Joh. Facundus Raulin in Hiſt. Eccleſ. Malabar. cap. 1. §. 1. n. 4. in Not. p. 5. exemplari *Conventionis*, ac *Juramenti* facti a Chriſtianis *S.Thomae*, cujus initium ſic habet: *Anno a Nativitate Chriſti* 1704, & Anno *Coulam* 879. die 20. Junii &c.; ex quo planum fit hanc Urbis Epocham ab Aerae Chriſtianae anno 825. deſumendam fore, cui ſummae anni 879. additi reapſe annum 1704. efficiunt. Conferendus idem Vir doctiſs. in Diſsert. 5. de Indor. Orient. Dioeceſi p. 434. ſq.; quo loci Govveam iterum, Aſsemanum loc. cit., & Lequiennium Orient. Chriſt. T.II. p. 1275, *Coulam* Urbis Aeram male collocantes emendat. Altera poſt hanc inſignior Malabaris uſu Epocha venit, accepto ab Urbe Malabariae altera nobiliori, ac Indiae totius Emporio frequentiſſima, *Calecutio* nomine. Seculo enim vero Eccleſiae VIII. ſub initio ab Arabibus, ſive Saracenis in India ingenti pervaſis irruptione, impia *Mohammedi* Religio deportata, *Saranae Peroumali*, vulgo *Ceramo Perimali*, totius *Malabariae Zamorino*, hoc eſt Imperatori, adeo adlibuit, & ad ſaporem fecit, ut eamdem amplecti non modo ſatius habuerit, ſed imperio abdicato, Meccam ſecedere, reliquum ibi vitae tranſigendum ſpatium, deliberaverit. Reliquo itaque Dominio inter familiae Principes diſtributo, Regio leucarum 12. ex his uni Nepoti, qui ſibi prae aliis longe acceptus erat, gratiaque apud ipſum praepollebat, una cum ſupremo *Zomorini* titulo adjudicata eſt, ubi *Perimalis* breve poſt diſceſſum tempore, *Calicutii* Urbs aedificata eſt, eoque ſane in loco, e quo ille Meccam aditurus, Navim conſcenderat. A *Calicutio* itaque, in rei geſtae memoriam, condita, nova iſthaec Aera Malabaris inſtituta eſt: quae a Scaligero de Emend. Temp. lib. 5. p. 525. ſq. ab Aerae Chriſtianae an-

anno 907, incunda viſa eſt. Verius ſed enim Viſcherio Epiſt. Cochini exarata, qua de ſupra, eam ab anno Chriſti 902. inchoandam oſtenſum eſt; videndique Scriptores Hiſt. Itin. T.I. p.34. ſqq., & Auctor Hiſt. modern. Sinenſ., Japon., Indor. &c. T.IV. cap.1. Art.4. p.313. ſqq.

XV. Ad Boutanos, Nepalenſes, Tangutanos, ac Thibetanos gradu modo reflexo, Thibeti nomine ampliſſima venit Regio intra gradus 87, & 121. longitudinis, & gradus 26, & 39. latitudinis Septentrionalis poſita, ad Septentrionem Bukaria, ad Ortum Sinis, ad Occaſum Mogole, ad Auſtrum Indoſtaniae Peninſula definita, qua de P. Regis Soc. J. in Memor. apud Duhaldum in Deſcrip. Sinen. Imp., & Epiſt. Aedif. T.XV. Ubi tamen perperam Thibetum tres in partes dividi a P. Deſiderio, eiſque peſſime ſtatui confines Noſtrates planum fecere Miſſionarii in Thibeti deſcript. Mſ. Archivi Procurat. Gener. In Thibeto, a quo diſtincta olim Regio erat *Boutania* Indis, *Barantola* Tartaris dicta, ad Mogolis confines ſita, hodie comprehenditur, ejuſque incolae *Indo-Tartari* ſunt, aliquibus *Tangutani* dicti, conſulendique Bernierius, Tavernierius &c., Scriptores Hiſt. Itin. T. VII. p.213. ſqq., ac DeGuigneſius Hiſt. gen. Hun. T.I. Par.I. lib.3. p.163. ſqq., & p.166. ſqq. Hiſce contermini ſunt *Nepalenſes* peculiari, *Rajae* Indis dicto, Regulo ideſt, qui magni Mogolis *Schahi* vectigalis eſt, obnoxii; utriſque vero finitimis cum Thibetanis Religio, & Chronologia eſt communis; quae utraque communis item eſt *Kokonoris* ad latitudinis gradus 36, & 37. poſitis, qui genere *Tartari-Elutae* ſunt, atque *Tuſanis*, ſive *Siſanis*, inter Sinas, & Indoſtaniam Septentrionalem gradus latitudinis Septent. 29, & 33, ac longitudinis gradus 12, & 18. Incolis, qui hodie Tartaris in Sinis imperantibus tributa dependent. His omnibus una *Fò* Religio colitur ſub nomine *Kinkok*, duobus aliis junctis Idolis *Urghien* uno, quem *Deum*, & Hominem, eque flore genitum credunt; *Menippem* alterum, cui novem adfingunt capita, victimaſque immolant humanas; queis de Scriptores Hiſt. Itin. T.VII. p.122. ſqq., & Hiſt. Modern. Sin., Japon., Indor. &c. T.III. cap.4. p.430. ſqq. *Thibetanorum* jam vero Regum, qui his in Aſiae Regnis longe prae aliis potiores habentur, Origines,

Digitized by Google

gines, Antiquitates, & Chronologiam quod attinet, eaſdem ſibi prorſus ignoratas ultrocitroque fatetur Vir doctiſs. DeGuigneſius in Hiſt. gen. Hun. T.I. Par. I. lib.3. p.158. ſqq., ex documentis, quae a Sinenſium rerum Scriptoribus litterarum Monumentis demandata ſunt, eorum ſeriem, ſive Dynaſtiam I. ab anno dumtaxat Aerae Chriſtianae 317, qui fuit Cycli Sinenſis LI. annus 14, ſibi texere fuiſſe permiſſum teſtatus. Verum Ordinis noſtri Miſſionario P.Horatio a Pinna annos 30.in Thibeto Evangelicae praedicationis gratia demorato a *Lhamis* eorum, qui Chriſtianae ante Aerae annum 589, a quo certam demum Regum, qui ſub *Chiampi*, ſive *Giampi*, Regis ideſt *Abſoluti* titulo, in Thibeto regnare cepere, ſucceſſionem exprομere DeGuigneſio p.164. ſqq. fas fuit, imperaſſe feruntur, Regum indicem obtinere contigit, ex quo acceptum in Alphabeti Thibetani Par.I. cap.109.p.296. ſqq. evulgavit Vir doctiſs. Aug. Ant. Georgius.

XVI. Juxta receptam itaque vetuſtam Thibetanis, qui a Diluvio *Noachico*, ſeu verius a *Diſperſione* Gentium ſub *Phalego*, uſque ad vulgarem Chriſti natalem annos 2190. computare ſolent, traditionem, primus, qui Thibetanis ortum feciſſe ante Chriſti natalem anno 1340, a *Diſperſione* anno 850, fertur, *Praſrinpus* refertur: poſt quem anno 147, Chriſtianam ante Aeram anno 1193, a *Diſperſione* 997, *Chiampi*, Regis ideſt *Abſoluti* nomine, primus regnaſſe in Thibeto *Gniathritzbengò* traditur. Reliquorum vero, qui uſque ad Regem XXIV. per annos 1102. regnum obtinuere, nomina prorſus ignorantur. Qui ergo in Thibeti Regum ſerie fuit *Chiampus*, ſive Rex XXIV, *Thzong-Tzbeng-Chambò* denominatus, is anno 60. circiter Aerae Chriſtianae auctor fuiſſe traditur Philoſopho *Sam-Poutrae*, ut novum Thibetanis, quod hodie obtinet, Alphabetum procuderet, legeſque praeſcriberet. Sub eodem *Xacae*, aliis *Schiacae*, Religio in Indias invecta aliquibus creditur, ſive, uti conjicio, vetus *Xacae* ſuperſtitio tum a *Sam-Poutra*, ſecta is Manichaeus, ſive fuerit *Scythianus*, uti Georgio viſum, inſtaurata fuit, lateque propagata. *Chiampo* deinde, ſive Rege XLIII. nomine *Lhatè* Chriſti anno 456. improle defuncto, multa poſt civilia bella, Thibeti pars maxima

Sinarum Imperatori *Tai-tſou-van-hozm-ti*, in Dynaſtia IX. *Sum* Imperatori III, ſponte ſe dedidit, a quo, ipſiuſque ſucceſſoribus Thibeto deinde *Topae*, ſive *Typae*, vices ideſt gerentis nomine, adminiſtrando praefecti videntur. Aſt enim Aerae Chriſtianae anno 589. *Chiampi*, ſive Regis *Abſoluti* nomine adſumpto, ſe denuo, ſuoſque in libertatem adſeruit *Luntſan-ſolong-tſan*, quem deinde in *Chiampi*, ſive Regis dignitate Reges XII. alii uſque ad Chriſti annum 842. excepere; a quibus nova Provinciarum adquiſitione, Regnum longe, lateque ad Sinas uſque propagatum eſt. Ab hoc anno deinceps uſque ad annum Chriſti 1065, turbatis in Thibeto rebus, ejuſdem Regum ſeries in obſcuro latet: atque Magni *Lhamae*, Incolis *Kongiu* dicti, hoc eſt *Patres Aeterni*, ſive *Lhamae Dalay*, ideſt *Sacerdotes Univerſales*, quod ſpiritualem in Tartariam etiam, Sinas, Indiaſque juriſdictionem extendant, in Thibeto *Chiampi*, ſive Reges *Abſoluti*, Laſſae regni ſede defixa, conſtituti deinceps a Populo, ſive potius ad ſe Regiam cum Sacra rapuiſſe dignitatem aeſtimandi ſunt. Anno deinde Aerae Chriſtianae 1065. regnare denuo viſus eſt *Ko-ſu lou* e veteri *Chiamporum* familia, cujuſce deinde locum Reges alii III. uſque ad annum 1125. occupaſſe leguntur: quo anno novis in Thibeto ſubortis turbis, Thibetani ſe denuo Sinenſi Imperatori *Hoei-tſong-hoam-ti*, in Dynaſtia XIX. *Sum*, Imperatori VIII. ſponte faſces ſubmiſere.

XVII. A *Genghiſchano* Aerae Chriſtianae anno 1202 circiter, una cum Indis reliquis, Thibetanos etiam fuiſſe ſubjugatos T. ſq. Art. de Menſ., & An. Mogulenſium &c. oſtenſum dabimus; quo Chriſti anno 1226. vita defuncto, a *Thzango*, e veteri Thibeti *Chiamporum* proſapia ſato, Aerae Chriſtianae anno 1230., ad ſe Regnum translatum eſt. Donec a *Kublai Kano*, Sinice *Chi-tſou* dicto, a quo Mogulenſium Dynaſtia VIII, ac *Tartarica* I, inter Sinenſes XX, in Sinis *Yven* dicta, Chriſti anno 1294, fundata eſt, una cum Indis, Peguvo, Tartaria, Concinſina, Tunchino, Corea &c., Thibeto occupato, ſupremo *Lhamae* nomine *Paſſe-pa* regnum, annuo tamen ſub tributo, reſtitutum eſt. Deſtructa poſtea *Yven* Dynaſtia a *Thcou*, ſive *Hong-vou*, a quo in Sinis Dynaſtia XXI. *Mim* Aerae Chriſtianae

nae anno 1404, juxta alios 1367. fundata eſt, ab ipſo Magno *Lhamae*, nomine *Nan-Kia-pa*, e familia *Paſſe-pa* progenito, Thibeti regnum confirmatum eſt. Anno 1373. ab Imperatore *Tong-lo* in eadem *Mim* Dynaſtia 11. octo Thibeti *Lhamis* Regia tributa dignitas eſt, a quibus anno ſubinde Chriſti 1426. *Magni Lhamae* titulus adſumptus eſt, ita tamen, ut ex hiſce primo *Daluy Lhamae* nomen fuerit reſervatum, velut ex Codice MſC a P. Gaubilio ſibi communicato refert DeGuigneſius in Tabul. Chron. lib. 3. p. 166., ubi *Dalay Lhamas* a Sinenſibus Imperatoribus deinceps uſque ad annum 1705. creatos numero ſex recenſet. Aerae ſubinde Chriſtianae anno 1706. regnum, *Typae* dignitate haud contentus, occupavit *Tſan-pa-han*; ſed eo a Tartaro *Khano-Kushi* ſubjugato, interfectoque, Magno *Lhamae* regnum adſertum eſt. Anno 1710. regno denuo, Magno *Lhama* pulſo, *Tſe-vang-raptan*, Tartariae Imperator, *Cing-Kiv-Kang* dictus aliis, potitus eſt: quo tamen an. 1717. a Sinenſi Imperatore *Cangh-hi* profligato, interemptoque, ab eodem Thibeti *Chiampus*, ſive Rex *Telcin-batur* creatus eſt, eique perinde occiſo, ab eodem *Cangh-hi* Imperatore anno 1728. ſuffectus *Mi Vang.*, ſive *Mi-Vagù* eſt. Eum in regno excepit filius *Talè-Bador*; quo demum anno 1749. interfecto, anno 1752. in ſupremo *Lhama*, una cum Sacra, Regia dignitas a Sinenſi Imperatore denuo eſt redintegrata. E Thibetanis porro genus duxere Tangutani, Sinice *Si-hia* dicti, ideſt *Occidentis Hia*, qui Regionum ad Sinarum occaſum, ac Thibeti ortum potiti, Tartariae partem occupant. Hiſce Sinenſi olim Imperio obnoxiis praefici, vicibus gerendis ſuis, ab Imperatore Sinenſi *Topae*, ſive *Typae*, ſicuti poſtea Thibetanis etiam, ſolebant: qui poſtea Sinenſium excuſſo jugo Aerae Chriſtianae anno circiter 900, *Li* nomine pro Dynaſtia, & *Hia* pro Regis titulo adſumpto, in libertatem ſe, ſuoſque adſeruere. Primus, qui Regis nomine Tangutanis imperavit, *Liy-tſangh* fertur: poſt quem regnum hoc tenuiſſe Reges XIX. alii leguntur, uſque ad Aerae Chriſtianae annum 1230. per annos 346. circiter, quo *Vang-Li-hien* Rege poſtremo interfecto, a *Genghiſchano* everſum prorſus eſt. Quae vero Thibetanis adhibetur, eadem putandis temporibus accepta pariter Tangutanis ratio fuit, qua de pro-

proinde dicere ſpeciatim haud opus eſt. Videndi Scriptores Hiſt. Itin. T.VII, p.128. ſqq., DeGuigneſius Hiſt.gen.Hun.T.I. Par.I. lib. 3. p.163. ſqq., & Rollini Continuator Hiſt. Moder. Sin., Jap. &c.T.III. p.449. ſqq.

XVIII. Chronologiae, quod nunc attinet, quae cum Tangutanis, Nepalenſibus, Indiſque aliis, Thibetanis eſt communis, regundae, Computiſque rite dirigendis praefici, quadam e Brachmanum ſtirpe *Giotichi*, ſive *Giuſcì* dicti, Aſtronomi ſolent, quorum officio cedit Anni cujuſque ſub initio Ephemerides, Indice *Pattrà*, digerere, ibique *Novilunia*, *Eclipſes*, *Planetarum* adſpectus, *Lunae*, ac *Solis* in ſigna ingreſſus deſignare, indeque Dies *Fauſtos*, ac *Infauſtos*, rebus ideo gerendis idoneos, aut incongruos denotare. Et *Infauſti* quidem Menſe quolibet dies quinque prorſus habentur, in quibus quidpiam operari grande reputatur nefas. Praeter hoſce vero grave quidpiam negotii, puta, Itineris, Conjugii, Aedificii, genus nunquam arripitur, niſi prius Aſtrologi cujuſpiam opera de fauſto Aſtrorum, quibus gens ſuſpertitioſa rerum omnium eventum adſcribere haud ambigit, influxu certi fiant. Ab Aſtrologis vero certa ſub figura diſtribui *Planetae* ita ſolent, ut in faſtigio *Draconis*, ipſis *Chietù* dicti, cauda, in ima parte ejuſdem capite *Ravòn* denominato, primo collocatis, ſubque *Draconis* cauda deinde *Arietis* ſigno deſignato, indeque in gyrum a ſiniſtra progrediendo ad dexteram reliquis *Zodiaci* ſignis XI. deſcriptis, eodem a ſiniſtra ordine incipiendo ab *Ariete* dies Hebdomadae, ſub hiſque *Lunae* dies obſignent, exindeque computo ducto *Fauſtos*, aut *Infauſtos* rebus agendis dies denuntient: cujuſce figurae, ut fieri ſolet, velut optabam, ſchema, quale mihi a Viro longo inter Indoſtanos tempore demorato, rerumque Indicarum haud parum utique perito, noſtrate, qui hanc ipſam a Brachmanibus accepit, P. Caſſiano a Macerata, communicatum fuerat, Scalptoris defectu, exhibere prohibeor, cui & accepta, pro gratia, quaecumque fere de Boutanorum, Tangutenſium, Bettiorum, Nepalenſium, Thibetanorum &c. Menſibus, & Annis, Periodis, & Aeris exponenda mox adgredior, referenda, tam hominis ingenui, ac honeſti eſſe, quam pro ingenii ſubacti, juxtaque amoeniſſimi Viri merito deberi omnino puto.

XIX. In-

Digitized by Google

XIX. Indis his itaque dies *Naturales* horis, *Garì* dictis, menſurari, iſtaeque in minuta rurſus, ipſis *P-bal* nuncupata, ſubdiſtribui ſolent. Ex ſcrupulis porro ſecundis, *Salt* denominatis, *Garì* quilibet, ſive Minutum primum, atque *Salt* iterum quilibet ex *Cèn*, ideſt palpebrae ictibus, ſcrupulis ideſt tertiis componitur. Jam vero dies *Naturalis* Indoſtanis, Nepalenſibus, Boutanis, Thibetanis, Betiis, Tangutanis &c. in *Garì* 64. dividi ſolet, adeo ut Hora *Indoſtana* quaelibet, ſive quilibet *Garì* horae noſtrae Europeae minutis 22.′ 30.″ reſpondeat. Ad haec *Garì* 64. hoſce, ſive diem *Naturalem* Indis his ita in partes 8, ipſis *P-bar* dictas, ſive Quartàs, diſpeſcere adlibuit, ut ex his quatuor ad integrum Diei curſum dimetiendum, totidemque reliqui ad Noctis intercapedinem computandam adſumi ſoleant. Atque ita quidem, ut *Diei*, cujus initium duobus ante *Solis* ortum *Garì* capiunt, eique finem *Garì* uno cum dimidio ante *Solis* occaſum faciunt, Iª. pars, ſive quadrans *Mangil* nuncupari ſoleat; IIª. *Banbì*, quae in Meridiem finit; IIIª. *Suop-bal* totidem & ipſa *Garì* compoſita; IVª. *Sair*, quacum dies abſolvitur. Pari modo Iª. *Noctis* pars *Duſſeil* adpellari conſuevit; IIª. *Batzà*, quae media definitur Nocte; IIIª. *Suoapal* totidem & ipſa *Garì* conſtans; IVª. *Najetza*, quae Nocti finem imponit, novoque auſpicium diei facit. *Aequinoctiali* porro tempore Dies aeque, ac Noctes *Garì* 32. ita definiri Indis hiſce ſolent, ut Noctis aeque, ac Diei quarta pars quaelibet, ſive quadrans *Garì* 8. conſtet. Poſt *Aequinoctium* aſt enim utrumque, juxta quod Dies, Noctesque longiores, brevioreſque, pro *Solis* ab *Aequatore* acceſſu, receſſuque fiunt, *Garì* uno Diei, aut Noctis quadrans I, & IV: augeri, minuique ſolet; adeo ut eodem ſemper in puncto Meridies, ac media Nox maneant, aequoque inter ſe diſtent ſpatio. Quamquam in Regionibus hiſce *Cancri* Tropico proximis Diei, Noctiſque variatio ad duas vix, ac ne vix quidem horas adſurgat, hiſque nulla longior, aut brevior Nox, ac Dies evadat. Horis menſurandis, nec Indis hiſce, veluti de Sinenſibus teſtis accedit Louberus, ſane Horologiorum uſus prorſus incognitus eſt, ſed eſt aut *Clepſydrae*, aut *Solaris* genus. P i s quod attinet, ſequenti paratur modo. In Aerea Concha aqua repleta innatat Scutella item aerea ſubtiliſſima parvo

parvo in medio foramine praedita, intra quod ingreſſa paulatim aqua minutorum 22'. 30", ſive *Garì* 1. ſpatio eam ſubmergit: quod indicio eſt *Garì* 1, ſive Horae elapſae, quae perinde totidem, quota Hora eſt ſcilicet, ictibus aeneo orbiculo, ſive malluvio aereo inflictis, in Caelum ſuſpenſo, indicari Populo ſolet. *Solare* vero Horologium, ex Cylindro lineis horizontalibus, perpendicularibus, & obliquis deſcripto, ita conficitur, iſque in determinato ad Aquilonem loco, Solique obverſo ita collocatur, ut ex umbra in lineas decurrente, velut apud Europaeos fieri ignorat nemo, Horas dinumerare facile dignoſcant.

XX. Sicuti vero apud Chaldaeos, atque Aegyptios, ſic apud Indoſtaniae Populos hoſce Hebdomadae dies de *Planetarum* nomine adpellari ſolent, una *Dominica* excepta die, quae *Soli* etſi dicata, magnoque in honore Indis habita, quae ideo Feſtiva, jejunioque, vel a carnibus, ſale, riſoque ſaltem abſtinentia, tranſigitur, haud a *Sole* derivato nomine, ſed *Aditeval*, dies ideſt primus, aliis *Eruar*, adpellatur. A *Luna* deinde dies 2. *Sumbar*, a *Marte* dies 3. *Mangal*, aliis *Beſpetival*, a *Mercurio* dies 4. *Bud*, ſive *Bundual*, a *Jove* dies 5. *Briaſpati*, alibi *Bioſè*, a *Venere* dies 6. *Suur*, a *Saturno* Sabbathum *Saniciar* nomen obtinuere. Menſes Indice *Mainà*, ſicut Aſiaticis univerſim, Indis hiſce uſu *Lunares* veniunt, alternatimque *Pleni* dierum 30, & *Cavi* dierum 29, ut Pleni nempe hi ſint, in quibus die trigeſima *Luna* adhuc conſpiciendam ſe praebeat, luce a *Sole* ex parte aliquantula ſaltem perfuſam; ſint ex adverſo *Cavi*, in quibus die 30. *Luna* in obſcuro prorſus lateat. A *Novilunio* porro, ipſis *Sudì* dicto, dies 14. ſucceſſive dinumerantur; *Plenilunium* vero, Indice *Purmasì*, diei 15. adfigitur, a qua deinceps iterum dies 1.2.3.&c. uſque ad diem ultimum *Amavas* nuncupatum, computari ſolent; ita Menſe duas velut in partes diviſo, a quarum alterutra Menſis inchoari, a *Novilunio* ideſt aliis, aliis a *Plenilunio* adlibet: ita tamen, ut Acta publica, Tabulas contractuum, Epiſtolas, Diplomata, Scripturaſque fidem publicam facientes *Lunae* Menſe, aetateque, cum addito *Sudì*, ideſt *Creſcentis*; ſive *Badì*, nempe *Decreſcentis*, ac Hebdomadae die obſignare Indis

Indis religio ſit. Ex Menſibus 12. jam vero *Lunaribus* Thibetanorum conficitur Annus, ipſis *Dinè* adpellatus, qui apud ipſos triplex eſt; *Solaris*, & *Aſtronomicus*, cui ab ingreſſu *Solis* in *Tauri* Signum auſpicia facere Brachmanibus, queis dumtaxat uſurpatur, religioni cedit, officioque, qui Aprilis diei 19. fere reſpondet; *Civilis* alter, & *Vulgaris*, qui a Februarii aliis, veluti Thibetanis, aliis a Martii *Novilunio*, ut Indoſtanis, incipi ſolet. Ut *Lunaris* vero Annus ejuſmodi vagus juſtos intra limites coerceatur, extra quos feſtum quotannis ipſis ſolemne intra diem 9, & 10. Lunae *Sudì*, nempe *Creſcentis*, Menſis 8. *Kartich*, Octobri fere noſtro reſpondentis, Autumnale poſt, aut circa *Aequinoctium* celebrari ſolitum haud evagetur, quarto quoque anno *Luna* 13, Indis *Malei* dicta, aggregari Menſi 6. *Badò*, noſtro fere Auguſto reſpondenti, ſolet, duplici adſignata *Luna*: quae tamen Luna *Embolimaea* non eodem, quo apud Europaeos, anno interſeri ſolet, ſed biennii inter Indoſtanos, & Europaeos intercedere diſcrimen obſervatum eſt; *Sacer* tertius feſtis celebrandis dedicatus, iſque a *Novilunio* Menſis 8. *Kartich*, in quem Feſtum ipſorum praecipuum incidere modo dixi, auſpicari in more Indoſtanis poſitum eſt. Menſium denique apud illos nomina, ac ſeriem e ſubjecto facile Schemate a praelaudato P.Caſſiano a Macerata ad me tranſmiſſo diſcere nec inutile, opinor, nec injucundum erit.

M E N S E S

BOUTANORUM, NEPALENSIUM, THIBETANORUM &c. CIVILES.

I.	Cet. *Luna*	Martii.	VII.	Aſin. *Luna*	Septembris.
II.	Beſach.	Aprilis.	VIII.	Kartich.	Octobris.
III.	Geſt.	Maji.	IX.	Agan.	Novembris.
IV.	Aſar.	Junii.	X.	Pus.	Decembris.
V.	Sravori.	Julii.	XI.	Maga.	Januarii.
VI.	Badò.	Aug.	XII.	P-hagun.	Februarii.

XXI. Sicuti vero Chaldaeis olim, Cenſorino teſte de Die nat. cap. 18, juncto Scaligero de Emend. temp. lib. 2. p. 100. ſq., dinumerandis annis *Dodecaëteris* frequentata uſu fuerat, e qua quinquies repetita Cyclus exſurgebat ſexagenarius, ita *Dodecaëteris* eadem apud Tartaros, Indos, Thibetanos, Sinenſes, ac Japonios obtinuit. Atque de Malabaris, uti ſupra dictum, quidem ſcribens Crozaeus Hiſt. Ind. lib. 6. p. 469. iis Cyclum Duodecennem Minorem adpellari *Mamankum* ait, qui Thibetanis *Giugh* dicitur; Sexagenarium vero Majorem dici *Antou*. Apud Sinenſes vero Cyclum 60. ex duobus Minoribus, annorum 10. uno, altero 12. componi obſervat De Guigneſius Hiſt. gen. Hunnor. *T*. I. Par. I. de Epochis Orient. p. XLVI. II. Apud Tartataros vero ex Cyclo 12. annorum quinquies repetito, Cyclum 60. confici advertit Crozaeus. Has vero apud Gentes Cyclum annorum 12. totidem *Animalium* nominibus deſignari notum eſt, quae *Zodiaci* eſſe Signa negavit Scaliger, verius adfirmavit Salmaſius de An. Climact., & cum ipſo Crozaeus. In Cyclo vero annorum 10. apud Sinenſes, ac Japonios nomina ab *Elementis* 10. deſumi ſolent, quae Elementa etſi quinque ſint dumtaxat, Japoniis dicta *Kexo* Lignum, *Fino* Ignis, *Tſutſno* Terra, *Kanno* Ferrum, *Midſno* Aqua, haec tamen in maſculina, ac foeminina totidem diviſa decem Elementa efficiunt. Signa vero Cycli 12. vocantur Indis, uti ſequitur.

CY-

Digitized by Google

C Y C L I

ANIMALIUM XII, SIVE ANNORUM XII. NOMINA.

SINENSIBUS	THIBETANIS	TARTARIS	JAPONIIS	LATINIS
1. Chou	Chjip	K eskou	Ne	Mus
2. Nieou	Lang	Out	Us	Bos
3. Hou	Tah	Pars	Torra	Tigris
4. Tou	Jò	Touſchcan	Ovv	Lepus
5. Long	Bru	Lovì	Tats	Tonitru, Draco
6. Che	Prul	Ilan	Mi	Serpens
7. Ma	Tha	Junad	Uma	Equus
8. Yam	Lù	Koi	Tſitſuſc	Hircus
9. Heou	Prehù	Pitchin	Sar	Simia
10. Ki	Cià	Da Kouk	Torri	Avis Gallus
11. Keou	Kij	Eit	In	Canis
12. Tchou	Pah	Tongouz	Y	Porcus

XXII. Tergeminos praeter hoſce Cyclos, Thibetanis duplex adhuc Periodus uſu altera venit; quarum prior ex Annorum 14. ſpatio conficitur, quorum poſtremus *Anant* dictus, ideſt *Abſque fine*, ſpecies eſt quaedam Anni *Sacri*, quem jejuniis, feſtis, eleemoſynis, ſacrificiis dedicare Religioni cedit; ejuſdem vero auſpicia a Lunae *Sudì*, hoc eſt *Creſcentis*, Menſis VI. *Badò*, nempe Auguſti die 14. capere ſolemni poſitum eſt in more. Poſterior vero revolutio eſt Annorum 252, quae nempe primo ex Cyclo 12, deinde ex Cyclo 12. conjugato cum *Elementis* 5. ter repetitis, poſtea ex eodem Cyclo 12. conjuncto cum *Elementis* 10, ideſt Maſculinis 5, totidemque Foemininis, addita demum quarta vice Cyclo 12, conficitur. Expanſam ejus Tabulam a Miſſionariis noſtris acceptam exhibet Georgius in Alph. Thibet. Par. I. p. 467. ſqq., quam hocce deſcribere loci haud improbum erit, ingratumque.

CYCLUS THIBETANORUM

MAJOR ANNORUM CCLII.

1. Chjip	23. Scingh Kji	62. Ciu Lang &c.
2. Lang	24. Scingh Pah	73. Scinghpò Chjip
3. Tah	25. Me Chjip	74. Scinghpò Chjip
4. Jo	26. Me Lang	85. Me pò Chjip
5. Bru	27. Me Tah	86. Me pò Lang &c.
6. Prul	28. Me Jo	97. Sa pò Chjip
7. Tha	29. Me Bru	98. Sa pò Lang &c.
8. Lú	30. Me Prul	109. Ciah pò Chjip
9. Prehú	31. Me Tha	110. Ciah pò Lang &c.
10. Cia	32. Me Lù	121. Ciu pò Chjip
11. Kji	33. Me Preu	122. Ciu pò Lang &c.
12. Pah	34. Me Cia	133. Scinghmò Chjip
13. Scingh Chjip	35. Me Kji	134. Scinghmò Lang &c.
14. Scingh Lang	36. Me Pah	145. Me mò Chjip
15. Scingh Tah	37. Sa Chjip	146. Me mò Langh &c.
16. Scingh Jo	Et ſic deinceps	157. Sa mò Chjip
17. Scingh Bru	uſque ad 48.	158. Sa mò Longh &c.
18. Scingh Prul	Sa Pah.	169. Ciah mò Chjip
19. Scingh Tha	49. Ciah Chjip	170. Ciah mò Lang &c.
20. Scingh Lú	50. Ciah Lang.	181. Ciu mò Chjip
21. Scingh Preu	& ſic deinceps.	182. Ciu mò Langh &c.
22. Scingh Cia	61. Ciu Chjip	193. Scingh pò Chjip
		194. Scing mò Lang &c.

Ita nempe in Cyclo CCLII. Anni diſtribui ſolent, ut priores 12. ſingulari adfecti nomine ſint, queis deinde adjecta Vocabula *Scingh*, aut *Me* &c. numeros adaugent uſque ad 194. Poſt quem reliqui deinceps anni ad 252. alterutro ex his nomine inſcribi, certo ullo abſque ordine, ſolent, uti ex nomine ſolo Cycli annus teneri nequeat, niſi addita, ut fieri ſolet, ab Aſtronomis nota; queis ſane notis Ephemerides, quas ſub anni cujuſque exordium adornare ſolent, adſicere ipſis inſtitutum eſt.

XXIII. In

Digitized by Google

XXIII. In diverſas jam vero, fabuloſaſque tam *Mundi* duratio Aetates, quam *Semideorum* genealogia Epochas qua *Brachmanibus*, qua *Banianis*, (quae numeroſior Idololatrarum in Indoſtaniae Peninſula ſecta a *Baccho* ſe genus ducere jactat, veteri Religioni ita addicta, ut *Mohammedi* ſe conſpurcari ſuperſtitione numquam paſſa ſit; quae denuo in Sectas 87. diſcerpta eſt, inter quas *Ceuravatti*, *Samaratti*, *Biſnales*, *Fakiri*, *Rasbutti* numero alias ſuperant; ſuperſtitio vero communis eſt de Animarum tranſmigratione, de *Achar*, ſive Anima Mundi univerſali, de Corporum ablutione, de Carnium abſtinentia &c., eiſdemque de Mandeslous, Roggerius, Bernierius, Salmon &c.) veteri poſitum in more legimus. Ita nempe *Mundi* duratio quatuor ab ipſis diſtinguitur in Aetates, ut I. Aetas *Aurea* dicta, a Mundi Creatione, die 9. Lunae *Sudi*, Creſcentis, Menſis 8. *Kartich*, Octobris, Dominica incepta, auſpicio ducto, Periodis 28800. conſtet, ſive Annos 1728000. complexa ſit. II. Aetas, *Argentea* nuncupata, quae a die 13. Lunae *Sudi*, Creſcentis, Menſis 2. *Beſach*, Aprilis, exordium ſumpſit, quo nempe prior deſiit, Periodos 21600. dinumeravit, ideſt Annis 1296000. evoluta jam ſit. III. Aetas, ac iſta *Aenea*, a die 29. Lunae *Badi*, Decreſcentis, Menſis 11. *Magha*, Januarii, auſpicata, e Cyclis 14400, hoc eſt Annis 864000. conflata ſit. Atque tribus hiſce quidem Aetatibus diverſas, quas pro Mundi diverſo tempore factis reparationibus, *Incarnationes*, ſubjiſſe fingitur *Viſtnou* rerum conditarum inſtaurator habitus, & Conſervator, dimetiri Brachmanibus ſolemne eſt, adeo ut ad hanc uſque diem jam novies incarnatus *Viſtnou* jactetur, ter videlicet in unaquaque ex tribus Aetate. IV. Aetas *Ferrea*, & Hominum propria, in qua degimus, quaeque a die 13. Lunae *Badi*, Decreſcentis, Menſis 6. *Baddò*, Auguſti, die 28, Fer. 6, ſive die *Suur*, Veneris, initium habuit, Cyclis 7200. conſtabit, ſive Annis nonniſi 432000. abſolvetur; e quibus ab exordio Periodi hujus ad hunc uſque annum Aerae Chriſtianae 1766, qui Periodi 87, *Taſtimacha* dictae, Annus 7. computatur aliis, aliis vero Annus 22, *Tſervadari* nuncupatus, elapſi anni 4867. feruntur: quo ab anno uſque ad *Mundi* finem anni finguntur reliqui 427133; queis evolutis, Mun-

Mundum *Igne* abſumendum, & Creata omnia in *Aquas*, e quibus omnia efformata fuiſſe putant, reſolvenda denuo fore perſuaſum habent. Quem juxta computum a *Diluvio*, a quo Creata omnia, ipſorum opinione, prodiere, atque quarta iſthaec *Hominum*, quae hodie decurrit, Aetas exordium deſumpſit, ad hunc Chriſti annum 1766, anni 4867, Brachmanum ſententia, effluxiſſent. Ex Aquis tamen poſt annos 4320000. *Mundum*, cujuſce germen, veluti rorem, ſupra Loti Aegyptiaci, ſive Nymphaeae folium ſuperſtes fore ſtupide fabulantur, iterum proditurum, iterumque poſt totidem annorum Periodos in *Aquas* fore redigendum nugantur. Donec pleraſque *Mundi* poſt tranſmutationes, quas *Kalp* adpellant, quarumve revolutione *Animarum*, ac *Semideorum* tranſmigrationes fieri putant, finalis, ac poſtrema *Mundi* totius ita fiet reſolutio, *Prale-Kalp* ipſis dicta, ut ex ipſa nec *Aquae*, neque *Semidei*, neque *Animae* ſuperſtites futurae ſint, ſed unum dumtaxat *Vacuum*, & *Inane* reliquum futurum, *Semideis*, *Animabus*, ac *Spiritibus*, tantas poſt demum tranſmigrationes, a materiae contagione affatim expurgatis, in primigeniam, e qua veluti abſciſſae particulae quaedam initio prodierant, Divinam *Entis* Supremi ſubſtantiam denuo reſolutis, eademque veluti demum abſorptis. Atque finalem hancce quidem *Prale-Kalp*, ſive Univerſalem *Mundi* totius reſolutionem futuram poſt annos demum 661283920000, computo ſic inſtituto ſtatuunt. Nempe *Mundi* unius durationis annos 4320000. multiplicant per 71, indeque *Manù* 1. colligunt, qui annis 306720000. conſtat; iſto *Manù* deinde in 14. ducto, inde *Indr-Kalp* unum deducitur, ideſt deſtructio, & renovatio *Semidei*, qui Caelo inferiori praeeſt; anniſque 4294080000. dinumeratur; ex *Indr-Kalp* multiplicato ſubinde per 14. exſurgit *Rudr-Kalp* unum, hoc eſt Semidei *Rutren* deſtructio, ac renovatio, quae nonniſi annorum 60116720000. ſpatio abſolvitur; *Rudr-Kalp* denique in 11. ducto, efficitur *Prale-Kalp*, annorum 661283920000. ſumma ideſt, qua completa, tum Univerſalis futura, ultimaque *Mundi* in nihilum reſolutio fingitur. Ab hoc alterum Brachmanibus aliis computum inire adlibuit. Nempe Annus *Hominum* ex Periodis 6, dierum 60. ſingulis, efficitur, quae dies

360.

360. producunt. Ex diebus hiſce 360. per totidem dies 360. multiplicatis fit Annus *Semidei* inferioris ordinis, qui ex annis 1296000. Hominum componitur. *Semidei* vero inferioris annus denuo per 360. multiplicatus, annum *Brahmae* efficit, qui annis *Semideorum* 46656000. conſtat. Anno iſto *Brahmae* iterum ducto in 360, fit Annus *Viſtnou*, qui nonniſi annis 16796160000. expletur; ex iſtoque *Viſtnou* anno demum per 360. multiplicato, efficitur annus *Rutren*, cui abſolvendo tandem anni *Viſtnou* 5046517600000. deſiderantur. Ita denique *Semideis* hiſce vitae anni centum ſuae tribui ſolent, ut his expletis mori eos, ac renaſci nugentur, donec vitae omnium abſolutis omnibus, eorum univerſo cum Orbe demum interitus ſubſequatur: ſed hiſce de nugis ſatis jam, ac ſuper.

XXIV. Suae & Epochae Kalendariis, Ephemeridibus, Faſtis, Actiſque publicis obſignandis Brachmanibus haud deſunt, tot attamen figmentis inſperſae, ut hominum ipſo rationis uſu adeo turpiter abutentium deliramenta, non tam demirari ſit, quam deflere. Atque praecipua ex hiſce quidem ex *Brahmae* Aetate deduci ſolet, adeo ut hujus aetatis Annis, Menſibus, Diebus, horis, ac ſcrupulis obſignari Brachmanibus Ephemerides omnino ſoleant. Et certe Aerae Chriſtianae annus 1754. in Ephemeridibus Indoſtanis obſignatus *Brahmae* minuto 42, *Garì* 13. diei 1. Menſis 1. Anni 51. aetatis ſuae, quem ideo vitae ſuae medietatem attigiſſe oportet, a P. Caſſiano Maceratenſi ſaepe laudato viſus, lectuſque eſt. Juxta varios item *Viſtnou*, ac *Rutren* aetatis annos, varias apud Brachmanes alios inductas temporibus computandis Epochas idem vir Doctus obſervavit, quas prolixius velle perſequi, nihil eſt aliud, quam otii, bonarumque jacturam facere horarum. Quae tamen frequentiori Indoſtanis his uſu Epocha venit, ea profecto eſt, quae a Regno *Sarbani*, qui inſigni abſque prodigio neque lucem adſpexiſſe publicam, neque Regis ſapientiſſimi *Bichramaditì* in locum fuiſſe ſuffectus inepte fertur, ab anno ſcilicet ante Chriſtianam Aeram 116, auſpicium ſumpſit; juxta quam praeſens Chriſti annus 1765. ipſis computatur 1883. Praeter hancce vero Epocham altera, ipſis *Extinctio* Debitorum adpellata, frequentari Aera Indoſtanis pene univerſis haud deſtitit.

ſtitit. Ea nempe ab inſigni, quod Poenitenti cuidam ſolitariam vitam agenti Chriſti ante natalem anno 880, acceptum referunt, beneficio repeti ſolet, a quo ſcilicet ingenti ſub terra, ceteris ignota, auri pondo reperto Gentis totius debita pecunia omnis diſſoluta ita fuit, ut ad ſe dumtaxat Aeris alieni ſchedis adlatis cum lapide in lance perpenſis, inde quota ſibi Gentis debitae pecuniae ſumma, ab ſe perſoluta, conſtitiſſet, omnes intelligerent, atque perpetuo in rei praeclarae memoriam Lapis iſte ſervaretur. Quem plane Lapidem in hodiernum adhuc diem Nepale in Templo *Deopatan* religioſe ſervari, figurae eſſe fere orbicularis, atque diametri pedes 2. ferme habere, oculatus ipſe teſtis fidem mihi praelaudatus P. Caſſianus a Macerata abunde fecit. Itaque tam in Viri adeo bene de ſe meriti honorem, quam ob gratam inſignis beneficii accepti memoriam, nova ab Indoſtanis his inſtituta Epocha eſt, qua hodie dum Acta publica, contractuum Tabulae, Ephemerides &c. obſignare religioſo ipſis in more poſitum eſt; adeo ut praeſens Aerae Chriſtianae annus 1766. Indoſtana in Aera annus 886. computetur; atque hiſce de hactenus.

XXV. Ad *Siamenſes* ſtylo modo deflexo, horum, qui ampliſſimas a Meridie ad Aquilonem leucarum 300, ab Ortu ad Occaſum leucarum 100. Regiones, a Septentrione Peguano, ac Lavuo regnis, ab Occaſu Bengalico Freto, ab Auſtro Malaitarum Provincia, ab Ortu Tunchino, Concinſina, Camboja, ac Sinico Oceano definitas inhabitant, Indorum Antiquitates, Origineſque non amplius, quam ad annum 545, qui Chriſtianam anteceſſit Aeram, adſurgunt, quo a *Sommonachondon* ſe leges primum accepiſſe, ac dogmata de *Animarum* praeſertim Μετοικέση, *Tranſmigratione*, gloriantur, cujus ideo a primo obitu, ſive Μεταμόρφωσι eo facta anno Popularis ipſorum Aera auſpicium ſumit; qua de Aera Tachardus relatus a Jaquelotio de Exiſt. Dei T. II. Diſſert. 1. cap. 21. p. 106, & Harduinus in Chron. Vet. Teſt. p. 560. Quae tamen incerta doctioribus inter Siamenſes habetur, ut haecce rejecta, altera computandis annis Epocha inſtituta fuerit, ei ab Aerae Chriſtianae anno 638. initio facto, qua de Louberus in Relat. Regni Siamen. Par. II. cap. 11. A Scriptoribus porro Sinenſibus apud

De

De Guigneſium Hiſt. gen. Hun. T. I. Par. I. lib. 3. p. 175. ſqq. traditur in Sinis Dynaſtia V. *Han* ad exitum vergente, anno Chriſtianae ideſt Aerae 220, primus, qui Regis adſumpto titulo, Siami, in *Elephantum* Regione ideſt, regnare ceperit, fuiſſe *Lien*, quo de Siami Regno nomen, ac Dynaſtiae I. *Lin-ye* a Sinenſibus inditum eſt, Sinenſis pridem militiae Dux. Regnante poſtea ex ipſius familia *Fan-y*, Verna quidam *Fan-Ven* nomine fertur principio quidem Regi auctorem ſe praebuiſſe Urbes, domoſque aedificandi, ſed arrepta perinde tyrannide, ligitimoque e ſolio dejecto Rege, Siamenſi potitus regno, Aerae Chriſtianae anno 336, Dynaſtiae II. *Fan-Ven* feciſſe nomen, aliarumque praeterea Regionum adquiſitione propagaſſe legitur. Poſt quem ex ipſius familia, ſive Dynaſtia regnare Siami perrexere Reges XIII. per annos 414, ideſt uſque ad annum Aerae Chriſtianae 750, quo Dynaſtia *Fan-Ven* regnandi finem accepit. Quo profecto a tempore non longe poſtea, ideſt ab anno Chriſti 855. dumtaxat, uti De Guigneſio viſum loc. cit. p. 177, Siami rerum ſumma potitus a Siamenſibus Annaliſtis fertur, apud Louberum de Regno Siam. Par. I. cap. 3, *Pra-poat*, iſque ſcilicet Aerae Siamenſis anno 1300, qui cum Aerae Chriſtianae anno 750. concurrit, Regno exordium feciſſe refertur. Inde vero Auctor Hiſt. nuperae Sinen., Japon., Indor. &c. T. III. cap. 1. edit. Ven. p. 53. ſq. conjecturam fecit, quod ea ſub Aetate, Seculi VIII. ideſt Eccleſiae, ſiquidem a *Valido* I, e ſtirpe *Ommiadum* Kalipha VII, non XI, ut Auctori modo indic. excidit, ſubjugata uſque ad Sinas India fere univerſa fuerit, inde factum, inquam, auguratur, ut Indorum pars magna ab Arabibus ultra Gangem pulſa, atque deſertis, Montibuſque ſuperatis, queis ſepta undique Siamenſis regio eſt, eo veluti tutiori in loco moram defixerit, ſua e gente Rege ſibi praefecto. Ut ut hacce de opinione ſit, *Pra-poat*, cognomento *Bopitram*, excepiſſe deinde Reges XXVI, aut XXVIII. uſque ad Aerae Chriſtianae Seculum XVII. leguntur apud Louberum, De l'Isle, ac De Guigneſium loc. cit., e quibus anno 1350. a *Rama tilondi* Rege Juthia totius Siamenſis Regni Metropolis aedificata traditur. Siamenſis porro lingua magnam cum Sinenſi, tum ob Accentuum inflexionum varietatem, tum ob Monoſyllabarum

copiam adfinitatem habet. Alphabetum litteris xxxvii. Conſonis, totidemque, quin amplius Vocalibus, ac diphtongis, quae modo ante Conſonas, modo poſt, aliae ſupra, aliae infra collocari ſolent, facile conſtat. Litteram tamen R, qua carent Sinenſes, habent, ſicut & noſtras V. conſonam, H, & E, quae ipſis haud eliditur, A, quae vim habet E mutae; U tamen vocali carent, quae apud Sinenſes viget. Duplex obtinet vero Siami lingua, *Vulgaris*, quae imperfecta, rudiſque, ac *Bali*, quae elegantior, Conſonis xxxiii, ac Vocalibus longe pluribus conſtans, Coromandelicae plurimum adfinis, eaque libri de Religione, ac de Legibus exarari ſolent; qua de plura Louberus de Regno Siam. Par. II. cap. 9. T. II. p. 91. ſqq., & Auctor Hiſt. Sinen. &c. T. III cap. 1. Art. 8. ſq. p. 256. ſqq., & p. 272. ſqq.; ubi prolixe de Syſtemate *Mundi*, iſtoque quadrifariam, non ſecus, atque *Paradiſo*, *Inferno* vero in Regiones octo partito apud Siamenſes, queis alioqui Supremi, Verique *Numinis* obſcuram, & ſuperficialem ineſſe ideam obſervant, ut vix latum ab Atheiſmo unguem diſtent, uterque agit, quod indicaſſe ſatius habemus.

XXVI. De Siamenſium modo Chronologia ſpeciatim loquendo, iis principio dies *Naturalis* noctis exprimi nomine ſolet, ita ut quot apud nos dies, totidem apud ipſos Noctes dinumerari ſoleant. *Naturalem* hunc diem in ſex aequas partes, *Jam* dictas, harumque ſingulas in quatuor partes alias, *Toum* adpellatas, partiri ſolemne ipſis eſt. *Noctem* proprie dictam in quatuor Vigilias, Vigilias vero ſingulas in horas 3. dividere ipſis arriſit. *Artificialem* diem autem ab ortu *Solis* ad occaſum in horas 12. toto diſtribuunt anno, quò ſit, ut horis utantur inaequalibus. Dies etiam *Fauſtos*, & *Infauſtos* ſuperſtitioſe obſervant, iique in Ephemeridibus obſignari ab Aſtrologo Regiae Aulae debent. E diebus vii. *Hebdomadam* etiam componunt, ita diſtributis, ut dies Dominica illis dicatur *Wan-Aliz*, dies *Solis*; Feria 2. *Wan-Tſau*, dies *Lunae*; Feria 3. *Wan-Angkaen*, dies *Laboris*; Feria 4. *Wan-Poeth*, dies *Conventus*; Feria 5. *Wan-Prabat*, dies *Manus*; Feria 6. *Wan-Sock*, dies *Quietis*; Sabbathum *Wan-Sauw*, dies *Attractionis*, quatenus ei Hebdomas ſubſequitur altera. Atque a die

Sab-

Sabbathi quidem *Hebdomada*, ſicuti Anno a *Neomenia* Verni *Aequinoctii* exordium a Siamenſibus fieri obſervat Harduinus in Chron. Vet. Teſt. p.560: quo arguit Hebdomades, Menſes, & Annos illis pari eſſe, aut affini cum Judaeis forma, a quibus eam hauſiſſe illos eò Commercii cauſſa profectis ipſe putat. Favent opinioni Harduini ſane Hamiltonus in Hiſt.Itin., & Auctor Hiſt.Noviſs.Sinen., Japon., Ind.&c.T.IV.Sect.2.cap.1.edit. Ven. p.318. ſqq., ubi in Malabaria *Cranganorem* regionem Coloniae olim Judaeorum, a quibus ibidem Reſpublica ex familiis octoginta mille fuerat conſtituta, obnoxiam fuiſſe referunt. Judaicam adhaec Cochini etiam Synagogam adhuc extare, in eaque Kalendarium Syriacis litteris duabus in Tabulis Aeneis exaratum ſervari, quo a *Nabuchodonozoris* tempore, ac deinceps res ipſorum memoratu digniores mandatae ſunt: cujus exemplar inde deſcriptum a *Van-Redio* Societatis *Batavo-Indicae* directore Amſtelodamum miſſum eſt. Colonos ſe a *Manaſſe* Rege eò miſſos Judaeos hoſce jactare ſubdit Hamiltonus, ac initio duas in Tribus diviſos duos pro Phylarchis habuiſse fratres; queis mutuo ſe odio petentibus, violentaque utroque morte peremptis, Reipublicae Popularis formam induiſſe: donec a Malabariae Imperatore ſub jugum miſſi fuere, ac plerique, veteri Judaica Religione abdicata, Indicae nomen dedere; Judaici vero generis familias adhuedum quatuor mille ſuperſtites eſſe. Eorum mentio etiam fit a Benjamino Tudel. Itin. T.I. cap.19, Judaeos in Malabaria, Bengalia, & Ceylani demorari teſtato; videndique in Not. L'Empereur, ac Baratierius edit. Amſt. 1734. p.203. ſqq. Menſes jam vero ipſis *Lunares* ſunt, diebus alternatim 29, ac 30. conſtantes, quos generali *Dſuan* nomine deſignatos ita diſtribuunt, ut ſint 1. *Dſuan-Acy*, 2. *Dſuan-Gie*, ac ſic deinceps praefixo *Dſuan* ſingulis, 3. *Saem*, 4. *Sie*, 5. *Ha*, 6. *Hook*, 7. *Tſiet*, 8. *Pejit*, 9. *Knau*, 10. *Sieb*, 11. *Siebeet*, 12. *Siebſong*. A *Novilunio* Menſem incipientes diem 1, 2, ac ſic deinceps uſque ad *Plenilunium* dies 15. computant; a *Plenilunio* vero denuo uſque ad *Novilunium* inſequens dies 1, 2, & deinceps, ita ut priores dies 15. Lunae *Creſcentis* uſque ad *Plenilunium*, poſteriores dies 15. uſque ad *Novilunium* alterum Lunae *Decreſcentis* ad-

pellari dies ſoleant. Menſibus porro ſingulis *Feſtivos* quatuor agunt dies, in quatuor ideſt praecipuis *Lunae* Phaſibus, *Novilunio*, ac *Plenilunio*; queis diebus feſta in *Sommonachondon* honorem praecipua fiunt, ac primo *Lunae*, poſtremoque quadrante, in quibus ad *Pagodas* oraturi proficiſci ſolent. Menſtrua praeter haec feſta vero, Annua praeterea quaedam habent ſolemnia, inter quae Anni cujuſque principio *Feſtum* per dies quindecim, e quibus tres priores maxime ſolemnes habentur, atque *Sommonachondon* ſtatua per Urbes religioſe deferri ſolet, *Sonkraen*, aliudque *Kitimbac*, ideſt *Proceſſionem pedeſtrem*, qua Rex oblationes in Templo *Napath* facturus proficiſcitur; aliud *Kitinam*, hoc eſt *Proceſſionem Nauticam*, qua Rex ad Templum *Banain* dona oblaturus pergit, per Menſem aliud, poſt ideſt quam Menani aquae fluvii ſuum poſt inundationem regreſſae in alveum videntur; aliudque *Sabutſioſan*, ideſt *Elephantorum* lavacrum, quo *Elephantis* caput ablui ſolet. Feſtorum vero initium *Kaupaſa*, exituſque *Oppaſa* Siamenſibus adpellari ſolet, referente Kaempfero oculato teſte Hiſt. Nat. Civil., & Eccl. Japon. T.I. lib.1. cap.2. edit.Gall. Scheuchzeri p.64. ſq., junctis Gervaſio in Relat. Regni Siam. Par.III. cap.2, ac Loubero de Regno Siam. Par.II. cap.2; unde liquet minus vere dixiſſe Marcellum le Blanc Hiſt. Revolut. Siam. lib.5. Siamenſibus & *Deos* ignorari, & *Feſta* celebrari nulla, nullumque *Religionis* ineſſe veſtigium.

XXVII. Menſes jam vero *Siamenſes* apud Indos, quos *Lunares* eſſe diximus, atque diebus 29, horis 12.m.44.' 2.'' 23.''' 23.'''' definitos oſtenderunt Indicae Aſtronomiae Viri periti, queis de modo, in anno *Communi* eſſe XII, in *Embolimaeo*, ipſis *Attikamaat* dicto, qui ſingulis quinquenniis interſeri ſolet, eſſe XIII, conſtareque diebus alternatim 29, & 30, obſervarunt Duumviri doctiſſ. P. Richaudius Soc. J. in Not. ad Aeram Siam. Monum. Acad. Scient. Pariſ. T.VII. Par.II. p.769. ſqq., & Caſſinus in Not. ad Regulas Aſtron. Indicae ex Codice Mſ. Siamenſi a Domino de la Loubiere Regis Gall. ad Siamenſem Regem Oratore relato editas, ab eoque explanatas Mon. Acad. Pariſ. T.VIII. p.213. ſqq. Inde fit itaque, ut *Communis* annus dierum 354. ſit, ac ſit 1, & 2; *Embolimaeus* vero

Digitized by Google

ro 384, ſitque 3. quilibet. *Intercalaris* ſiquidem Menſis ſit jugiter dierum 30, Richaudio teſte; quamvis juxta Caſſinum ſingulis annis 57. *Intercalaris* Menſis dierum 29. dumtaxat eſſe deberet. Periodus *Indica* quippe annorum 19, diebus haud conſtat integris, ſed deſunt horae 7, min. 30.′ 38.″, e quibus annorum 57. ſpatio dies integer conficitur: quo fit, ut anno 57. quolibet *Intercalaris* Menſis dierum 29. dumtaxat fieri deberet. Verum adeo Siamenſes Aſtronomiae periti haud reputandi ſunt, ut in putandis annis ab Aſtronomico, a Viro peritiſſimo inito, calculo nihil prorſus aberraverint. In Anno jam vero *Embolimaeo* Civili, non Aſtronomico, queis de infra, Menſis *Intercalaris* poſt Menſem *Lunarem* 8, ſive *Lunam* 8. interſeri ſolebat, ita tamen, ut non Menſis 9, ſed Menſis 8. bis ideſt *Luna* 8. recenſeri ſoleret, velut apud Latinos in anno *Biſſextili* ſexto Kalendas Martii pronunciari ſolet.

XXVIII. Annum, quod attinet, duplicem apud Siamenſes Indos obtinuiſſe formam *Aſtronomici* ideſt, ac *Civilis* obſervarunt Duumviri doctiſs. P. Richaudius Soc. J., & Caſſinus loc. indic. *Aſtronomicus* igitur apud Siamenſes Annus eſt *Luni-Solaris*, ex Menſibus ideſt *Lunaribus*, qui diebus 29, horis 12, min. 44.′ 2.″ 23.‴ 23.⁗ definiti ſunt, confectus; ac *Intercalarium* ope ad *Solis* curſum aptatus, ejuſdemque Anni exordium, non a *Novilunio* Decembris, aut Novembris, velut Auctori Hiſt. Nup. Sin. &c. T. III. p. 251. ſq. viſum eſt, ſed ab *Aequinoctio* Verno peti ſolet; adeo ut *Novilunium* Verno *Aequinoctio* proximius Anno initium faciat, ac *Luna* prima computetur. Inde fit, ut quoties *Luna* XII. finitur ante diem 15, qui Vernum praecedit *Aequinoctium*, *Luna* ſequens XIII, quae longius ab *Aequinoctio* Verno remota, novum Annum inchoare nequit, ad anteriorem pertineat Annum, qui tum Menſium 13. evadit. Juxta haec a Siamenſibus annum Aerae ſuae 2232, qui fuit Aerae Chriſtianae 1688, a die 31. Martii, quo *Novilunium* contigit, inchoatum fuiſſe, teſtis accedit praecit. P. Richaudius. Ex quo proinde obſervat Horrebowius de Nova Methodo Paſchali in Prooemio §. 41. ſq. hancce profecto Siamenſium dirigendi tempora methodum approbe cum Hebraica ex Maimonide convenire; eo reapſe Chriſti anno 1688. in Meridiano etiam Roma-

Romano Martii die 31. 16.21. *Novilunium* contigiſſe;atque regulam annum inchoandi a *Novilunio* Verno *Aequinoctio* proximiori ad Chriſtianam proxime accedere,modo ſequens adhibeatur cautio, ut citimae nempe *Lunae* inchoantis annum *Plenilunium* contingat proximo Verum poſt *Aequinoctium* die,& poſt *Solis* occaſum adparentibus ſtellis; ideſt rectius, ut *Luna* 14. non ante mediam noctem poſt praeteritum *Aequinoctium* compleatur. *Civilis* vero Siamenſibus uſurpatus Annus a Menſe 9. anni *Aſtronomici* ducit initium, Richaudio judice; adeo ut *Luna* prima *Aſtronomici* Anni ſit quinta Anni *Civilis* in anno *Communi*; & quamvis in *Embolimaeo* reapſe ſexta ſit, uſu recepto tamen quinta jugiter recenſetur: unde fit, Caſſino notante, ut *Civilis* Anni exordium ante *Solſtitium* Hyemale fere ſemper incidat, ac modo Novembri, modo Decembri noſtro reſpondeat. Conſtat id ex Epiſtola Regis Siamenſis a D. de la Loubiere exhibita Caſſino, ubi dies 8. *Lunae* 1. anni 2232. cum die 11. Decembris anni Chriſti 1687. conjungitur,qui annus 2232. *Aſtronomicus* quum inceperit a die 31. Martii anni 1688, inde fit, quod Aprilis Menſis reſponderit Menſi 1. Anni *Aſtronomici* 2232, iſque Menſis quintus fuerit Anni *Civilis*, cujus Menſis 1. reſpondit Menſi Decembri anni Chriſti 1687, incepitque a Decembris ejuſdem die 3: quatuor namque *Lunares* Menſes, qui praeceſſere, diebus alternatim 29, & 30. conſtantes, dies 118. efficiunt; a die 31. Martii rurſus ad praecedentis Decembris diem 1. dies 121. interfuere, ideoque e diebus 121. detractis 118, reliqui ſunt dies 3.Decembris, qui *Novilunii* 1. anni *Civilis* 2232. dies 1. fuit; ideoque dies 8. ejuſdem *Lunae* 1. reapſe fuit Decembris dies 11, ea in Epiſtola recte obſignata.

XXIX. Ad haec *Tropicum Solis* Annum diebus 365, horis 6, aliquot minutis detractis, apud Siamenſes fieri refert Richaudius; ideoque *Intercalationis* ſingulis quadrienniis factae ope, velut apud Latinos, Verni *Aequinoctii* diem ab ipſis definiri putat. Juxta Regulas Indicas vero Annum huncce *Tropicum Solis* exactius definivit Caſſinus dierum 365, horis 5, min. 55.′ 13.″ 46.‴ 5.⁗ Annum quoque *Anomaliſticum*, quo *Sol* ad ſuum *Apogeum* regreditur, Annumque *Aſtralem*, quo *Sol-*

Sol ad idem regreditur *Aſtrum*, diebus 365, horis 6, min. 12.' 36." componunt. Siquidem vero *Solis Apogeus* quolibet anno moveatur gradu 0. min. 57." 39.‴, *Aſtrorum* vero anno quolibet motus fiat gradu 0 min. 51.", inde fit ut annorum 800. ſpatio *Solis* regreſſus ad *Apogeum* ſuum, idemque *Aſtrum* fiat: quae Periodus annorum 800, dies 292207. comprehendit, juxta rationem datam Anni *Solis Anomaliſtici*, ſive *Aſtralis* conſtantis diebus 365, horis 6, min. 12.' 36.", ut modo dictum. Periodo vero dierum 3232, ſive annorum *Julianorum* 8, ac dierum 310, utuntur in definiendo Anno *Lunari Anomaliſtico*. Siquidem enim *Lunae Apogeus* ſingulis diebus moveatur gradu 0 min. 6.' 41.", inde fit, ut integra *Lunae Apogei* revolutio dierum 3232, ſive annorum Jul. 8, ac dierum 310. ſpatio fiat. Annum praeterea apud Siamenſes ab Anno diferre Sinenſibus uſurpato obſervant. Apud Sinenſes enim Annus a *Novilunio* proximori ingreſſui *Solis* in gradum 5. *Aquarii*, juxta Coupletum, verius in gradum 15. *Aquarii*, juxta Martinium, ac Verbieſtum, quod fit Menſe uno, ac dimidio ante Vernum *Aequinoctium*, incipit; Intercalationes etiam fiunt ad Cyclum annorum 60, non ſecus atque apud Tunchinenſes; *Lunae* primae denique nomen apud Sinenſes inditur a Signo, in quod ea durante *Luna*, *Sol* ingreditur, ac *Lunae* ſecundae a ſecundo Signo, ac ita deinceps; quae *Luna*, ſive *Lunaris* Menſis tum Intercalaris evadit, quum ea *Luna* decurrente, in nullum *Sol* ingreditur Signum: quorum apud Siamenſes nullum fit. Eaedem denique Siamenſibus, quae nobis, Conſtellationes ſunt, & numero, & figura, & nomine; *Zodiacus* idem in duodecim Signa diviſus, diviſaque Signa in gradus 30. Eadem *Ecliptica*, *Aequator* idem in gradus 360. diſtributus, graduſque plures diviſi in partes; qua de re P. Richaudius loc. indic. Caſſinus aſt enim *Zodiacum* apud Siamenſes, Indoſque alios diviſum oſtendit in partes aequales 27, quarum unaquaeque gradibus 13, min. 40. conſtet, quot nempe *Luna* motu diurno conficit, quo nempe gradus 13, min. 40. percurrit: atque de Siamenſium Anno ſatis jam, ac ſuper.

XXX. Sicuti vero apud Siamenſes Annus ex Menſibus XII. conncitur, ſic ex Annis XII. confici *Cyclus* annorum XII. ſolet;

ſolet; ita ut ex annis hiſce 1, & 2. *Communis* ſit, Menſium XII, Annus 3. vero quilibet, *Embolimaeus* ideſt, ſit Menſium XIII. Sequenti vero ordine Cyclum hunc ita diſponunt, ut Annus 1. dicatur *Pjie - Tſoelat*, Annus *Muris*, eodemque *Pjie*, quo adpellatur nomine Annus, ita deinceps Annus 2. *Tſaloe*, Annus *Vaccae*, 3. *Kaen*, *Tigridis*, 4. *Tao*, *Leporis*, 5. *Marong*, magni *Serpentis*, 6. *Maſeeng*, Parvi *Serpentis*, 7. *Mamia*, *Equi*, 8. *Mamji*, *Arietis*, 9. *Woak*, *Simiae*, 10. *Erka*, *Galli*, 11. *Tſioo*, *Canis*, 12. *Koen*, *Suis*. Queis in Annorum nominibus parum a Sinenſibus, aliiſque Indis differunt, apud quos univerſim hic annorum XII. Cyclus receptus eſt. Ex hocce Cyclo vero annorum XII, quinquies repetito, Cyclum annorum LX. ita conficiunt, ut Cyclo I. cum Anno *Koen* XII, hoc eſt *Suis* finito, Cyclus II. ab Anno *Tſoelat* 1, ideſt *Muris* rurſus ineatur, ac ita deinceps uſque dum ex quinquies eodem repetito Cyclo XII, fiat Cyclus LX. Qua in re a Sinenſibus differunt Siamenſes, ut infra, quum de illorum Menſibus, Anniſque ſermo incidet, planum fiet. Cyclus hicce tamen Duodenarius, utpote quo magna in Acta publica confuſio ingereretur, ut abrogaretur, ſe Regi *Chau-Narajae*, qui Siami regnum anno 1657. auſpicatus eſt, auctorem dediſse Conſtantinus Phaulkonius genere Venetus, Cephaloniae in Arcipelago natus, fertur, qui primis apud Regem illum gratiis fruitus, primaſque Regni dignitates adeptus fuerat, apud Louberum T.I. Par.II.cap.9. ſq., & Auctorem Hiſt. Moder. Sinen. &c. T. III. cap. 1. p. 262. De *Siamenſium* denique Aeris ſuus agendi nobis erit locus, ubi de Veterum Populorum, ac Urbium Epochis ſermo data inſtituetur opera. Quae hactenus de Siamenſium Epochis, Menſibus, & Annis diſputata ſunt, lucem adfundent Chronologiae *Malacenſium*, qui ad Meridiem Indicae Peninſulae ultra Gangem poſiti ſunt, ad Aequilonem Siamenſibus confines; *Cambajenſium*, qui ad Ortum Peninſulae finitimi Concinſinae, & Cambajae, ad Auſtrum Oceano Indico, ad Septentrionem Regno Lauvi, & ad Occaſum Siami, cujuſce partem olim faciebant, Provinciis definiti ſunt; *Lauvenſium*, qui ad Aquilonem Siamum attingunt, cui olim & ipſi obnoxii erant, inter Tunchinenſes, Cambajenſes, & Peguanos ſiti; *Peguanorum*, & *Avaen-*

Digitized by Google

& *Avaenſium*, ſeu *Ariſabienſium*, qui ſub uno, eodemque Rege degentes Siamenſi, quocum communem Linguam, Religionem, ac Litteras, non ſecus atque *Lauvenſes*, habent; ad Meridiem poſiti ſunt; *Arrakenſium*, queis eadem Religio; quae Peguanis, & Siamenſibus ineſt, ad freti Bengalici ortum inter latitudinis Septentrionalis gradus 16, & 22. collocatis, a Siamenſium nempe Tempora computandi ratione Indos hoſce omnes, aut nihil, aut modicum oppido abſcedere certum eſt, quam ſingulorum expendendae Chronologiae inutilis, bonarum cum jactura horarum, impendatur opera.

DE MENSIBUS, ET ANNIS

Sinenſium, Tunchinorum, Concinſinenſium, &c.

Articulus III.

I. AD Chronologiam nunc accedendo *Sinenſium*, tantis ea profecto, qua laudibus apud pleroſque extollitur, tantaeque praedicatur antiquitatis, qua tot apud alios excipitur ſibilis, tamque ad poſtremam ferme detruditur Aetatem, ut ante nonnulla, ſcitu plane nec inutilia, nec injucunda, praemittere operae pretium ſit, quam eam depromere, quae veri nobis propior videtur opinio, adgrediar. Nominibus itaque *Sin*, ſive *Tchin* Perſis, Arabibus, & Orientalibus aliis, *Cathay* Tartaris, *Tchon-Kouè* Sinenſibus, ſive *Tzin*, uti dicitur Judaeo Auctori *Cozri* Par. II, ſive *Al-Tzin* cum articulo ideſt, R. Benjamino Tudelenſi Itiner. ex Baratierii interpretatione T. I. cap. 19. p. 213, cujus etiam facta mentio videtur Iſajae XLIX. 12: *Venient iſti ab Aquilone, & a Mari, & iſti de Terra* סינים *Sinim* &c.; & *Maſin*, totum illum Terrarum ingentem tra-

tractum, quo Sina Septentrionalis, ac Meridionalis comprehenditur a gradu 21. latitudinis Septentrionalis uſque ad gradum 55, leucarum Pariſ. 680, (quarum vigeſima quaelibet gradum 1. comprehendit, atque leucis decem Sinenſibus, aut Stadiis reſpondet); Tartaria Ruſſica ad Aquilonem, ad Occaſum Thibeto, Mogole ad Auſtrum, ab Oriente Mari Indico definita, Arabibus, Perſis, Syris, & Turcis deſignari, adeo ut *Maſin* ſtricte ſit Meridionalis, *Sin* vero Septentrionalis, adnotarunt Herbelotus Bibl.Orient. p.811, Crozaeus Hiſt.Chriſt.Ind.p.40, Gaubilius Obſervat. Mathem., Aſtron., Chron. &c. T.II. p.118. ſq., ubi *Tſin* nomine Sinam utique Septentrionalem venire notat, *Ta-tſin* vero Regiones ſignificari omnes Mare inter Caſpium, ac Mediterraneum comprehenſas, quas inter Perſidem intelligi, e qua Syro-Neſtoriani in Sinas appulſi e *Tatſin* advenìſſe leguntur celebri in Lapideo Monumento Syro-Sinico, quo de alibi, & Doctiſs. Aſſemanus Bibl. Orient. T.III. Par.I. p. 592. ſq., ac T.III. Par. II. p.436, 503. ſqq. Quo loci ex Bar-Hebraeo in Chron. Syr., & Haythono lib. de Tartar. cap. 19, *Cathajam*, Septentrionalem ideſt Sinam Hiſtoricis, & Geographis olim dictam, *Mangalam* vero, Sinam Meridionalem obſervat, ita ut *Pekinum*, Urbs nunc Princeps *Cathajae*, nuncupata olim fuerit *Cambalù*, Urbs ideſt Regia Tartari Imperatoris: namque Sinenſibus *Lù* eſt *Tartarus*, notante Trigautio de Expedit. Chriſt. apud Sinas lib. 4. cap.4; *Tons* etiam denominata, a familia *Tvèn* derivato nomine, cui originem fecit *Koblajus* genere Tartarus, Urbis Aerae Chriſtianae anno 1268. inſtaurator, quo de fuſe nobis, ubi de Tartarorum, Mogulenſ., Turcar. &c. Menſibus, & Annis diſputandum erit.

II. Altius jam vero nobis adſurgendum eſt, atque Sinenſium ad Origines, & Antiquitates, ut fieri poterit, eluctandum, Imperiique Sinenſis attingendae obiter ſaltem Genealogiae, ac diverſas per aetates Dynaſtiae ſunt; ne rerum dicendarum obſcuritas Lectori harum minus conſcio negotium faceſſat haud exiguum. Principio itaque in Hiſtoria Sinenſi, & Chronologia, non ſecus atque in Chaldaica, Aegyptiaca, & Graeca, ut alibi dictum, tria diſtinguenda eſſe Tempora monent Viri docti Parenninus Soc. J. in epiſt. adverſus Renaudotium

Collect. epiſt. Aedific. T. XIX. p.457, Fouquetus ejuſdem Soc. in Tab. Sinenſ., Premarius alter Socius Lett. Aedif. T. XXI. epiſt. ult., D. Maigrotus Epiſcopus Cononenſis in epiſt. ad D. de Lionne Epiſcopum Roſaliae, Fourmontius in Reflex. Crit. ad Hiſt. Vet. Popul. T.II. lib.3. cap.20, De Le Roux des Hautes Rayes in Excerptis Hiſt. Sinenſ. apud Goguetium Orig.Leg., Art., & Scient. T. II. in Adpend. p. 315. ſqq., De Guigneſius Hiſt.gen.Hun. Par. I. T.I. lib.1. p.2. ſqq., Continuator Rollini Hiſt. Noviſ. Sinen., Japon., Indor. &c. T. I. Par.I. cap.1. edit. Ven. p.3. ſqq., aliique, I. Fabuloſa, ſive *Mythologica*, Ψευςέα; II. Dubia, ſeu *Obſcura* Α'μφιβόλα; III. Hiſtorica, ſeu *Vera* Α'ληθέα. Atque ad Fabuloſa rejicienda proculdubio, atque *Mythologica*, quae apud Coupletum ad calcem Confucii, exſcripta inde a Buddeo Hiſt. Eccl. Vet. Teſt. Periodo I. Sect.I. T.I. p. 73, apud Mentzelium in Catalogo Imp. Sinen., apud Abdallam Beidavum editum a Mullero, apud Joh. Gonzaleſium Mendozam in Hiſt. Regni Sin., Scaligerum Emend.temp. lib. 5. p. 366, Bruzen la Martiniere Hiſt.Sin., Japon. &c., Bayerum in Muſ. Sin., Anglos Scriptores Hiſt. Univ. lib.4. cap.11. edit. Gall., Fourmontium, Rollini Continuat., ac De Guigneſium loco antea indic. feruntur a Sinenſibus de primaeva Familia a primo Imperatore *Puon-Kou*, qui juxta Mendozam regnare ante Diluvium anno 239. cepiſse fingitur, idemque cum *Adamo* quibuſdam habetur, aliis vero eo *Chaos* deſignatum vocabulo creditur, prognata, ejuſdemque ſerie, ac imperio per annos 4009000. amplius ſucceſſione; quae de *Tien-hoam-chi*, quo Imperator *Caeli* aliquibus, ab eoque Characteres ad ſcribendum, & Cycli ad ſupputandos annos primum inventi venditantur; aliis vero *Auguſta Familia Caeli* nomine deſignari putatur, in qua Imperatores XIII. per annos 100800. regnum obtinuiſse jactantur; quae de *Ti-hoan-chi*, qua Sinice voce aliis Imperator *Terrae* deſignatus videtur, ab eoque diem a nocte diſcernere, *Lunarem* Menſem diebus 30. componere, atque *Solſtitium* Hybernum *Lunae* II. adfigere Sinenſes edoctos fuiſſe fabulantur; aliis vero deſignata *Auguſta Familia Terrae* viſa eſt, in qua Imperatores XI. totidem, atque prior quidem annis 1008000, regnaſse feruntur apud *Tao-ſse*, celebres ſcilicet inter

inter Sinenſes ſectae *Lao-Kiune* Scriptores, e quibus omnia fere ſua ceteros deſcribere Scriptores ſolere admonet Vir doctiſs. Le Roux apud Goguetium p. 341. ſq. Eumdem in fabularum cenſum referenda profecto, quae de Familiis IX. aliis, ſive *Chad*, ſive *Ki*, Sinice *Kieou-teou-ki*, hoc eſt *Periodis* IX. *Capitum*; quo nomine aliis novem ante Diluvium Generationes audiunt; Periodi vero *Aſtronomicae* veniunt aliis, jactari ſolent; quae ante tempora Aquis Tellus diu mixta, multa poſt Secula ab Aquis diviſa adſpectabilem hanc induiſse formam jactatur; qua de Mentzellus adeundus in Tabul. Chronolog., legendaque Epiſtola ad Hottingerum Mercurio Helvetico anno 1734. Aprilis inſerta. Nempe I. *Ki* deſignatur *Gin-hoan-chi*, hiſque primus *Hominum* Imperator fertur, ab eo inductum primo ſubditos inter, & ſuperiorem Imperatorem diſcrimen, ſub eoque gignendis filiis opera data traditur: atque iſthaec *Auguſta Hominum Familia* per annos 4006600. regnaſſe, totidemque Cyclus hic annis conſtitiſſe fingitur. II. *Ki* denotatur *Ou-long*, ex quo Familiae V. per annos 27003600. imperare perrexiſse feruntur. III. *Ki* ſignificatur *Tco-ti*, ex quo Familiae III. per annos 6409520; IV. *Ki* ſignificatur *Ho-lo*, ex quo Familiae III. per annos 6003000; V. *Ki* indicatur *Lien-tong*, ex quo Familiae VI. per annos 6009000; VI. *Ki* notatur *Choming*, ex quo Familiae per annos 4000000; VII. *Ki* fertur *Sune-fei*, ex quo Familiae XXII; VIII. *Ki* deſignatur *In-ti*, ex quo Familiae XIII; IX. *Ki* demum *Chen-tong*, ex quo Familiae XXI. plures annorum myriadibus regnaſſe, ſub harumque Aetatibus, Scientiae quamplures adquiſitae, repertaeque Artes, Poeticiſque ſimilia figmenta ſexcenta feruntur: quae fuſe perſequitur Vir Cl. Le Roux des Hautes Rayes Pariſ. Reg. Profeſſor apud Goguetium loc. indic.

III. Juxta haec itaque annis, quot Regni tribus illis primis Dynaſtiis adſcribi ſolent, adjuncta, quae *Ki* IX. hiſce, ſive Cyclis, queis totidem imperaſſe Dynaſtiae, in hiſque Familiae 230. aliquibus dinumeratae, feruntur, annorum praefertur, ſumma, inde fiet, ut Sinenſium Origines, & Antiquitates longo cum Aegyptiacas, tum Chaldaicas annorum intervallo Antiquitates, & Origines antevertant, & ſuperent. Juxta

xta ſupputationem etenim Scriptorum variemode initam, ad Sinenſium nempe rerum Scriptores varios exactam, inde fiet, ut a *Poun-Kù* ad obitum *Confucii*, qui ante Chriſti natalem anno 479. conſignari ſolet, anni effluxerint aut 276000, aut 2276000, aut 2759860, aut 3276000, aut imo 59456720, aut imo 96961740. Quam immanem annorum ſummam aliquibus explicare adlibuit de Periodo totius revolutionis Mundialis Machinae, quae deſtrui, ac reproduci creditur trium Sectarum in Sinis ſectatoribus univerſis, tum nempe ſectae *Jù*, ideſt Litteratis, tum ſectae *Foë*, ideſt Bonziis, tum ſectae *Lao-Kiune*, ideſt *Taoſſis*, queis de Sectis infra. A *Tchao-cang-tſie* namque Periodus, *Juene* dicta, fingitur elucubrata annorum 129000, conſtans Horis, ſive Partibus XII, *Hoei* denominatis, quarum unaquaeque annis 10800, juxta alios 18800 conſtet. Cujuſce Periodi I. Parte *Caelum* fingitur conditum; Parte II. producta *Tellus* fertur; Parte III. *Homo*, ceteraque creata omnia condita jactantur; Parte XI. *Creata* omnia fore deſtruenda, atque Parte XII. demum omnia reparanda denuo fabulantur. Ad haec Periodi III. Parte, qua nempe *Homo* conditus fertur, *Fo-hi* Imperium adjiſſe jactatur; Periodi VI. Parte vero vertente, ſive ſub anno 129000 imperare deinde *Yao* cepiſse traditur. Quae aliter apud alios efferri ſolent, velut in Proleg. obſervatum jam fuit, ita ut Parte XII media, ideſt Nocte *Caeli* ferantur conditi, Hora I. mediam poſt noctem *Terra* formata tradatur, Hora II. conditus *Homo*, in Meridie, ſive Hora VI. Imperator factus *Yao*, Hora VII. ſit, qua vivimus, Hora IX. creata omnia fore turbanda, donec cuncta diſpereant. Quae omnia plane fabulis adcenſenda fore nemo non videt. Quamquam ex Viris doctis neque defuere, queis in hiſce decem *Ki*, ſive Periodis apud *Tao-ſie* memoratis decem exprimi Generationes *Antediluvianae* viſae ſunt, uti Bedfordio, Shuckfordio, Wiſthono &c., e Sinenſibus etiam Miſſionariis Soc. J. Bouveto, Fouqueto &c., memoratis Fourmontio Reflex. Crit. T. II. p. 396. Aſt vero aliis ſex dumtaxat *Antediluviani* Patriarchae ibidem ante *Fo-hi* deſcripti videntur, adeo ut *Fo-hi* cenſitus aliis ſit *Henoch*, aliis *Fo-hi* credatur *Mathuſalem*, atque *Hoam-ti* idem cum *Noacho* habeatur.

Fo-hi

Digitized by Google

Fo-hi viciſſim *Noachus* viſus eſt Alixio in Reflex. ad Script. p. 112., Wiſthono in Chron. Vet. Teſt., Newtono in Chron. Vet. Regni Emend., Shuckfordio Hiſt. Mundi Sac., & Prof. lib. 1. p. 29. ſq., & lib. 2. p. 100. ſq., Bedfordio in S. Script. Chron., queis utpote *Noachum* ex Arca egreſſum, relictis in Regione Senahar filiis *Semo*, *Chamo*, & *Japheto*, cum aliis in Indias profectum, Sinaſque fuiſse perſuaſum fuit: quorum opinioni eorum, qui prope *Ararath* manſiſſe *Noachum* putant, hanc praeferendam volunt Scriptores Angli Hiſt. Univ. T. II. Par. I. Sec. 4. cap. 2. p. 50. ſq. Warburthono aſt vero *Eſſai ſur les Hieroglyphes Egyptiens* T. II. p. 524. idem cum *Noacho* habitus eſt *Puon-Kou*, ab *Hebero* indiſtinctus *Fo-hi*, ab *Hoam-ti* haud diverſus *Rehu*, nec a *Tao* alter *Thare*, conjectura inde ducta, quod anno 300. circiter ante Chriſtianam Aeram Judaei ſiquidem in Sinas penetraſse legantur, ab iis de *Moyſis* libris edoceri Sinenſes potuerint. Et ſane Pekini quodam in Idolorum Fano vetuſtiſſimum cuſtodiri Sacrorum Bibliorum Exemplar Hebraicum refert Soucietus Obſervat. Mathem., Aſtron., Geogr., Chron. &c. T. I. p. 135. Quin etiam a Chaldaeis, ac Aegyptiis, quos *Moyſis* libros haud latuiſſe veri fit valdequam ſimile, ejuſmodi Hiſtoriarum fragmenta, quae fabulis deinde, pro more Orientalium, amplificaverint, Sinenſes accipere potuere, quod aliis perſuaſum eſt. Quas tamen conjecturas evertere Annalium Sinenſium auctoritate conatus eſt Fourmontius Reflex. Crit. in Hiſt. Vet. Popul. T. II. p. 435. ſq., in quibus utpote Imperatorum horum & nomina, & Patres, & Matres, & nativitatis in Sinis loca, & Provinciae iis inhabitatae in Sinis utique diſtincte recenſentur; quae omnia *Moſaica* conciliari cum hiſtoria nullo poſse modo putat: quamquam haud eam Annalibus hiſce ineſse auctoritatem, quae fidem prorſus obligent noſtram, infra planum fiet.

IV. Quo proinde loci nihil prohibet, quominus pro fundamento illud ponatur, quod contra Voſſium Obſervat. Var. cap. 13. ſq., Spizelium de Re litter. Sinenſ., Leibnitium in Noviſs. Sinicis, Wolfium in Orat. de Philoſoph. Sinen., alioſque Sinenſium admiratores, in quibus Fourmontius etiam, Shuckfordius &c., memoratos Bruckero Hiſt. Crit. Philoſ. T. V. p. 846, optimis ſtabilivit rationibus poſt Ludovicum de Comitibus in Me-

Memoire ſur l'Etat preſent de la Chine, alioſque Rei Sinicae peritos Euſebius Renaudotius in *Ancienes Relations des Indes, e de la Chine* p.340. ſqq., oſtendere ſcilicet adgreſſus Scientias quod attinet, non quod ad Artes pleraſque alias, Sinenſes ab Hebraeis, Chaldaeis, Aegyptiis, ſupra quos ſuas ideo origines, & antiquitates erigere voluiſſe Sinenſes videntur, a Syris, Perſis, Arabibus, Graecis, ac Latinis longo ſuperatos intervallo fuiſſe, ab iiſque mutuatos, quae de Deo, de Mundo, de Scientiis deinde ſcivere. Renaudotio vero ſententia adſtipulari non dubitarunt Ludovicus du Four in Longueranis, ſive Cogitatis edit. Berol. p. 107. ſq.; ex Proteſtantium grege vero Buddeus Philoſ. Moral. cap. 5. p. 35. ſq., Heumannus in Actis Philoſ. T. II. p. 750, Hornius Hiſt. Philoſ. lib. 6. cap. 7. p. 309., Langius in Annot. ad Orat. Wolfii, Bruckerus Hiſt. Crit. Philoſ. T. V. p. 881. ſq., Jaquelotius de Exiſt. Dei Diſſert. 1. cap. 21. T. II. p. 101. ſqq. Quo ſane loci conjicit Vir doctus Annales Sinenſes haud aliud, quam faraginem eſſe ab aliis Hiſtorico-Chronologicis Codicibus ullo abſque delectu compilatam; quam ſuam multis conjecturam confirmare ſatagit. Atque a Chaldaeis utique, quibus acceptam perinde fabulam de immani propriarum Originum antiquitate, poſtmodum ab ipſis amplificatam referre pronum eſt, plura ſuos in Annales derivaſſe Sinenſes, atque poſt quammaxime, quam *Hoam-ti* Imperatoris II. Dynaſtiae IV. *Cin* dictae, qui Regnum anno 244. Chriſti ante natalem injit, juſſu anno 213. vetera omnia Sinicae Hiſtoriae Monumenta igni devota fuere, (quod inficias quidem ivit Fourmontius Reflex. Crit. T. II. p. 433, Parenninus vero Lett. Edif. T. XXI. p. 120. ſq. libros haud omnes, Hiſtoricos etiam tum igne abſumptos, ſed pleroſque in antris, tumulis, muris &c. fuiſſe occultatos cenſuit; aliis tamen incendio plane deletos fuiſſe perſuaſum eſt, uti Frereto de Antiquit., & Chronolog. Sinenſ. Monum. Acad. Inſcript. Pariſ. T. XV. p. 506. ſqq., Warburthono *Eſſai ſur les Hieroglyphes des Egyptiens* T. II. p. 12. ſq. &c.) queis ideo proprio de ingenio conficta pleraque, ac pleraque Gentium ex aliarum monumentis excerpta ſubrogare poſtmodum neceſſe fuit. Junge, quod ab *Heu-Kim* Dynaſtiae X. *Leang* dictae Imperatore 111, Aerae Chriſtianae anno 573. in Regiam perinde Bibliothecam congeſta Volumina 140000, centum ideſt qua-

Digitized by Google

quadraginta millia flammis & ipſa abſumpta periere: quae longo poſt labore reparata fuiſſe leguntur anno circiter Aerae Chriſtianae 650. a *Tai-cum*, ſive *Tſong* Imperatore 11. Dynaſtiae XIII. *Tam* dictae, Litterarum amantiſſimo, a quo Regia in Aula Scientiarum Academia inſtituta, optimoſque gentium undequaque conquiri libros juſſum legitur; quove imperante in Sinas Europaeos, atque Chriſtianos utique, penetraſſe dubitare non ſinunt vetera Monumenta a P. Ludovico de Comitibus Epiſt. II. exhibita, in hiſque celebre illud *Syro-Sinicum* in Urbe *Sigan-fu*, quo de poſtea, repertum. Queis jam libris inſtructa, aliiſque conquiſitis alibi, ibique deſcriptis adaucta Bibliotheca deinde altera, Voluminibus 80000. referta, a *Tai-cum*, ſive *Tſong* Dynaſtiae XIX. *Sum*, aut *Song* dictae, Imperatore II., haud confundendo cum *Tai-tſong*, ſive *Cum* altero Dynaſtiae XIII. *Tam* Imperatore, quo de ſupra, Chriſti anno 1003. circiter condita fertur. Inde nempe conjicere fas eſt, quod *Noachum*, ſub nomine *Oannis*, ante Diluvium Chaldaeis, ex Hebraeorum ſane libris, innotuiſſe ſiquidem ex Beroſo apud Syncellum in Chronog. p. 28. edit. Pariſ., Ven. p. 22. haud obſcurum ſit. Qui vero Chaldaeis *Oannes* fuit, is Sinenſibus *Pu-Oncu* dictus obſervatur Iſaaco Voſſio lib. de LXX. Interpr. p. 409., ac poſt ipſum Fabricio in Cod. Pſeudepig. Vet. Teſt. T. I. p. 254, ablato vero articulo, praefigi Orientalibus ſolito, *Pu*, vel *Pi*, vides *Oncu* haud ſane multum *Oanne* abſimilem eſse. Quin etiam *Hoene-tune* eumdem pleriſque dictum obſervant Freretus p. 443. ſq., ac Warburthonus T. II. p. 33. Quamquam Fourmontio Reflex Crit. T. II. p. 437. *Poun-cu* indiſtinctus a *Japheto* viſus eſt ideo, quod Sinice *Puon-cu* ſignificet *Primogenitum Arcae*, ſive *Navis*, quo plane *Japhetus* deſignatus nomine fuerit: quod alioqui *Noacho* etiam aptari commode poteſt. Huetio viciſſim de Concord. Rat., & fidei lib. 2. p. 187. apud Sinenſes *Noachum* fuiſse *Leotzitzamum* adpellatum perſuaſum fuit; atque huncce Graecis *Bacchum* habitum cum Huetio credidit Fraſsenus Diſquiſit. Bibl. p. 93, Perſis *Azonacem*, de quo Plinius lib. 30. cap. 1, Aegyptiis *Oſiridem*, quo de Plutarchus de Iſid., & Oſir., autumat Tzetzes Chil. 8. Hiſt. verſ. 211, qui *Bacchus* tamen Bocharto Geogr. Sacr. Par. I. lib. I.

cap.2. p. 12. eſt *Nimbrodus*, quaſi *Bacchus* idem fuerit, atque בר כוש *Bar-Chus*, ideſt *Chuſi* filius.

V. *Diluvii* ad haec Indis notitiam inditam fuiſse, non ſecus atque Chaldaeis apud Beroſum in Fragm. a Scaligero ad calcem Emend. Temp. p.44. edito, Aegyptiis, atque Phoeniciis apud Manethonem, Platonem in Timaeo, ac Lucianum de Dea Syria T. II. p. 882, Aſsyriis apud Abydenum relatum Euſebio in Praep. Evang. obſervat eodem loci Huetius: quò facit Idolum etiam Aſsyriis inſigne *Niſroch* apud Kircherum Oedipi Aegyp. T. I. p. 376, quod idem fortaſse cum Babylonico *Rach* fuit, quo de Seldenus de Diis Syr. ſyntag. 2. cap. 17, ac Willetus *Upon* Dan. 1. 16, atque *Noachus* inter Deos ſub *Solis* ſymbolo dedicatus ſane videtur, conferendique Auctores Ephemer. Dombenſ., ſive Trevolt. anni 1701. Maji, & Junii p.403. ſq., atque conſulendus eo loci Fabricius, ubi horum ſimilia perſequitur: *Diluvii* rurſus hiſtoriam haud latuiſse Japonios liquet ex Relat. *de l'Ambaſſade au Japon* p.138, queis de fuſe Blanchinius Hiſt. Univ. dec. II. cap. 17. §.6. p. 193. Innotuiſse Americanis item oſtendunt Theodorus de Bry Rer. Americ. T.II. Par.IV. p.123, ac de Laet de Orig. Gentium Amer. p.115. Sinenſibus etiam, inficias etſi iverit Coupletus in Praef. ad Tab. Chron. p. 3, & 8, Scriptor Arabs in *Anciennes Relations des Indes* &c. p. 67., Ebn Shohnah apud Scriptores Anglos Hiſt. Univ. Obſerv. T.I. Par.II. p.219, adfirmat tamen Martinius Hiſt. Sin. lib.1. p.12, & 39, confirmat Voſſius in Epiſt. ad Andream Colujum p.409, ac demonſtrat ibid. Blanchinius p.198: ubi Sinis ideo ſub Aprilis initium Sacrificia pro Defunctis fieri, in Diluvii memoriam ideſt, quo Gentiles periiſse ſuos perſuaſum habent, conſueviſse obſervat. Cujuſmodi Sacrificia Graecis Ὑδροφορία apud Heſychium, ac Suidam, celebrari Februario noſtro conſueviſse, atque Romanis *Luſtralia* eodem prope Menſe fieri ſolita advertit. Quo ſequitur, ut ex Aſsyriorum libris profeciſse dubio procul Sinenſes veri haberi valdequam ſimile queat. Aegyptiis adhaec, atque Phoenicibus acceptas Scientias, Arteſque Sinenſes debere, quorum ad Scythas, & Indos originem viciſſim referendam vult, auctor eſt Hornius Origin. American. lib.4. cap.4. p.232. ſqq. Quo ſane loci ſuam confirmare

Digitized by Google

mare opinionem ſatagit vulgatiſſimis *Bacchi*, & *Herculis* expeditionibus Indicis, *Seſoſtris*, & *Rhampſis* item apud Herodotum, Diodorum, Strabonem, & Tacitum; Aegyptiacae linguae, & Aethiopicae reliquiis, quas in Sinis ſupereſse cum Kirchero obſervat; morum item ſimilitudine Aegyptios inter, ac Sinenſes, de quibus Herodotus, Pomponius Mela, S.Epiphanius &c.; ſcribendi genere Symbolico, & Hieroglyphico, quod ab Aegyptiis accepiſse Sinenſes haud ambigit; Ritu Idola colendi *Cames*, qui Phoenicum *Chemos* ipſi videntur, *Lemures*, ſive *Lares*; *Teu*, qui haud alter ab Aegyptio *Theuth* exiſtimatur; *Confucium* etiam, quem ab Aegyptio *Chon*, ideſt *Hercule*, indiſtinctum putat, qui aliis *Cnuphis*, ſive *Canopus*, aliiſque *Kamephis*, Aegyptiace *Beneficum* ſonat, quo de fuſe Jacobus Kocherus de Etymo *Cnuphis* in Miſcell. Obſervat. Crit. Novis in Auctores Veter., ac Recent Amſtel. T.II. anno 1742. p.129. ſqq. Ab Hornio parum opinione diſtitit Schmidtus, qui edita diſsertatione ſuadere Indos Coloniam Aegyptiorum eſse conatus eſt. Utrique vero in ſententia praeiverat Huetius de Navigat. Veter., ab *Iſide*, & *Oſiride* Aegyptios in Indiam, ac Sinas tranſplantatos ſuiſse ſuſpicatus. Contra Indorum, ac Sinenſium Coloniam magis Aegyptios fuiſſe, atque *Noachum* ab Arca egreſsum in Indiam, atque Sinas ſeceſſiſse cenſent Warburthonus, ac Shuckſordius. Huetii opinionem amplexi Mairanus in Epiſtola ad Parenninum ex morum Aegyptios inter, ac Sinenſes ſimilitudine confirmare ſatagit, atque De Guigneſius in *Memoire, dan la quelle on prouve, que les Chinois ſont une Colonie Egyptiene*, Academiae Pariſ. exhibita, ex veterum Characterum quammaxime ſimilitudine comprobare adnixus eſt. Sed enim Mairano adverſarium ſe praeſtitit rei Sinicae peritiſſimus Parenninus Lett. Edif. T.XXIV, De Guigneſiii vero conjecturas evertit D. Le Roux des Hautes Rayes Regius Ling. Arab. Profeſsor in Dubiis ad De Guigneſii diſsertat. anno 1759, inde quod ab *Alphabeticis* litteris haud utique, veluti De Guigneſio viſum, qui totus in id incumbit, ut eamdem, quae apud Sinenſes litteris, rem apud Aegyptios Hieroglyphicis deſignatam fuiſse oſtenderet, *Hieroglyphica*, ſed ab his magis illae profectae aeſtimandae ſint: quod haud

tanta inter Aegyptios, ac Sinenſes litterarum adfinitas intercedat, quam putat DeGuigneſius, praeconcepta ſua pro opinione. Adhaec quum primum Hieroglyphicis res ipſae, rerumque proprietates exprimi conſueverint, nihil proinde mirum, quod eiſdem ſymbolis, rerum veluti picturis, ac figuris, apud Sinenſes, & Aegyptios non modo, ſed apud Americanos etiam expreſsae fuerint. Tum denique ex Characteribus ductum a De Guigneſio argumentum locum habere advertit, ſi in lingua Sinenſi, & Aegyptiaca eaedem Radicales eſsent, eademque ineſſet ſignificatio. Conferendi & Excerptores Bernenſes Litter. Europ. anno 1760. T.I. Jan. Febr. Mart. p.28.ſqq., & p.125.ſqq.

VI. Jam vero, ut illò regrediatur, unde noſtra digreſſa eſt, oratio, hiſce ad fabulas amandatis, quae tam de prioribus Dynaſtiis III, quam de haſce Dynaſtiis IX. aliis ſubſequutis fingere Sinenſium indoctioribus pro libidine placuit, ad Tempora obſcura, dubia, & incerta ſpectant, quae inde poſt *Ki*, ſive *Chaò*, Periodum IX. ideſt, a qua *San-Hoam*, ideſt *Trium Auguſtorum*, qui fuere nempe *Fo-hi* omnium prior, *Chin-nong*, poſt ipſum proximus, atque *Hoam-ti*, a quo perinde occupatum imperium, firmatumque fertur, Imperii auſpicia, Hiſtoriaeque Sinenſis cardo peti ſolent, Sinenſes nobis Annales referunt: quamquam & hiſce fabuloſa permixta fuiſſe pleraque ex dicendis infra planum fiet: Atque *Fo-hi* quidem, *Paò-hi* alias dictus, imperium fundaſſe traditur Chriſti ante natalem anno 2060, juxta Sevedum, aut 2847, juxta Auctorem Memorand. in Sina, & Europa, aut 2954, juxta Juvencium in Hiſt. Societ., aut imo 3889, juxta Petavium, aut communius anno 2952, uti Shuckfordius Hiſt. Mund. lib. 1. T. I. p. 29. vidit, verius 2945, juxta DeVignolium. Cyclus enim Sinenſium incepiſſe ante Chriſtum anno 2690, *Hoam-ti* Imperatoris III. Dynaſtiae *San-hoam* hujuſce anno 8. legitur, ante quem imperio ſiquidem praefuiſse *Fo-hi* annis 101, aut 110, aut 115, ac poſt ipſum *Chin-nong* annis 140. ferantur, inde ſequitur, ut in annum 2945. ante Chriſtianam Aeram, ſecundae iſthaec Sinenſis Hiſtoriae, ſive *San-hoam* Dynaſtiae Epocha inciderit, ideoque Seculis aliquot *Diluvio* fuerit anterior: quod in fabulis idcirco haberi debet, *Fo-hi* etſi ideo a *Noacho* indiſtinctum habere

Digitized by Google

bere Viri docti nonnulli haud dubitarint, qua de re ſupra, rurſuſque fuſius infra. Poſt *Fo-hi* ex ipſius familia Imperatoris XV. alii in Urbe *Tchin* Provinciae *Chenſi*, ſive *Xensi* regnare per annos 17788. perrexiſſe finguntur: qua extincta, in imperio ſucceſſiſſe *Chin-nong*, ſive *Xi-num* annis 140, alteraque ab ipſo fundata Dynaſtia in Urbe *Lou* Provinciae *Chantong* in Imperatoribus VII. per annos 306. regnum obtinuiſſe traditur. Dynaſtia iſthacce demum exterminata, imperium, ſede *Chilou* defixa, arripuiſſe *Hoam-ti* ante Chriſti natalem anno 2690, Cycli I. anno 8, ac regnaſſe annis 110. memoratur: quae ad fabulas magis amandanda, quam inter dubia referenda infra demonſtrabo. Dubiis perinde, obſcuriſque adcenſenda proculdubio ſunt, quae de *Ou-ti*, hoc eſt de *Quinque* Imperatoribus, (*Ou* namque *Quinque*, *Ti* Imperatorem Sinice ſonant), qui priores tres illos *San-hoam* ſubſequuti feruntur, apud Sinenſes circumferri ſolent in libro *Tſou-Chou*, ideſt ex *Bambou* vulgo dicto, confecto Arboris cortice libro, veteri nempe Chronico, magno ipſis in pretio habito, quemve generali ab incendio, ſub *Hoam-ti* Imperatore II. Dynaſtiae IV. *Cin*, evaſiſſe credunt, Opus tamen eſſe haud melioris, quam Chaldaica, Aegyptiaca, & Graeca vetera extiterint Monumenta, notae multis oſtendit De Guigneſius Hiſt. gen. Hun. T.I. Par.I. lib. 1. p. 5. ſqq. Ex his itaque *Hoam-ti* filius I. *Chao-hao* annos 84, II. *Tchuen-hio* ex eadem familia annos 78, III. *Tiko-kao* ejuſdem generis annos 63, aut 70, aut 75, IV. *Ti-Tao* ipſius filius annos 98, aut 100, V. *Ti-Chun* ex familia eadem annos 50. regnaſſe memorantur. Atque his e quinque *Ou-ti* Imperatoribus, tribus primis dimiſſis, a IV. *Tao*, qui regnum exorſus ante Chriſti natalem an. 2317, Cycli VII. anno 21. legitur, & a V. *Chun*, qui poſt *Tao* regnum anno 100. auſpicatus eſt, indubia Sinenſis Hiſtoriae, & Chronologiae tempora inchoanda Doctis oppido multis viſa ſunt, De Guigneſio loc. cit. p. 5. ſq., Fourmontio in Reflex. Crit. T.II. p. 426. ſqq., Le Roux apud Goguetium Orig. Scient. &c. T.II. p. 315. ſqq., & p. 340. ſqq. &c.

VII. Antequam vero ad Indubia, & certa Hiſtoriae, & Chronologiae Sinenſis capita noſtra ſe transferat oratio, Dubia

biu iſthaec, & obſcura ſane ad veritatis incudem revocanda veniunt. Atque ad fabulas utique, quae de *San-Hoam*, tribus nempe Imperatoribus *Fo-bi*, *Chin-nong*, & *Hoam-ti*, Sinenſis refert Hiſtoria, fore amandanda, ſic oſtendere adgredior. Atque principio *Fo-bi* aetatem, qui ipſius pro Imperii veritate pugnant, in annum Chriſtianam ante Aeram 2945, ideoque ante Diluvium annum 600. circiter, illud conferre ſane coguntur, ſi veritate pariter Sinenſium Cyclum niti contendunt, qui cepiſſe dicitur *Hoam-ti* anno 8, Chriſti ante natalem 2690; quibus additis annis 255, quot ab Imperio *Fo-bi*, & *Chinnong* interfluxere, Cyclo illo haud comprehenſis, anni 2945. exſurgent, uti ſuperius dicebam, quot nempe Sinici Imperii Epocha Chriſtianam antevertiſſe Aeram, anniſque 600. quin etiam circiter *Diluvium* ipſum, juxta Chronologiam Textus Hebraici, ac Vulgatae, quae annos a *Diluvio* ad Chriſti D. Vulgarem natalem annos 2344, a condito vero *Mundo* ad *Diluvium* annos 1656. enumerat: quod abſonum ſane, abſurdumque valdequam recte viſum prae aliis eſt D. Maigroto Epiſcopo Cononenſi in Epiſt. ad D. de Lionne Epiſcopum Roſaliae, Jaquelotio de Exiſt. Dei Diſſert-1.cap.22.T.II. p.89.ſqq., De Guigneſio Hiſt. gen. Hun. T.I. Par.I. lib.1.p.3. ſqq., Anglis Script. Hiſt. Univ. lib.4. cap.11. edit. Gall., Rollini Continuatorij Hiſt. Noviſſ. Sin., Jap., Ind. &c. T.I. Par.I. cap.1. p.3. ſqq. &c. Non me latet vim hinc facere haud parvam, qui pro Chronologia Textus Samaritani, aut Graeca LXX. Interpretum, veluti pro aris, fociſque pugnant, queis adſtipulari perinde Shuckfordius Hiſt. M. Sac., & prof. T.I. lib.1. p.29. ſq., & p.50. ſqq., Fourmontius, Vir certe cum Linguae, tum Litteraturae Sinenſis apprime gnarus, ſed Sinenſium pariter originum praeter modum amplificator, Reflex.Crit. T.II.p.438. ſqq., aliique haud dubitarunt: repugnant vero praeter alios Morerius etiam Diction. T.II. edit. Pariſ.1707. p.214, aliique paullo ſupra laudati. Sed hi modo Duumviri hocce reſponſum habeant. Eiſdem nempe in Annalibus *Diluvii* mentionem fieri haud ignorant, ita tamen, ut illud duraſſe annos 9, cepiſſeque feratur anno 40. Cycli VII, ſub Imperio *Yao*, qui ab *Hoam-ti* quintus Imperator recenſetur. Praeter jam vero

quam

quam quod *Diluvium* illud, quod ideo pleriſque viſum eſt particulare, annorum 9. cum *Noachico* non concordat, annus 40. Cycli VII. infert annos 2298. ante Chriſtianam Aeram, ideoque *Diluvium Noachicum* poſtabit annis 46, aut 52. juxta alios, juxta quod ideſt *Noachi Diluvium* incidiſſe putatur ante Chriſti natalem anno 2344, aut 2350. Rurſus anni 40. Cycli VII- non inferunt, niſi annos 400, queis additi anni 255, Cyclis ejuſmodi, nec dum excogitatis, haud ſane comprehenſi, ex quo *Fo-hi* regnum injiſſe fertur, annos 655. efficient, quos ante *Diluvium* in numeris habere Sinenſes occepiſſent. Inde fit igitur, ut Sinenſibus aut Cyclorum anni ad Chronologiam Hebraici Textus exacti fuerint: demptis enim annis 655. circiter, quot *Diluvium* anteceſſiſſe ex Cycli VII. anno 40, & antecedentibus annis 255, in Cyclis non comprehenſis, modo demonſtratum eſt; qui ſequuntur reliqui ab Originalis Textus, ac Vulgatae ſupputatione haud multum diſcrepant: aut *Fo-hi* ipſummet fuiſſe *Noachum* oportet.

VIII. Quod ſane poſtremum de *Fo-hi* ideo a *Noacho* indiſtincto adhibuit Gemello de Sin. cap. 9, Vallemontio in Elem. Hiſt., Eliae de Amat in Epiſt. Erudit. ep. 1. de Moyſe Scriptore omnium primo p. 5, Wiſthono in Chron. Vet. Teſt., Shuckfordio Hiſt. M. T. I. lib. 1. p. 29. ſq., & lib. 2. p. 100. ſqq., Fourmontio Reflex. Crit. T. II. p. 399. hiſce fere conjecturis adductis I. Quod *Fo-hi* Ἀπάτορος, ſine *Patre* extitiſſe feratur apud Martinium Hiſt. Sin. p. 21, qualis *Noachus* a Diluvio emergens videri potuit. II. Quod *Fo hi* a Matre conceptus *Iride* compreſſa apud Martinium ibid. memoratur: *Iridem* vero *Noachicae* hiſtoriae inſigne fuiſſe ignorat nemo. III. Quod *Fo-hi* ſeptem Pecudum ſpecies ſacrificiis *Chine*, ideſt *Spiritui Caeli*, & *Ki*, hoc eſt *Spiritui Terrae* deſtinatas, domi alere familiare fuerit apud Ludovicum de Comitibus *Memor. de la Chine* T. II. p. 89: id autem de *Noachi* hiſtoria hauſtum non videri nequit. IV. Quod *Fo-hi* nomen a Sacrificiis, quae obtuliſſe dicitur apud Coupletum in vita Confucii in Prooem. p. 38, & 76. derivatur; quo modo *Noachus* inde denominatus Moyſi legitur, quod a Deo Animalium veſcendi carnibus jus hominibus impetrarit. Mitto ceteras minoris, nulliuſque momenti

menti conjecturas; queis ſuas oppoſuit Bruckerus Hiſt. Crit. Philoſ. T.V. Emend., & Suppl. p.937. ſq. Quod ſcilicet *Fo-hi* Sinenſibus abſque *Patre* omni fuiſſe, unaque ex Matre *Iride* circumſepta conceptum perſuaſum fuerit. Quod Sacrificia a *Fo hi* oblata fuiſſe *Chine*, & *Ki*, ſive uti ſcribere Bruckero adlibuit, *T-Hiang*, & *Xin*-Ky, Spiritibus ideſt *Caeli*, & *Terrae* ferantur: (ſiquidem vox Sinica Ky ſpecifice *Terreſtres* Spiritus ſignificat, velut obſervatum eſt Minorello in Exam. Hiſt. Sinenſ. Juvencii p.125.); quae & alia ſimilia potius evincunt a *Noacho* prorſus diverſum *Fo-hi*. Quem idcirco potius aut cum *Adamo*, ut ab Hornio, & Chevreau Hiſt. Mundi T.II. lib.8. cap.5. p.552. ſq. confuſus eſt, queis ideo *Xin-nung* viſus eſt *Cain*; nec alius *Hoang-ti*, quam *Henoch* Caini filius; *Xahoan* idem, atque *Irad*; haud a *Mahujael* diverſus *Chuenchieu*; neque *Coi* alter a *Mathuſala*; ac denique *Tao* creditus eſt *Noachus*, Latinis *Jaus*, ſive *Janus* dictus. *Fo-hi* viciſſim cum *Phalego* idem habitus eſt Warburthono *Eſſai* &c. T.II. p.34; aut cum *Mathuſala*, aut cum *Henocho*, aut cum *Malaele* Auliſio de Scholis Sac. lib. 1. cap. 23.; *Xin-num*, ſive *Chin-nong* indiſtinctus a *Lamecho*; atque *Hoam-ti* confuſus cum *Noacho* eſt Bayero; *Tao* autem cum *Jano*, aut *Noacho* imo viſus idem eſt Martinio Hiſt.Sin. p.21, & 40, conjecturis attamen haud magis firmis, verique propius ſimilibus.

IX. Jungendum & illud, quod jam ſuperius attigimus, quodque ipſi Fourmontio p. 435. graviſſimi viſum eſt ponderis, nempe Sinenſium in Annalibus paſſim *San-Hoam*, trium ideſt *Auguſtorum*, nempe *Fo-hi*, ex ipſoque prognatorum aliorum Regum xv, *Chin-nong*, ipſiuſque ſucceſſorum Imperatorum v, *Hoam-ti*, ex ipſoque procreatorum filiorum xxv; vetuſtiorum quin etiam *Kieou-teou-Ki*, Imperatorum ix. ideſt *Gin hoam*, *Ou-long*, *Tco-ti*, *Ha-lo*, *Lien-tong*, *Cho-ming*, *Sune*, *Fei*, *In-ti*, & *Chen-tong*, ex ipſiſque longas per annorum myriades derivatarum familiarum; horum quin imo longe antiquiorum trium Imperatorum *Pouon-Kou*, *Tien-hoam*, & *Ti-hoam*, ipſorumque familiarum *Caeli*, & *Terrae* Auguſtarum, quae longe ante *Fo-hi* in Sinis imperaſſe feruntur Abdallae Beidawo apud Mullerum, atque Siá-Ulh-lun Sinenſi a Mentzello

Digitized by Google

zello evulgato Scriptori, aliiſque apud Martinium in Tabul., quique proinde cum Patriarchis *Antediluvianis* componendi cis ſunt, qui pro veteribus Sinenſium originibus pugnantes, earumdem in ſubſidium, aut Samaritani Textus, aut Graecam LXX. Interpretum Chronologiam advocant, eamque propterea alterutram, vel imo utramque Textus Hebraici, & Vulgatae praeferre non ambigunt, horum, inquam, Sinenſium antiquiſſimorum Imperatorum in Sinenſium Annalibus memorari paſſim nomina, paterni, materni que genus, nativitatis, incolatuſque loca, extra Sinas haud utique quaerenda, reperiendaque: quae omnia plane cum Veteris Teſtamenti Patriarcharum nomenclaturis, originibus, familiis, incolatibus, genealogiis, inſtitutis &c., nulla prorſus componi ratione queunt. Indeque patet non fuiſſe profecto, cur Renaudotius vereretur, ne tanta Sinenſium antiquitate ſuo pro ſtabiliendo *Praeadamitarum* ſyſtemate Iſaacus Pereyrius abuteretur. Quod rem denique conficit, illud eſt praeterea, quod ab annis 2690, qua ab Epoca *Hoam-ti* auſpicari imperium ſolet, detrahendos fore annos 304. paullo infra Chronici *Tſou-Chou*, maximae apud Sinenſes auctoritatis, teſtimonio demonſtratum ibit: namque juxta Chronicon iſtud *Hoam-ti* imperare anno dumtaxat ante Chriſti natalem 2386. cepit, nec ante illud quinimo ulla Cycli Sexagenarii mentio occurrit; qui Cyclus 60. ideo recentioris inventum aetatis aeſtimari debet, antiquorum deinde Imperatorum annis de induſtria adaptatus. Inde fit igitur, ut tam a Samaritani Textus, quam ab Interpretum LXX. Chronologia longo Sinenſis diſcrepet intervallo; annis nempe 1079. ſupra Samaritanam aſſurgit, juxta quam *Diluvium* anno Mundi 1307. contigit, annis 349. ideſt prius, quam a Textu Hebraeo, & Vulgata collocetur; anniſque 123, juxta alios 144, Graecam LXX. Interpretum excedit, juxta quam *Diluvium* in annum Mundi 2263, aut 2242. incidit, annis ideſt 607, aut 586. tardius, quam ab Hebraeo Textu, atque Vulgata conſtituatur. Poſtremo ſi Cycli XLV. annus 57. fuit Aerae Chriſtianae annus I, velut ex Tabula a De Guigneſio Hiſt. gen. Hun. Par.I. T.I. p.LXXIII. deſcripta adparet, inde fit utique, ut Cycli I. Sinenſis annus 1. inciderit in annum Chriſti

 ante


ante natalem 2697, qui juxta Uſſerium fuit Mundi annus 1303, Chriſti namque fuit Mundi 4000; atque ita Sinenſis Aera cum anno Mundi 1303. cepiſſet, ideoque ante *Diluvium*, juxta Textum Hebraicum, & Vulgatam, annis 353: quae ſumma, detractis annis 304, quot ab *Hoam-ti* Epocha detrahendos ex Chronographo *Tſou-Chou* infra demonſtrabitur, ut modo dictum, inde fiet, ut Chronologia Sinenſis cum Hebraei Textus, atque Vulgatae optime cohaereat, velut oſtendere conatus eſt Bourguetus, ab eaque annis 50. vix, ac ne vix quidem, noſtrum juxta computum, abſcedat. Et ſane a Scriptore *Tſou-Chou* Chronologiam ſuam e Bibliis Hebraicis, quae in Sinas deportata fuere, quorum etiam num Peckini in Fano Idolorum quodam adſervari ipſe adſerit, fuiſſe defloratam, probabili haud abſque fundamento ſuſpicatus eſt rei Sinicae peritiſſimus P. Gaubilius Obſervat.Mathem., Aſtron., Chron. &c. T.II. p.43, juncto P. Soucieto T.I. p.135.

X. Incertiſſima ſunt itaque omnia, aut fabularum magis omnino ſimillima, quae de *Fo-hi*, ab eoque Sinenſi fundato Imperio circumferri ſolent. Inter quae illud, quod a *Fo-hi* omnium primo ſilveſtres adhuc Sinenſes ab agreſti, peneſque belluino, pecorum more, vivendi genere legibus, atque litteris fuerint revocati. Quod Artium, Scientiarumque penes omnium inventor *Fo-hi* fuerit, inter quas Kalendarium ab ipſo fuiſſe conſtructum, Caelum in gradus diviſum, Cyclum annorum 60. excogitatum, Anno formam adfixam referunt: quod poſterius Sinenſibus aliis *Hoam-ti* adſcribere adlibuit. Et quod ad litteras attinet, eodem haberi nugarum cenſu debet celebris apud Sinenſes Libellus, qui a *Fo-hi* compoſitus fingitur, *Koua* dictus, figuris, ſive lineis duplicis genus conſtans integris ——, & interruptis — —, quarum ex multiplici, variaque combinatione Tabula figurarum 8, 32, 64, exſurgat: quo plane libello diſciplinae prorſus omnes a *Fo-hi* traditae putantur. Atque aenigmata iſthaec porro, incredibile dictu, quot, & quanta Interpretum torſerint ingenia: quae tamen ita explicata Confucio fuiſſe tradit Coupletus in Praelim. Diſſert., ex ipſoque Bruckerus Hiſt. Crit. Philoſ. T. V. Periodo III. Par.II. lib.3. cap.3. §. 24. p.901. Ita nempe, ut

Mate-

Materiam primam, ingentis *Maris* inſtar, conceperit; quam in duo *Maria* deinde minora, in duo ideſt *Principia* ſecundaria diſtribuerit, illud Perfectum *Yam*, iſtud Imperfectum *Yn* eſſe adfirmans. Ex horum vero *Principiorum* quolibet per ſecretionem quamdam oriri Principia duo alia perhibet, & quidem ex *Perfecto* Perfectum *Majus*, & Imperfectum *Minus*; ex *Imperfecto* Perfectum *Minus*, & Imperfectum *Majus*: & has eſſe quatuor *Emanationes* Confucii, quae varie commixtae alias octo rerum ſpecies exhibent, quarum juxta *Fo-hi* inſtitutum hoc ſe habet ſchema, velut illas Confucius interpretatus eſt.

Fo-hi Duo Rerum Principia.



XI. Atque hocce Schema quidem, cui ſimile alterum *Kova* LXIV. exhibens a P. Gaubilio deſcriptum Obſerv Mathem., Aſtron., Chron. &c. T.II. ad calcem p. 178. videre licet, de induſtria potius excogitatum, deque ingenio confictum aeſtimari poteſt: cuilibet enim pedi, veluti loquitur Bruckerus,


Digitized by Google

rus, modulus hic aptari poteſt; aliunde quoque Confucii dogmata tot ubique nebulis obſita ſunt, ut anceps ipſi potius, aenigmaticumque haeſiſſe ingenium arguere liceat, quod multis eo loci perſequitur Bruckerus. Prae ceteris nihiloſecius, qui fictitio huic aenigmati enodando, eque tenebris eruendo ſpiſſis, operam impenderint, palmam ipſi praeripuiſſe videtur Leibnitius, qui facile ſuſpicatus in ſimplicitate Aevi *Fobiani* ſimplicem aenigmatis quaerendam fore ſolutionem, Tabulam integram ad Arithmeticae *Diadycae* rationes eſſe referendam duxit, adeo ut Lineam — integram per I. interpretatus ſit, Lineam — — interruptam per O exponendam cenſuerit, atque duabus hiſce Figuris, ſive Litteris I, & O *Creationis* Myſterium adumbratum fuiſſe putaverit. Quae ſane Leibnitii conjectura Duumviris PP. Grimaldo, & Bouveto S. I., Pekini demorantibus, ac Sinicae Arithmeticae peritiſſimis, haud improbata fuit. Dicta porro eſt Arithmetica iſthaec *Diadyca*, ſive *Binaria* inde, quod duabus hiſce litteris I, & O, quarum prima I *Unum*, poſteriori O *Nihil* ſignificatur, imaginem Creationis ex *Nihilo*, ab *Uno*, Creatore Deo ſcilicet, a *Fo-hio* expreſſam olim detexiſſe ſe Leibnitius autumat, prout ipſemet expoſuit in Epiſtolis ad Joh. Chriſtianum Schulemburgium, & ad P. Grimaldum, inſertis ejuſdem *Conſilio* de Concilianda Feſtorum cum Paſchate ratione: qua de Leibnitii Arithmetica *Binaria* antiquis *Fo-hi* figuris explicandis adhibita, eodemque ferme tempore a D. de Lagny, & a P. Bouveto quoque fuſe in Hiſt. Acad. Pariſ. anno 1703. p. 58. ſqq.; quam & poſt ipſum exponendam in ſe ſuſcepere Noltenius in peculiari Schediaſmate Lipſ. 1734, & Koehlerus in Verſione Monadologiae Leibnitianae; ac pleraque huc facientia tetigit Bruckerus Hiſt. Crit. Philoſ. T.V. Periodo III. Par.II. lib.1. cap.8. §.18. p.358. ſq., & lib.3. cap.3. §.5. p.853. ſqq. Verum Leibnitii conjectura iſthaec de Arithmetica *Diadyca* ab ſe in *Fobiano Kova* reperta, arbitrio conficta viſa eſt P. Parennino in Epiſt. ad Mairanum Lett. Edif. T. XXVI. p.64. ſqq., ubi multis eam explodere conatus eſt, ac veri ipſi ſimilius viſum Lineis integris, & interruptis *Fobi* ſignificare voluiſſe diſtinctionem *Perfecti*, & *Imperfecti*, *Clari*, & *Obſcuri*, *Boni*, & *Mali*, *Hominis*, & *Foeminae*,

Cae-

Caeli, & *Terrae*, *Diei*, & *Noctis*, *Solis*, & *Lunae* &c. Premario viciſſim Lett. Edif. T.XIX. p. 466. *Kova* illud Scripturae genus viſum eſt, quo rudes adhuc Sinenſes rebus ſignificandis uſi ſint. Praeter *Kova* vero, *Fo-hi* tribui etiam ſolet *Ho-tou*, celebre Sinenſibus alterum Monumentum, quo certiſſimae Aſtronomiae regulae a *Fo-hi* traditae referuntur. Sicut autem *Kova* diverſis lineis integris, & interruptis, ita *Ho-tou* diverſis globulis albis, & nigris diverſimode compoſitis, diverſas rerum figuras exhibent, cujus ecce ſpecimen a P. Gaubilio Obſerv. Mathem. &c. ad calcem T.II. p. 178. Figura VII. deſcriptum.

Fo-hi Ho-tou.



XII. Scrip-

XII. Scripturae porro hocce fuiſſe genus *Ho-tou*, poſterorum memoriae tradendis rebus geſtis adaptatum, neque abſimile, funiculis nodis diverſis, pro diverſitate rerum ſignificandarum, compoſitis, adeoque ut globuli albi ſint veluti nodi aperti, globuli nigri ſicut nodi clauſi, poſt Martinium Hiſt. Sin. p.22. ſuſpicatus eſt Freretus Monum. Acad. Inſcrip. T. VI. p.623. Et certe funiculorum ejuſmodi diverſis effictorum nodis uſum Aegyptiis olim receptum fuiſſe oſtendunt, aut ego fallor, Obeliſci, atque Characteres Ritualis Aegyptiaci ab Apulejo deſcripti. In Obeliſcis enim certe Aegypto Romam deportatis circa apicem lineas 9. perpendiculares conſpici, quae lineis horizontalibus, ſive tranſverſalibus interſecantur, obſervavit inter alios Blanchinius Hiſt. Univ. p.109. ſqq. Sua opinione vero perpendiculares totidem ſunt Numerorum unitates, tranſverſales vero Numeri ſunt compoſiti; adeo ut tranſverſalis una indicet Numerum X, duo C, tres M. &c. Peruvianis adhaec, *Quinpu* dictis, Mexicanis, Cilaenſibus, Americaniſque paſſim aliis Funiculos diverſis interſertos nodis, coloribuſque diſtinctosScripturae loco adhiberi, ab iiſque cogitationes exprimi conſueviſſe referunt fide digni teſtes Acoſta Hiſt. Ind. lib.6. cap.8. p.285, Garcilaſſus in Hiſt. Incaſ. T.II. p.27. ſqq., & Laffiteau de Moribus Sylveſtr. Americ. Gallice adornatae hiſtoriae T.II. cap.3. p.233. ſq., AuctorHiſt. Conquaeſt. Peruviae T.I. p. 22, in Novellis Americ. T.I. p. 112.; quem Laponibus etiam, ac Nigris Juidae receptum fuiſſe morem teſtis accedit Sperlingius in Epiſt. 18. ad Cuperum, ac legitur in Hiſt. gener. Itin. T.IV. p.373, & 394, quove de nos abunde, opinor, in Proleg. I. §.111. p.5.

XIII. Neque minus incerta, & dubia haberi debent, quae de *Chin-nong*, ac de *Hoam-ti*, ſive Regni aetate, ſive rebus geſtis dicta feruntur. Atque principio de *Chin-nong* quidem pauca, quae referuntur, eum videlicet annis 140. regnaſſe, ac poſt ipſum ſeptem alios per annos 306, quinimo eum fratrem *Hoam-ti* fuiſse apud Coupletum, Freretum, Warburthonum *Eſſai* &c. T. II. p.33. ſq., iſtumque annos 110. Regnum obtinuiſse, filioſque 25. habuiſse, in fabulis habenda omnino fore quis non videat? Atqui, quod rei caput eſt, ante *Yao* quidem

dem Imperatores quinque Sinis praefuiſse fide adfirmant ſua Confucius in *Chou-King*, Excerpto nempe veterum Annalium ab ipſo emendato, & Meng-tſe, ſive Mencius, natus juxta Gaubilium anno 362. Chriſti ante natalem, aut 350. juxta Freretum p. 391, in *Tſo-chi*, ſive Commentario *Tchune-tſieou*, ideſt ad Annales Regni *Lou*: qui duo libri ex Hiſtoricis apud Sinenſes praecipui habentur, tamquam veterum Hiſtoriarum deperditarum reliquiae. Aſt enim praeterquam Annales hi fabulis undique ſcatent, poſtquam *Xi-Hoam-ti* juſſu veteres igne Annales devoti fuere, qui perinde ſub Dynaſtia v. *Han* Sinenſes ad ſcribendas ſe Hiſtorias adcinxere, Hiſtoriae indubiae Epocham nonniſi a Seculo VIII, aut IX. ante Chriſtianam Aeram repetere fas ipſis fuit. Ita Confucius ipſe in ſuo *Tchune-tſieou*, Hiſtoria ideſt Regum *Lou*, ultra annos 722. Chriſti ante natalem adſcendere nequivit, velut obſervat Bayerus de Confucii libro Comment. Acad. Petropolit. T. VII. edit. Bonon. p. 359; qui & illud p. 361. ſq. advertit in Confucii libris nullum profecto Cycli Annorum, vel Menſium veſtigium reperiri, etſi Anni, Menſes, Eclipſes, ac Novilunia diligenter adnotari ſoleant: quod indicio eſt id recentioris inventum aetatis eſſe; quinimo *Chou-King* ſuum quum nonniſi ab Imperio *Yao* exorſus Confucius fuerit, ideo *King*, veteres ideſt Hiſtoricos, ad unum omnes fabuloſis adcenſendos inde decrevit Freretus p. 511. ſqq. In annum 1000. circiter porro ante *Yao* Mundi conditi Epocham confert; ſub *Yao* Diluvium, ac tam immane, ut ad Caelum uſque elatae fuerint Aquae, contigiſſe, & ab *Yao* Sinas, tum adhuc inhabitatas, Colonis fuiſse repletas, homineſque tum agreſtes ſcientiis, artibuſque imbutos refert *Mencius*, auctoritate, uti ſuperius innui, non ſecus, atque aetate Confucio ferme par, Oper. cap. 3. fol. 11. apud Freretum in Mon. Acad. Inſcrip. T. X. p. 391, ac Warburthonum in *Eſſai* &c. T. II. p. 488. ſqq. Verum praeterquam ſane, quod inde fit liquido, ut in fabulis haberi prorſus debeant, quae de *San-hoam*, de tribus, ideſt Auguſtis, *Fo-hi*, *Chin-nong*, ac *Hoam-ti*, deque *Ov-ti*, quatuor de ſcilicet Imperatoribus ante *Yao* aliis, ideſt *Chao-hao*, *Tchuen-hio*, *Ti-Ko*, ac *Ti-tchi* apud Sinenſes ferri ſolent, qui, amabo, fieri potuit, ut ab Aquis,

Digitized by Google

quas ſupra Montium juga longe altius ad Caelum uſque excreviſse confirmat etiam ſuo in *Chou King* Confucius, immunis, una cum ſuis, nec oppido paucis, utqui pote tot origines Populis facere potuere, abire fas *Yao* fuerit? Fruſtra vero Diluvium illud ſingulari de eluvione in Sinis facta interpretatus eſt DeGuignefius Hiſt. gen. Hun. Par. I. T. I. lib. 1. p. 7, explicitiſſimum contra Confucii, & Mencii teſtimonium, quo Aquas ad Caelum uſque tunc elevatas Montium juga ſuperaſſe ſcripſere. Emendandus magis itaque Mencius eſt, neque niſi longa poſt Diluvium aetate, poſt ideſt Gentium ſub *Phalego* diſperſionem, inhabitari demum Sinas, ibique regnare *Yao* cepiſſe fatendum. Et a Sinenſibus pleriſque Scriptoribus certe Diluvium *Noachicum* anno 48. Cycli VII, qui cum anno Chriſti ante natalem 2290. concurrit, (ab aliis tamen anno 40. Cycli VII, qui fuit ante Chriſt. Aeram 2298, adſtringi ſupra vidimus), conſignari ſolet, velut obſervatum eſt Viro doctiſs. Georgio Alphab. Thibet. Par. I. cap. 109. p. 293. ſq., quo a computo & proxime abeſſe Thibetanos advertit, quibus Diluvii *Noachici* Epocha in annum 2190. conferri ſolet. Aſt enim ſicuti Thibetanos, ſic etiam Sinenſes, computum huncce, non ab ipſo *Diluvii* anno, ſed magis a *Phalegi* aetate auſpicatos fuiſſe approbe conjicit; quo perinde a tempore Diluvii ſub *Cecrope* Epocham ab Atticis fuiſse repetitam obſervavit Bonjurius in diſsert. de Anno Diluvii Univ. §. 2. p. 54. Juxta calculos jam vero ad Hebraici Textus Chronologiam ab eodem Bonjurio ductos, Georgio probatos, quin & Scriptoribus Anglis Hiſt. Univ. T.I. Par.II. cap. 1. ſect. 6. edit. Ven. p. 104, a quibus *Diluvium* in annum Chriſti ante natalem 2299. confertur, acceptos *Diluvium* Chriſti ante natalem anno 2290. contigit: quò fit, ut Sinica Chronologia probe cum Hebraica quadret: conferendaque, ſi libet, nobis ſupra dicta §§. V, & VII, ubi de *Diluvio* nonnulla, ſcitu haud indigna, ſunt indicata. Quid ad haec inſuper, quod *Sse-ma-tſiene* Scriptor apud Sinenſes inſignis alter, qui *Vou-ti* Imperatoris juſſu circa annum 97. Chriſtianam ante Aeram Hiſtoriam, maximae ideo auctoritatis habitam, fideique publicae, utpote quae omnium prima, hoc eſt poſtquam ab *Xi-Hoam-ti* in Sinenſium Annales deſaevitum fuerat,

Digitized by Google

rat, litteris demandata fertur, Chronologiam ab anno 841. Chriſti ante natalem ſuam dumtaxat exorditur? Fuere ſub eadem quidem aetate, qui Annalibus conſcribendis operam perinde dedere ex Sinenſibus alii, atque ad tempora longe anteriora Hiſtorias extenderunt ſuas. Sed enim Hiſtoriis ejuſmodi publicae, Imperialiſque auctoritatis defuiſſe characteres obſervatum eſt Viris doctiſs., Frereto de Antiq., & Chronolog. Vet. Sinenſ. Monum. Acad. Inſcript. Pariſ. T.XV. p.508. ſqq., & p.552. ſqq., ac Warburthono in *Eſſai ſur les Hieroglyphes des Egyptiens* T. II. de Chronolog. Sinenſ. p.14. ſqq.

XIV. Tergeminos poſt hoſce Sinenſium rerum Scriptores, inſignis alter *Sse-ma-covang*, is nempe, qui Annales Sinenſium veteres compendio circa Seculi x. Chriſtiani exitum complexus eſt, Opus, *Speculum* inſcriptum, profecto non ante Chriſti ante Aeram annum 425. exorſus eſt, ideſt ab Imperio *Goèi-Lyè-Vam* Dynaſtiae III. *Tcheou* Imperatoris XXXII, deceptumque ideo Coupletum in Compendio Chron. a *Sse-ma-covang* Hiſtoriae initium ab *Hoam-ti* captum adfirmantem adnotat Freretus p.554. Ad haec *Lièou-jou* Scriptor alter, ac *Sse-ma-covang* operis in Annalibus compendifaciendis ſocius indefeſſus, in ſuo *Vai-Ki*, ſive *Ovay-Ki*, Introductione hoc eſt, ſive Hiſtoria exoterica, addita Hiſtoriae *Sse-ma-covang*, tempora quidem Dubia, & Mythologica, ipſis dicta *Pu-Kim*, ideſt haud *Authentica*, incipere a *Puon-cu* ante Chriſtianam Aeram anno 4343. ſcribit, Hiſtorica tamen, & Certa nonniſi ab anno 827. ante Chriſti natalem exorditur. Equidem *Chao-yong*, ſive *Chao-cang* Scriptor alter celebris, *Sse-ma-covang* aetate ſuppar, Hiſtoriam, & Chronologiam ultra annos 841, qui Chriſtianam anteverterunt Aeram, extendere adnixus eſt. Verum nec is ante *Yao*, cujus imperii exordium in annum Chriſti ante natalem 2337. confert, tempora numeraſſe certiora viſus eſt. *Sù* denique Scriptor alter celeberrimus in *Tiene-yven-li-li*, Hiſtoria ideſt Critica, Aerae Chriſtianae anno 1661. elucubrata, in qua Chronologiae inhaerere Europaeae propoſitum ipſi fuit, laudibuſque a P. Gaubilio magnis excepta, conſtanter docet Chronologiam *Tſou-chou*, Sinenſis, hoc eſt Chronici, anno Chriſti D. 265. in cujuſdam Principis Cenota-

phio reperti, pro unica habendam eſſe, veluti ſide dignam, quae utpote unica poſt fata, quae Sinici libri Hiſtorici ſub *Xi-Hoam-ti* ante Chriſtianam Aeram anno 213. ſubjere, reliqua fuerit, Sinenſium magno denique bono reperta, quaeque Chronologiae *Chou-ching* optime cohaeret, Frereto teſte Monum. Acad.Inſcrip.T.X.p.393.Itaque hanc juxta Chronologiam,quae ceteris jure certior aeſtimari debet,utpote quam,*Tſou-chou* ideſt Chronologiam, prae ceteris ſequi religioni fuit Scriptoribus inter Sinenſes illuſtrioribus *Ssè-mat-tſiene*; *Sè ma-covang*, queis de paullo ſupra; *Hovang-ſoumi* anno Chriſti 280. in Gloſſis ad Annales Sinenſes; *Tchu-hi* Aerae Chriſtianae anno 1164. in Commentario ad Annales *Ssè-ma-covang*; item *Nyen*, de quo infra; *Kin-gin-xan* anno Chriſti 1400. circiter in Annal. *Xamlu* Aerae Chriſtianae anno 1550; *Nan-hien* anno Chriſti 1650. in Annal., queis de Coupletus in Chron. Sinen. p.70. ſqq., Fourmontius in Reflex. Gritic. T.II. p.430. ſqq., & in Catalogo libror. Sinenſ. ad calcem Dictionarii Sin. p.378. ſqq., Warburthonus. *Eſſai* &c. T.II. p.377. ſqq., Freretus, Bayerus &c.; duo in Hiſtoria Sinenſi certiora haberi debent. I. Quod *Hoam-ti* annus 1. cum anno 9. Cycli XIX. Decemnovennalis, ante Chriſtianam Aeram anno 2386. ineundus eſt. II. Quod *Yao* annus 1. ab anno 13. ejuſdem Cycli XIX. itidem ante Chriſti natalem anno 2145, annis 241. ideo poſt *Hoam-ti*, inchoandus eſt. Conferendi loc. cit. Freretus, ubi fuſe, docteque de hiſce diſſerit, magnaque Sinenſem Chronologiam, & Hiſtoriam luce perfundit; atque P. Gaubilius Obſervat. Mathem., Aſtron., Chron. &c. T. II. p. 41. ſqq., ubi *Tſou-chou* Chronologiam ſequi a *Mencio*, ſive *Meng-tſe* maximae apud Sinenſes auctoritatis Scriptore admonet. Qui tamen p. 98. ſq. refert ſub Dynaſtia XIX. *Sum*, ſive *Song*, Imperatoris II. *Tai-cu* juſſu, Chriſti anno 996. inſtructo diverſarum Epocharum, queis annus 1. *Yao* adfixus fuerat, Catalogo, in eo demum Imperii *Yao* annum 1. cum anno Chriſti ante natalem 2325, aut 2330, aut 2331. fuiſſe conjunctum.

XV. De Sinenſium jam vero Cyclis loquendo, Sinenſes utique ſuis in Annalibus Cyclum habuiſſe ſe *Decemnovennalem* ab anno Chriſtianam ante Aeram 2330, qui annus ipſius juxta cal-

calculum eſt fere 20. poſt *Diluvium*, gloriari ex fide Miſſionariorum referunt Harduinus in Chron. Vet. Teſtam. p.628. ſq., atque Seldenus de Jure Nat., & Gent. juxta Diſcipl.Hebr.lib.3. cap. 22. p. 464. ſq. Ad haec ſub *Hoam-ti* Cyclus annorum LX. alter, cujuſmodi Cyclorum ope annos ſuis in Annalibus computare ſolemne Sinenſibus evaſiſſe compertum eſt, primum induci cepiſse fertur ab anno 2697. Chriſti ante natalem, juxta Fourmontium in Reflex. Crit. T.II. p. 441, vel ab anno 2690, juxta DeGuigneſium Hiſt. gen. Hun. T. I. in Tabula Cycli Sin. p. XLIX, qui fuiſse annus 8. Cycli 1. traditur, quo primum Imperium *Hoam-ti* injit, tenuiſse vero annis 100. Coupleto dicitur, contra annis 110. legitur in Tabulis Dynaſtiarum Sinenſ. editis cum a Miſſionariis, tum a D. Hoange Scriptore Sinico apud Fourmontium p.424, & 441, & apud DeGuigneſium lib.1. p. 5: quibus additi anni 255, qui ab Imperio *Fo-hi*, ac *Chinnong*, ſive *Xin-num* interfluxere, Cyclis illis haud comprehenſi, annos 2952, aut 2945. efficient, uti ſupra dictum eſt, quot Sinici imperii Epocha Chriſtianam antevertiſſetEpocham. Atqui ex Chronico *Tſou-chou*, Sinenſium omnium celeberrimo, ſuperius oſtenſum eſt *Hoam-ti* imperii auſpicia annis 304. tardius, aut juxta Freretum p.546. ſq. annis 250. ſaltem, inchoanda eſse, ideſt non ante annum 2386. Chriſti natalem anteverttentem; nec alterius Cycli mentionem ſub *Hoam-ti* regno, ideſt per annos 100, aut imo 110, niſi Cycli *Decemnovennalis*, in eodem Chronico fieri obſervatum jam eſt. Ecuinam deinde, amabo, bono, Cyclus hic annorum LX, nulli certe *Aſtronomicae* illigatus Periodo, nullique *Planetae* cujuſpiam motui profecto reſpondens? Nonne de induſtria potius excogitatus fuiſſe, longaque poſt aetate data confictus opera, ad fabuloſa prorſus tempora fuiſse retroductus aeſtimari tam facile poteſt, quam rite debet? Ad haec Cyclus hic LX. a *Tanao* Sinenſi celebri Aſtronomo, ejuſdem *Hoam-ti* juſſu, anno Chriſtianam ante Aeram 2670. meliorem in formam redactus fertur. Aſt enim imperium *Hoam-ti* ante Chriſti natalem anno 2690. iniviſse modo vidimus: Cyclus 1. anno 2697, & Cyclus 11. anno 2637. Chriſtianam ante Aeram incepit. Apud Coupletum iterum, atque Fourmontium p. 411, annus 8. imperii *Hoam-ti* dicitur

 annus

annus I. Cycli I; contra in Chronico *Tſou-chou* annus I. *Hoamti* anno 2386. adſtringitur, ut modo dictum, Cycli XIX. anno 9, nec ulla Cycli LX. mentio ibidem occurrit. Quin etiam apud Fourmontium p. 452. ſqq. frequens intueri fas eſt diſcrimen in annis Cyclorum, quales exhibentur hinc a D. Hoange Sinenſi, inde ex Sinenſibus aliis a P. Coupleto, rerum alioqui Sinicarum calentiſſimo, in Tabulis Dynaſt. Sinenſ., atque illinc a De Guigneſio in Hiſt. gen. Hun. Par. I. T. I, atque Duhaldo Hiſt. Sin. Apud Martinium viciſſim Cyclus LX. uſu Sinenſibus Annaliſtis non ante *Yao*, qui imperium anno dumtaxat ante Chriſti natalem 2357, Cycli VI. anno 41. adjiſſe ibidem traditur; contra vero imperium anno 21. Cycli VII. adeptus *Yao*, anno ideſt Chriſtianam ante Aeram 2337. in Tabula ex Miſſionariis a Fourmontio p. 441. relata notatur, uſu non ante *Yao*, inquam, veniſſe legitur.

XVI. Atque Cyclum huncce quidem explanare adnixus Alphonſus De Vignoles in Miſcell. Berolin. T. IV. Obſerv. II. p. 54. ſqq., Renaudotium in Vet. Relat. Ind. &c., Cl. Caſſini auctoritate fretum, in calculo Sinenſium annorum 500. errorem deprehendi adfirmantem, redarguere haud veritus eſt, quod Cyclum cum Tabulis Sinenſium Aſtronomicis haud rite confuderit. Chronologiam atqui Sinicam uberiori perfundere luce fatagens P. Joh. Franc. Fouquetus, Tabulam Hiſtoriae Sinicae Chronologicam, una cum Cyco LX, vulgo *Kin-tſe* dicto, compoſitam a *Nyene*, qui anno 1720. Chriſti adhuc in vivis agebat, Scriptore illuſtri Sinenſi, tamen origine Tartaro, qui Cantoni Imperatoris vices agebat, Romae primum anno 1729. edidit, cujuſce Tabulae anno inſeq. in Ephemeridibus Trevoltinis Jan. Menſis excerptum exhibitum legitur; eamdem vero Tabulam iterum Londini edendam curavit Eques Sloane Reg. Soc. Lond. Praeſes. In hac nempe Tabula, quam ex *Kang-Mu*, Magnis ideſt ex Sinenſium Annalibus compegiſſe ſe ipſe profitetur, certum, ratumque Chronologiae Sinenſis cardinem non ante *Goei-Lye-Vang*, Dynaſtiae III. *Tcheou* Imperatorem XXXII, quo de paullo ſupra, Chriſti ante natalem non ante ideſt annum 434, exorſus *Nyenes* eſt: qua ex Tabula liquere obſervat Kortholtus in Praefat. ad Leibnitii Epiſt.

Digitized by Google

Epiſt. T.II. p.27. certam Hiſtoriae Sinenſis Epocham non ultra annos 400. circiter ante Chriſtianam extendi Aeram. Deceptum quidem Kortholtum, neque ſatis perſpectam habuiſſe Tabulam hancce ſubjungit De Vignolius in Epiſt. ad Bruckerum inſerta Emend., & Supplem. Hiſt.Crit.Philoſ. T.V.p.934. ſqq., ex eadem Tabula patere longe retro Sinenſis Hiſtoriae tempora computanda adfirmans. Tabulam nempe hancce *Nyenis* continuationem eſſe cenſet Tabulae alterius longe anterioris; cum Cyclo ſiquidem connexa indicio ſit certo Sinenſium Hiſtoriam, & Chronologiam ad *Hoam-ti* Cycli iſtius inventorem retrahendam eſſe; a cujus, *Hoam-ti* ideſt, aetate uſque ad *Guei-Lye*, ſub quo confecta Tabula iſthaec a *Nyene* ibidem legitur, Cycli XXXVII. abſoluti ſint, primuſque Imperii *Guei-Lye-Vang*, qui Dynaſtiae III. *Tcheou* Imperator XXXII. fuit, anno 53. Cycli XXXVIII. ſignatur, qui annus incidit in annum 425. Chriſti ante natalem, de quo etiam Martinius Atlant. Sin. p.140., Coupletus in Tab. p.15, ac Fourmontius Reflex. Crit. T.II.p.403. ſq., & p.444. A *Guei-Lye* vero ad hanc uſque aetatem totidem ferme Cycli LX. interfluxere, uti videre licet apud Fourmontium p.451, ac De Guigneſium in Tabul. p.LXIX. ſqq., ubi cum anno 57. Cycli XLV. Aerae Chriſtianae annus I. incipit, annuſque 1766. in Chriſtiana decurrens Aera in Cycli LXXV. annum 23. deſinit. Sed enim De Vignolius eodem loci diffiteri non audet ab Editore Tabulae *Nyenis* Lectores initio moneri Epocham, a qua Tabula incipit, certam, veramque ab anno 400. dumtaxat Chriſti ante natalem deſumi; Sinicae gentis etſi origines *Diluvio* proximas fuiſſe perſuaſum ipſe habeat, deeſſe tamen certiora, & indubitatiora, queis hae demonſtrentur origines, Monumenta. Sed enim hocce de argumento fuſius infra: ex quo adparet interea perperam ab Iſaaco Voſſio in Diſſert. de Aetat. Mundi cap.11. tempora Sinenſium Hiſtorica ab anno 2847. Chriſtianam ante Aeram exordienda fore putatum: ita nempe tam alte ea repetere ipſe tempora voluit, quod Graecam LXX. Interpretum Chronologiam quoque ſtabiliendam modo ſuſceperat. Quamquam haud inviti quidem dabimus, quod & De Guigneſius in Tabul. Chron. Par.I. T.I. lib. I. p. 16. ſq. expoſtulat,

ſtulat, longe ante *Goei-Lye-Vang* ideſt, Sinenſis Hiſtoriae capiendum exordium, dabimus, inquam, haud inviti, neque tam ſero, ideſt ab anno 400. dumtaxat ante Chriſti natalem, neque tam cito tamen, ab anno hoc eſt 2690. tempora Sinenſium Hiſtorica putanda fore, ſed ab aetate *Yao* proxime attingente incipi poſſe inficias haud ibimus. Quae ſane *Yao* aetas, cum eaque Imperii Sinenſis initia, etſi in annum Chriſtianam ante Aeram 2527. conjeciſſe legatur *Sſe-ma-tſiene*, Seculi x. ante Chriſtum Scriptor haud ignobilis, apud Freretum, Warburthonum in *Eſſai* &c. T.II. p.404, & Gaubilium Obſerv. Mathem. &c. T II. p.5. ſq.; e contra cum anno 2357. a Scriptoribus aliis apud Martinium; aut imo cum anno 2337. a *Chao-yong* celebri Scriptore altero, quo de ſupra, adnxa fuerint; *Yao* tamen imperii auſpicia ducenda fore ab anno 2155. dumtaxat ante Chriſtianam Aeram oſtendit P. Parenninus Soc. J. in Epiſt. adv. Renaudot. Collect. Lett. Edif. T.XIX. p.457: quo ſane anno Sinas inhabitatas ait demonſtrari *Solis* Eclipſi, de qua tamen infra, eo Sinenſibus anno obſervata; qui & in Epiſtola ad Mairanum Lett. Edif. T. XXI. p. 116. ſqq., ac T.XXVI. p.72. ſqq. haud dubitandum adfirmat, quin certo certiora habenda ſint Hiſtorica, quae a *Yao* deinceps referri Sinenſibus ſolent. Quinimo ab anno dumtaxat 2145. Chriſti ante natalem *Yao* imperii exordium ineundum eſſe ſuperius obſervatum eſt; quin inſuper in annum dumtaxat 1852. ante Chriſti natalem injiciendum fore oſtendere Aſtronomicis obſervationibus adgreſſus Caſſinus eſt, qua de re infra; conferendique, qui contra Fourmontium Reflex.Crit. T.II. p.403. ſq., & p.433.ſqq., ubi tempora Sinenſium Hiſtorica poſt *Hoam-ti* putanda ipſe perſuaſum habet, eadem a *Yao* quidem computanda haud ipſi diſſentiunt, Freretus loc. cit., & Warburthonus in *Eſſai* &c. T.II. p.529, *Yao* tamen initia ab anno 2145. recenſenda eſſe cenſent: quo perinde a tempore recte Annales procedere Sinenſes per nos etiam ultro citroque permittuntur.

XVII. Hiſtorica itaque, certaque Sinenſium tempora inde ducenda, non ante ideſt annum 2145, qui Chriſti antevertit natalem, ab anno ideſt poſt *Diluvium* 200. circiter proculdubio videntur. Quo perinde circiter ab anno Sinenſium Dyna-

Digitized by Google

Dynaſtiis auſpicia facienda ducimus, quae deinceps ad hanc uſque diem duo ſupra viginti dinumerari ſolent, quarumve hocce fuit initium. Qui nempe poſt *Yao* proxime imperaſſe fertur, a *Chun* inſigne ob beneficium imperio praeſtitum, quo ab aquarum illuvie Regiones in tuto poſuerat, Dynaſta *Hia*, titulo *Pe*, qui apud nos *Comitis* inſigni reſpondet, accepto, factus eſt *Yu*, ſive *Hiu*, dictus etiam *Ven-Mim*, qui ab *Houm-ti* genus duxiſſe ferebatur. Fatis deinde *Chun* defuncto, Imperium, quod electivum antea erat, adeptus *Yu* eſt, quod ipſe in Provincias IX. partitum ſua in familia deinceps haereditarium fecit. Ab ipſo omnium primo Kalendarium reformatum fuiſſe, imperiique feciſſe exordium anno II. Cycli IX, qui fuit ante Chriſtianam Aeram 2207. fertur, qua de re infra, quum de Sinenſi agendum Chronologia erit, retrahendum tamen ad annum 2145. ſupra dictum jam eſt. Atque iſthaec Sinenſium Imperatorum Dynaſtia I. fuit, quam deinceps ad hodiernum diem aliae XXI. ſubſequutae leguntur, quarum ecce tibi deſcriptum ex Coupleto, Duhaldo, Gaubilio, Fourmontio, De Guigneſio &c., una cum Imperatorum numero, anniſque Imperii, Sinice *Chaò* dictis, breve, prout inſtituti fert noſtri ratio, Diagramma, in quo admonitum volo Lectorem uſque ad Dynaſtiam V. annos computandos eſſe Chriſtianam ante Aeram, a Dynaſtia VI. deinceps annos ab Aera Chriſtiana incipere.

SINEN-

SINENSIUM IMPERATORUM

DYNASTIAE XXII.

	Dynaſtiae.	Imperatores.	Imperii Exordium.	Anni Imperii.
1	Hia	17.	Anno 2207, ſive 2198.	458, ſive 432, ſive 431.
2	Cham, ſive Xàm, ſive Chang.	28.	1766, ſive 1754.	664, ſive 629, ſive 508.
3	Chèu, ſive Tcheu.	35.	1122, aut 1116.	473, aut 867, aut 801.
4	Tſin, ſive Cin.	3, ſive 4.	251, aut 248.	43, aut 49.
5	Han.	25, ſive 27.	26, ſive 195.	426, ſive 424.
6	Cho-Han, ſive Heou-Han.	2.	223, ſive 220.	43, ſive 44.
7	Cin, ſive Tſin.	15.	264, aut 267.	155, aut 158.
8	Song, ſive Sùm.	7, aut 8.	440, aut 422.	59, aut 62.
9	Tsl, ſive Cl.	5, aut 7.	481, ſive 499.	23, ſive 40.
10	Leàm, ſive Leang.	4, ſive 5.	522, ſive 504.	55, ſive 60.
11	Chin, ſive Tchin.	5.	559, aut 577.	23, aut 32.
12	Suy, ſive Souy.	3, ſive 4.	592, aut 599.	27, aut 29.
13	Tam, ſive Tang.	20, aut 21.	626, ſive 618.	289, ſive 281.
14	Heou-Leam, ſive Leang.	2, aut 3.	912, ſive 907.	16, ſive 17.
15	Heou-Tam, ſive Tang.	4.	923, aut 928.	13, aut 14.
16	Heou-Tſin, ſive Cin.	2.	942, aut 936.	11, aut 12.
17	Heou-Han.	2.	947, ſive 954.	4, ſive 5.
18	Heou-Tcheou, ſive Cheu.	3.	954, ſive 958.	9, ſive 10.
19	Sum, ſive Song.	18.	966, aut 969.	305, aut 319.
20	Yuen, Tartarica I.	9.	1274, aut 1285.	89, aut 93.
21	Mim, ſive Ming.	16, ſive 21.	1368, ſive 1374.	266, ſive 273.
22	Tcin, ſive Tſing, Tartarica II.		1644.	

XVIII. Ita ſcilicet Imperium Sinenſe, quod antea *Electiuvm* fuerat, a *Yu*, ſive *Hiu*, qui anno Chriſtianam ante Aeram 2207. imperare cepiſſe fertur, poſt annum 2145, noſtrum juxta computum, Haereditarium redditum, ac Dynaſtia 1. *Hia* inchoata eſt. Sub Dynaſtia IV. *Tſin* ab Imperatore *Tching-vang*, in Imperio *Chi-hoam-ti* dicto, Dynaſtiae fundatore anno Chriſti ante natalem 210, eo ipſo, cujus juſſu Hiſtorici, Aſtronomici, ac Chronologici libri omnes igne abſumpti ſunt, Tartarorum incurſionibus celeber ille, non a fundamentis utique exſtructus, veluti pleriſque dicitur, ſed a praedeceſſoribus jam pleriſque in locis inceptus, Murus, Sinice

Van-

Van-li-ching dictus, idem ſtadiorum decem mille Murus, perfectus eſt, oppoſituſque. Ubi D. Bruzen La Martiniere Hiſt. Aſiae T. I. cap. 2. p. 96. admonet ſtadia 250. Sinenſia gradui 1. dumtaxat, ideſt leucis 15. Germanicis aequivalere, ideoque ſtadia 10000. reſpondere gradibus 40, indeque incredibile cenſet Murum illum ſtadia 10000. aequaſse. Aſt enim P. Ludovicus de Comitibus teſtis accedit Murum illum toto circuitu ſuo leucas Pariſienſes 500. complecti, Montibus ideſt ſuo in gyro comprehenſis, alioqui Murum ipſum leucas 100. non excedere; videnduſque Duhaldus in Deſcript. Imp. Sinen. T. I. p. 38, & 367, ac T. II. p. 45. Inſtauratum deinde Murum illum fuiſse cum a *Yam-ti* Dynaſtiae XII. *Souy* Imperatore II. Aerae Chriſtianae anno 617; tum a *Chi-tſong* Dynaſtiae XXI. *Mim* Imperatore XII. Chriſti anno 1566. idem D. Bruzen adnotat p. 126, 150. Verum a Syris, & Arabibus iidem Muri, ſive Pylae, (verius hiſce ſimiles), *Alexandro M.*, qui Perſis non Macedo *Philippi* filius eſt, ſed alter *Dhoul Carnein* Orientalibus denominatus, Macedone longe anterior, qui *Giamſcid* IV. Dynaſtiae I. *Hia* Imperator Perſis creditur, atque Murus ille *Sedd-Jagiugi*, & *Magiugi*, ideſt Pylae, ſive ſeptum *Gog*, & *Magog* adpellatur, quod perinde a *Nouſchirvan*, Arabibus *Kiſra* cognominato, Perſis *Khoſrou*, ideſt *Koſroe* I. hujus nominis, Dynaſtiae IV. Perſicae Imperatore, ſub quo *Mohammedus* in lucem editus traditur, perfectum, inſtauratumque fertur apud Herbelotum Bibl. Orient. p. 682, tribui poſt eumdem Herbelotum p. 795. advertit Cl. Aſſemanus Bibl. Orient. T. III. Par. II. p. 514. Plures aliae celebres evaſere *Pylae* ejuſmodi, ſive *Portae*, quibus Regiones ab aliis dividuntur etiam hodie. Cujuſcemodi ſunt Pylae *Amanicae*, quae Syriam a Cilicia ſeparant; Pylae *Perſicae*, quibus Suſiana a Perſide ſejungitur, atque de hiſce fortaſse loquuntur Perſae, quum eas ſeptum *Gog*, & *Magog* nuncupant, quas inſtauraſſe legitur *Anouſchirovan*, ſive *Koſroes*; Pylae *Sarmaticae*, quae & *Caucaſiae*, & *Albanicae*, & *Caſpiae*, inter Pontum Euxinum, & Mare Caſpium, vulgo *Derbent*, Perſice *Porta*, ſive *Bab-al-abu-ab*, ideſt *Porta Portarum*, *Arabice*, ſive *Demircapi* Turcice, *Porta Ferrea*, queis de Cellarius Geog. Antiq. T. II. lib. 3. p. 210, 693, & 754, Aſſemanus

loc. cit., & Chriſtfridus Kirchius in Miſcell. Berolin. T. IV. p. 84. ſqq.

XIX. In viam modo ut redeam, Imperium deinde Sinicum diviſum in Orientale, & Occidentale Chriſti ante natalem anno 260. circiter, in unum ſubinde a *Lieou-pang* Dynaſtiae v. *Han* fundatore anno 206. redintegratum fuit. In Septentrionale perinde, ac Meridionale diſpertitum anno circiter 220. Aerae Chriſtianae, in unum denuo coaluit ſub *Suma-yen* Dynaſtiae vii. *Tſin* Imperatore anno 300. circiter. Paullo poſt attamen partitum denuo in Meridionale, & Septentrionale ab *You* Dynaſtiae viii. *Song* fundatore anno Chriſti 420. circiter inſtauratum eſt. Non defuere tamen *Phylarchi* plerique alii, qui Sinarum qua in Occidentali parte, qua in Septentrionali tyrannidem exercere diu perrexere: queis omnibus denique profligatis, in unum dumtaxat, amplumque Sina univerſa a *Kien* Dynaſtiae xii. *Souy* fundatore Aerae Chriſtianae anno 600. circiter redintegrata eſt. Dynaſtia xx. *Yuen*, Tartarica i. a *Chi-tſou*, vulgo *Koblajo*, genere Tartaro, quo de alibi copioſe dictum, fundata eſt, occaſione a Sinenſibus ipſis, a quibus adverſus Tartaros Septentrionales in auxilium Tartari *Niu-tche*, ideſt Orientales, advocati fuerant, arrepta: qua demum expulſa, ad Sinenſem denuo gentem imperium rediit Aerae Chriſtianae anno 1367. circiter, quo imperio potitus *Hong-vou*, aliàs *Tai-tſou* Dynaſtiae xxi. *Mim* fundamenta poſuit. Donec & ipſa viciſſim expugnata, ad Tartaros iterum regreſſum imperium eſt, a *Tſong-te* nempe Aerae Chriſtianae anno 1644. ingenti Tartarorum *Man-tcheou*, ideſt Septentrionalium, exercitu, Sinenſi potito imperio: quo vita paullo poſt functo, ab ipſius filio *Chun-chi*, Regia Pekini defixa ſede, poſtrema, quae hodie regnat, Dynaſtia xii. *Tſin*, Tartarica ii. fundata eſt. In harum porro Dynaſtiarum Epochis, quarum ſingulae in Annalibus Sinenſibus *Chad*, ſive Cyclorum lx. annis diſtincte notantur, praefigendis diverſos ſequendos in Diagrammate Scriptorum computos duxi. Atque quidem juxta Chronologiam *Pan-kou*, minoris tamen prae Chronologia *Tſou-chou* ab ipſo factam, obſervante Gaubilio Obſerv. Mathem. &c. T. II. p. 39. ſqq., poſt *Yao*, cujus imperii auſpicia in annum

Chriſti

Google

Chriſti ante natalem 2233. conferuntur, Dynaſtia I. *Hia* imperium obtinuit annis 432. ab anno 2183. ante Chriſtianam Aeram. Dynaſtia II. *Cham*, ſive *Xam* annis 629. ab anno 1751. Dynaſtia III. *Cheû*, ſive *Tcheou* annis 867, ab anno 1122. Dynaſtia IV. *Tſin*, ſive Cin annis 49. ab anno 255. Dynaſtia V. *Han* annis 424. ab anno Chriſti ante natalem 206. uſque ad Aerae Chriſtianae annum 219. Atqui juxta Chronologiam *Tſou-chou*, majori profecto Sinenſibus in pretio habitam, apud Gaubilium Obſervat. Mathem. T. III. p. 18. ſqq., ubi & hancce documentis plane aliis confirmare pergit, atque *Mencii* quammaxime, paris ferme *Confucio* auctoritatis, Chronologiae approbe conformem oſtendit, ac poſt ipſum Warburthonus quoque *Eſſai* &c. T. II. p. 416. ſqq., geminas haſce proculdubio Chronologias potiores Sinenſibus prae aliis haberi demonſtrantes, hancce juxta Chronologiam, inquam, *Hoam-ti* imperium auſpicatus dumtaxat anno Chriſti ante natalem 2386, *Yao* vero anno 2145, uti ſuperius innui, leguntur. Aſt enim de *Yao* Epocha diverſae undecim opiniones recenſentur Frereto de Antiq., & Chronolog. Sinen. Monum. Acad. Inſcrip. T. X. p. 387, relato a Warburthono etiam loc. cit. p. 425: quae diverſae ſane de *Yao* primo imperii anno opiniones intra ſpatium annorum 284. comprehenduntur. Apud *Tſou-chou* adhaec Dynaſtia I. *Hia* imperaſse annis 431, ab anno 1989. Chriſtianam ante Aeram, fertur. Dynaſtia II. *Xan*, ſive *Cang* annis 508, ab anno 1558. Dynaſtia III. *Tcheou*, ſive *Cheû* annis 801, ab anno 1050. Quò fit, ut in ſequiorem longius aetatem Sinenſis Imperii detrudenda ſit Epocha; indeque pro Textus *Samaritani*, aut *Graeci* LXX. Chronologia a novitatis amatoribus deſumptum argumentum labaſcat, ac prorſus evaneſcat: quo de tamen affatim infra. Videndi interea hiſce de Sinenſium Dynaſtiis fuſe agentes Coupletus, Mendoza, Duhaldus, Martinius, Gaubilius, Soucietus, Mullerus, Fourmontius, Mentzelius, Bruzen la Martiniere, Bayerus Comment. Acad. Petropol. T. VII. edit. Bon. p. 335. ſqq., Freretus, qui ſua pleraque deſumpſit a Patre de Mailla in Praefat. praefixa *Tong-kiene-cang-mou*, Libri nempe editi a *Ssè-ma-covang* ab ſe Latine redditi, De Guigneſius Hiſt. gen. Hun. Par. I. T. I. lib. I. ſqq. p. 7. ſqq. &c.

XX. Pro illuſtratione denique Sinenſis Hiſtoriae, &

 Chro-

Chrononogiae illud praeterea obſervare non poenitebit cum Riccio in Comment. Rer. Sinicarum, Trigautio de Expedit. Chriſt. apud Sinas lib. I. cap. 10, Duhaldo, DeGuigneſio &c. tergeminas olim, praecipuaſque in Sinis obtinuiſse Sectas, quarum I. *Cong-fou-tſe*, ſive *Cum-fu-cu*, Japoniis *Koo*, ſive *Kooſi*, Europaeis vulgo *Confucii*, qui floruiſſe ante Chriſtianam Aeram anno 551, aliis 520. traditur, eaque unius *Dei* cultui dedita, moribuſque Hominum informandis fertur intenta, quae hodie Imperatoriae Aulae, Doctorumque Collegiorum Religio dicitur. II. *Lao-Kiun*, ſive *Lau-tſe*, qui aetate *Confucio* ferme ſuppar ſit, aliis ſit anterior, vixiſſeque Chriſti ante natalem anno 600. circiter creditur, ab iſtaque *Idololatria* inducta, & Animarum *Immortalitas* denegata traditur, quam hodie Aſtrologiae Judiciariae dediti ſequuntur. III. *Foè*, ſive *Buthae*, aut *Phuttae*, ſive *Xekiae*, ſive *Omitoſae*, qui Tartaris, & Mogolis *La*, Japoniis, aliiſque Indis *Xaca*, *Amida*, & *Totoqui* dicitur, cujuſque de aetate non una opinio eſt, qua de infra. Tres *Deos* in uno colere, Animarumque Μετοίκησιν docuit. Hinc primae, ideſt *Confucianae*, Sectatores denominati ſunt *Ju*, ſive *Ju-Kiao*, hoc eſt *Litterati*; ſecundae *Hochang*, ſive vulgo *Bonſi* apud Japonios; tertiae vero *Tao-ſſe*, ſive *Religioſi*, apud Tartaros *Lhamae*, apud Siamenſes *Talapones*, Duhaldo referente, apud Indos alios *Sancti* Kaſſo, ejuſdemque *Xekiae* animam ſuo recipere in natali crediti, Europaeis *Samanaei*, aliiſque a *Manichaeis* indiſtincti, velut Auctori Examinis, an Chriſti fides in Sinis annuntiata fuerit ante Seculum VII. in Excerptis Bernenſibus Litter. Europaeae anni 1761. T. II. Aprilis, Maji, Junii p. 117. ſqq., ubi multis oſtendere conatur eam jam a Seculo Eccleſiae II, aut III. fuiſſe divulgatam, a *Manete* deinde, quem a *Foè* indiſtinctum, eademque prorſus utriuſque fuiſſe dogmata oſtendere pergit, fuiſſe Chriſti fidem depravatam, adulteratamque perinde a *Neſtorianis*, atque demum ab Idololatris aliis Indis paritur abrogatam prolixe exponit. Et quidem iſthaec Fidei non modo Chriſtianae fata contigiſse, ſed inſuper Sectas tres illas ſupramemoratas turpiſſimos deinde in errores alios delapſas, in *Atheiſmum* degeneraſſe tandem cum Trigautio mox videbimus.

XXI. Sed enim *Confucium*, dictum Japoniis *Kooſi*, (di-

Digitized by Google

(diſtinguendum attamen a Philoſopho alio magno Indo *Roo-ſi* Epicurraeo inſigni, qui natus in Sinenſi Provincia *Sokokf* ante Chriſti natalem anno 601, a *Xacae* obitu anno 346. fertur Auctori Chronici Japon. apud Kaempferum Hiſt. Japon. T.I. lib. 2. cap. 3. p. 250. ſq.), *Confucium*, inquam, a *Fo-hi* pleraque, e libro nempe *Ye-Kim*, quo Dei unius exiſtentiam, verumque doceri cultum, ſcientias item contineri ſublimiores jactare Sinenſes, eumque *Fo-hi* adſcribere non deſinunt, hauſiſſe perſuaſum Sinenſes habent. Ante *Confucium* aſt enim vixiſſe *Foë*, cum Imperatore *Fo-hi* haud confundendus impoſtor, anno ſcilicet ante Chriſtianam Aeram, aut 1027. fertur apud De Guignesium Hiſt. gen. Hun. Par. I. T.I. lib. 3. p. 223. ſqq., aut 750. apud Kaempferum Hiſt. Japon. T.II. lib. 3. cap. 6. p. 67. ſq., ut eorum miſſam faciam opinionem, qua *Foe*, ſive *Xaca* aetate *Salomoni* ſit ſuppar. Sed enim, ſi verum eſt a *Foe* non diſtingui *Xekiam*, ab iſtoque nonniſi poſt Chriſti natalem inlatam ſuam demum in Sinas fuiſſe ſectam, Trigautii ſtat profecto ſententia de *Foe* longe poſteriore *Confucii* aetate. Atque *Foëanam* certe Sectam a *Tamo* impoſtore quodam non ante Chriſtianae Aerae annum 585. in Sinas importatam fuiſse ſcripſit D. Maigrotus Epiſcopus Cononenſis in Epiſt. ad D. Charmot relata Crozaeo Hiſt. Chriſt. Ind. p. 46, & 506. Contra ſub Aerae Chriſtianae annum 335. ex India in Sinas iſthaec immigraſse ſecta DeGuigneſio loc. cit. viſa eſt. Verior aſt enim eorum ſententia eſt, quibus in Sinas *Foëana* ſecta invecta Eccleſiae Seculo I, ſive anno 64. circiter, oſtenditur, veluti P. Joh. Bap. Duhaldo, Cl. Aſsemano Bibl. Orient. T. III. Par. II. p. 520. ſq., quem imo ex India, ſive e Caſimir Thibeti confinio, uti DeGuigneſio videtur, in Sinas anno Chriſti 58. inlatam D. Bruzen la Martiniere in Hiſt. Aſiae &c. T. I. cap. 2. p. 113. exiſtimavit, minus vere tamen, ut cui minus exacte ad Aerae Chriſtianae annos Cycli LX. Sinenſis anni digeſti ſunt. Quin ea in opinione verſatur DeGuigneſius, Vir ſane Litteraturae Sinenſis approbe gnarus, in Hiſt. gen. Hun. T.I. Par. II. lib. 3. p. 234, & T. V. in Epiſt. ad Auctores Ephemer. Trevolt. p. 359. ſq., ac ſpeciali in Diſſertatione Academiae Inſcrip. lecta, ut putet, non alium *Fo* nomine, niſi Chriſtum D. Sinenſibus veniſse: qua

qua de re plura jam ſuper. Art. de Menſ., & An. Indorum &c. dicta recolenda, ſi libet. *Lao-kiun* denique, aliis *Lao-zu* dictum, aliis *Li-Lao-kiun*, aut *Lao-tan*, quod attinet, ſi *Foeanae* ſectae germen potius habendus eſt, veluti plurimi habuere perſuaſum, is ſane *Confucio* ferme coaevus eſſe nequivit. Verum hic Sinenſium Epicurrus., ac Sectae *Immortalium* auctor vulgo creditus, ante Chriſti natalem anno circiter 605. vixiſſe, aliis circa annum 504. longe verius dicitur. Eum adhaec, *Lao-kium* ideſt, quem ſane *Confucio* aetate ſupparem facere haud dubitat, excuſare Coupletus etſi conetur, turpiſſimam Idololatriae tamen ſpeciem, ex vi *Caeli*, ſive *Spiritu* enatam, una cum Incantationibus, induxiſſe negari nequit: qua de re Minorellus in Exam. Hiſt. Sinen. Juvencii, ac Riccius Exped. Sin. lib. 1. cap. 10. *Confucio* adhaec imo *Caeli*, & *Terrae* Praeſides religioſe fuiſſe cultos etſi pugnent Coupletus in Diſſert. Praelim., Leibnitius in Epiſt. ad Remundum, & Kortholtus in in Diſſert. de Philoſ. Sinenſ. T. II. Epiſtolis Leibnitii praefixa, *Caeli* tamen, ac *Terrae* vim *Ingenitam*, ſive *Spiritum* eiſdem inſidentem ſupremo pro Numine, ſive Praeſidente *Confucio* habitum fuiſſe, ideoque haud procul ipſum a *Foeana*, atque *Tao-kiana* idololatrica ſuperſtitione abfuiſſe demonſtratum liquido pleriſque aliis nempe eſt, Riccio ipſi de Exped. Sin. loc. cit., Longobardo, Antonio de S. Maria, Minorello &c.; ex Proteſtantibus etiam Buddeo de Spinoſiſmo ante Spinoſam §. 22, Grappio de Theolog. Sin., Boelio in Dict. V. *Spinoſa*, Moshemio, Bruckero Hiſt. Crit. Philoſ. T. V. p. 888. ſqq. &c. Conferenda Benedicti XIV. P. M. Conſtitutio *Ex illa die* &c., qua dubitatio hac in re omnis ſublata eſt.

XXII. Tergeminas poſt haſce ſectas Seculo poſt Chriſtum III. Secta *Quietiſtarum* altera in Sinis viſa eſt, Sinice *Ugauei-kiao* dicta, hoc eſt *Nihil agentium*, qui ſe videlicet a principio *Aetheraeo* aut progenitos, aut *Aetheraeae* ſe proximos ſubſtantiae imaginabantur. Seculo poſt Chriſtum V. in Sinas iterum *Epicurriſmus* a *Fan-Chin*, ſectae *Foenae* Philoſopho, diſſeminatus legitur, abnegata Dei providentia, Animarum immortalitate, Virtutum, ac vitiorum differentia &c. Tres vero priores, vetuſtioreſque Sectas, queis de ſupra nobis ſer-

ſermo fuit, turpiſſimum demum in *Atheiſmum* ſub Chriſtiano Seculo x, & xi. fuiſse delapſas, etſi haud deſint, qui inficias pro ingenii libidine iverunt, veluti Rich. Simonius Bibl. Crit. T.II.p.62, Leibnitius in Epiſt. ad Remundum T.I.Epiſt., Grappius Theolog. Sin. T.I. q. 6. p. 35. &c., demonſtratum affatim eſt attamen Viris longe peritis e Soc. J. Trigautio, Martinio, Coupleto, Ludovico de Comitibus, Grellonio, Fabro, Longobardo, Paſſio, Sabathino, Duhaldo &c., de la Loubere in Relat. Itin., Ludovico du Four in Longueranis, ſive Cogitatis p.107, Rollini Continuatori Hiſt. Noviſs. Sinen., Japon. &c. T.I. Par.V. cap. 1. edit. Ven. p. 276. ſqq. &c.; ex Proteſtantium vero grege Spizelio in Comment. de Re Litter. Sinen. Sect. ix. p. 158, Sect. x. p. 180, & Sect. xii. p. 243, Reimanno Hiſt. Atheiſmi cap. 11.ſq. p. 91.ſqq. &c. Nempe Seculo a natali Chriſti D.X, & XI, aliis XIV, Claſſicos veterum Sectarum libros peſſimis depravare Commentariis Philoſophorum infame par *Cheù cu*, ſive *Chu-tſe*, alterque *Chiñ-ci*, ſive *Ching-tſe*, in nefarii laboris opem Philoſophis xlii. aliis, peſſimo eodem praeditis ingenio, advocatis; proſcriptaque ſupremi *Numinis* religione, purum, putumque ejuſdem loco *Pantheiſmum* ſuperſtruxiſse, viginti peſtilentiſſimae Voluminis doctrinae, ſub *Sing-li-ta-tſuen* titulo, *Philoſophiae Moralis* ideſt, evulgatis, leguntur. Quamquam hi duo novi dogmatis promicondi *Deiſtae* aliis, aliis *Polytheiſtae*, verius *Athei* viſi aliis ſunt: quorum impiorum dogmatum ſpecimen a Dideroto Encyclopediae T.III. V. *Chinois* edit. Pariſ. p.343. ſqq. exhibetur, indeque nova, veteribuſque pejor, exorta Secta *Ju-kiao*, aliis *Loitias*, ideſt *Litteratorum* etiam dicta, *Atheiſtarum* dicenda verius, quae cum *Foe-kiao*, ac *Lao-kino* Sectis ubique in Sinis obtinet, novae ubique doctrinae principium de *Tai-ki*, *Prima* nempe *Cauſſa* depraedicat, quod ea videlicet ſit, quae Creatis omnibus formam praebet, adeo ut a *Tai-ki* indiſtinctum *Caelum* ſit, indiſtincta *Tellus*, indiſtincta *Elementa* &c.; quod purum eſse, putumque *Pantheiſmum* nemo non perſpicit.

XXIII. Rem paullo aliter exponit Reimannus in Hiſt. Atheiſmi praecit. loc., quae ejuſmodi fere ſunt. Aerae nempe Chriſtianae Seculo I. a *Foë*, ſive *Xekia*, (qua de diverſa no-

nomenclatione abunde Kircherus Chinae illuſt.Par.III.cap.14. p.154, Olearius in Not. ad Itin. Anderſenii lib.3.cap.3. p.135, Arnoldus in Additam. ad Roggerii Januam Ethniciſmi apertam cap.6. p.579.), dogma illud: *Nihil primum Rerum omnium Principium eſt*; *Nihilque Rerum omnium Finis*, in Sinis diſſeminatum, in Japonia deinde fuiſſe, poſtquam in Indiis altas jam radices egiſſet. Inde factum, ut Indica Theologia in *Exotericam*, ac *Eſotericam* diſtingueretur, uti fuſe exponit Coupletus in Diſſert. Praelim. ad Confucium §.4. p.29. Atque hinc forte occaſio nata eſt Celſo apud Origenem lib.7. p.384. *Atheos* vocandi *Seres*, hoc eſt Sinenſes. Quamquam exemplaria quaedam habent non Σῆρες, *Seres*, ſed Σύριοι, *Syri*; quo intelligendos nomine *Judaeos* haud recte interpretatur Jaquelotius de Exiſt. Dei diſſert. 1. cap. 22. T. II. in Not. p. 92, ut potius *Sabaei* intelligi queant. Itaque hoc *Atheiſmus* modo, ſub Theologiae ſcilicet *Exotericae* arcano, delituit uſque ad Seculum X: quo demum *Exoterica* Theologia facta *Eſoterica* eſt, quum videlicet a *Cheu-cù*, & a *Chiñ-ci* doctrina de *Vacuo*, & *Inani*, ſive de *Nihilo* primo rerum principio, ultimoque fine inſtaurata, ambabus ulnis admiſſa ubique praevaluit. Atque hacce porro *Atheiſmi* labe Indos pariter alios adſperſos, longeque imo pridem infectos oſtendere adgreſſi ſunt Roggerius in Janua *Ethniciſmi* &c. Par.I. cap. 3, ubi ex Brachmanum ſex diverſis Sectis duas praecipuas *Schaerwecham*, atque *Paſendam* dictas, *Atheiſmo* deditiſſimas depingit; Auctor Philoſophiae Vulgaris refutatae p.112. ſqq., Bernierius apud Boelium V. *Spinoſa* p.2768, quo loci Indos *Spinoſiſmo* inquinatos refert. Qua *Spinoſiſmi* labe ſane adſperſos perinde Sinenſes, Orientaleſque alios, Japonios &c., *Deum* eſſe Mundum ipſum, atque Creata omnia ſicuti membra, parteſque veluti ſuas alere, continereque credentes, ſcripſit Joh. Tolandus in Origin. Judaicis p.118, (qui eadem *Pantheiſmi* labe *Moyſem* adſpergere ſumma pro impietate, parique impudentia auſus egregie vapulat inter alios a Jacobo Fajo Defenſ. Moyſis, & Gentis Ind. cap.4. ſqq. p.192. ſqq., quocum conferendus, ſi libet, qui Antichriſtiano homini larvam detraxit Joh. Laurentius Moshemius in Comment. de Vita, fatis, & ſcri-

ſcriptis Joh. Tolandi praemiſsa Vindiciis antiquae Chriſt. Diſcipl.); qua in opinione tamen de Sinenſibus turpi *Spinoſiſmi* macula inquinatis Tolando praeiverat Coupletus in Diſſertat. Praelim. ad Confucium, Sinenſes *Foeano* repudiato *Nibilo*, poſt Europaeorum in Sinas adventum, *Spinoſiſmo* demum adhaeſiſſe teſtatus. Eadem Braſilienſes, Caraibos, aliosque in America Populos *Atheiſmi* labe conſpurcatos agit Lockius de Intell. Human. lib. 1. cap. 3. §. 8. p. 70. ſq. Siamenſes item teſtis accedit Louberus de Regno Siam. T. I. cap. 9. ſect. 15, cap. 20. ſect. 22, & cap. 22. ſect. 6, docetque Pater Tachardus Itin. Siam. p. 323. Japonios etiam *Atheiſmo* infectos demonſtratum eſt Auctori Philoſ. Vulg. refutatae p. 118., Boelio in Lex. V. *Japonii*, Auctori Deſcrip. Inſulae Formoſae p. 34, Spizelio loc. indic. p. 160. ſq., Turriano Epiſt. Japon. lib. 3. p. 293. &c.; quo de argumento fuſe cit. loco. Reimannus, ac Bannierius Mytholog. T. II. edit. Neapol. lib. 2. cap. 7. p. 484. ſqq.

XXIV. Quamquam haud inficias pertinacius iverim, quominus priſcis Sinenſibus cognita *Dei Unius* exiſtentia fuerit, veluti fidem indubiam faciunt ipſorum *King*, libri nempe quinque Claſſici, Sacrique, queis integra Sinenſium, vetuſque Religio continetur, continerique Religionis *Naturalis* principia, atque inter haec de Supremo *Ente* conditore omnium omnibus colendo dogmata, oſtenſum dedere P. Premarus Lett. Edif. T. XIX. p. 483. ſqq., & P. Visdelous T. VII. p. 221.. Et certe Auctor Epiſtolae de Controverſia inter Vicarios Apoſtolicos, & Jeſuitas circa Ritus Sinenſes, inſertae Bibliothecae Crit. Rich. Simonii T. II. cap. 3. p. 42. ſqq., falſo Sinenſibus Litteratis adſcriptam putat Atheiſmi notam, tum quod S. Auguſtino Tract. in Johan. 106. n. 4. teſte *Haec eſt*, inquiente, *enim vis verae Divinitatis, ut Creaturae rationali, jam ratione utenti non omnino, ac penitus poſſit abſcondi*, veri eſſe Athei nequeant, tum quod pro Deo *Natura* ipſa Sinenſibus ſit; quod eos potius Idololatras, juxta Apoſtolum Rom. 1. probat, quam Atheos. Quin *Mediatoris* aliquo modo Incarnationem Sinenſibus olim innotuiſſe indicio eſſe videtur Sacer ipſorum liber *Likiy-Ki* dictus, in quo traditur *Heros* quidam Divinus, K*iunt-sè* adpellatus, *Paſtor*, ideſt, ac *Princeps*, e Caelo ad-

venturus, Mundum liberandi a Monſtris cauſſa; multa perpeſſurus is, moriturusque, ſed a morte ſubinde reſurrecturus, atque *Deus Mediator* futurus praedicatur. Quae ſane dicta perperam de Graecorum *Hercule*, de Syrorum *Adonide*, de Perſarum *Mithra*, aut ſi mavis, de *Horo* Aegyptiorum, de *Hermete* Phoenicum, de *Brahma* Indorum, quaſi nempe Sinenſibus ii probe comperti fuiſſent omnes, accipienda interpretatus eſt Vir alioqui doctiſs. Abbas Baſſius in Not. ad Banierii Mytholog. edit. Neap. T.II. lib.2. cap.7. p.487: qui perinde in Not. p.498. Sinenſibus Idololatriae ſcelus jure quidem adſricari conſentit, non item Atheiſmi: multa interea de Sinenſium Idolis, ac Idololatria ſcitu haud indigna perſequitur. Et quidem ab *Vou-ye* Dynaſtiae II. *Cham*, ſive *Chang* Imperatore XXV, aliis XXVII, qui Cycli XXVI. anno 2, Chriſti ante natalem ideſt anno 1196, imperium auſpicatus fertur, Idolorum cultus in Sinas ubique invectus fuiſſe, vique omni amplificatus legitur. Quae & nos de tribus hiſce Sectis prolixius fortaſſe, quam par fuiſſet, inſtitutique noſtri pateretur ratio, perſequuti ideo ſumus, quod Sectarum ejuſmodi Sectatoribus accepta referenda ſint utique, quaecumque de Chronologia diverſis apud Sinenſes uſurpata ſub Aetatibus ſtatim dicenda ſuſcipimus.

XXV. Ad Chronologiam itaque Sinicam propius accedendo, eadem olim valdequam imperfecta, variataque paſſim, atque multis implicata difficultatibus, neque demum, niſi Europaeorum ope, juſtis deinceps limitibus definita, ſtatim in limine deprehenditur. Et ſuperiori §.XIII. ſqq. certe diverſas in ſcribendo Epochas diverſos ſectatos fuiſse Sinicarum rerum Scriptores, atque a ſequiori plerumque aetate ſuis auſpicia Hiſtoriis eos fecisse, diverſis ab aetatibus Imperatorum Dynaſtias auſpicatos fuiſse, Imperiiſque cum exordii, tum durationis annos longe diverſos fecisse, adeo ut nonniſi ab anno Chriſti ante natalem 200, aut 400. recta deinceps incedere Sinenſis Hiſtoria incipiat, multis oſtenſum eſt, videndusque De Guignesius inter alios in Epiſtola ad Auctores Ephemer. Trevolt. an.1747. Decemb., antiquitatum & ipſos Sinenſium ſupra modum admiratores, Hiſt. gen. Hun. T.V. p. 345. ſqq. inſerta,

ſerta, quo inter alia loci p.351. obſervat *Chou-King* vetuſtiorem apud Sinenſes Hiſtoriam de' geſtis invicem diſparatis agere, ullo abſque Chronologiae filo. In *Tchun-tchieou*, Hiſtoria altera a Confucio elucubrata, *Eclipſes* XXXVI. memorari, quarum nulla tamen annum 722. Chriſtianam ante Aeram excedit. *Tſou-Chou*, librum magni Sinenſibus factum, anno dumtaxat ante Chriſti natalem 300. elaboratum fuiſse, rudemque admodum Chronologicam eſse Tabulam. *Chi-pen*, Hiſtoriam alteram, breviorem adeo eſse, ut nullo fere uſu eſse queat: hoſque vetuſtiora Sinenſium eſse Monumenta, quae prudentis viri fidem obligare nequeant. Aſtronomiae jam vero, cujus a ſtudio encomiis ſupramodum extolli Sinenſes a multis ſolent, multo eos tempore admodum rudes extitiſse modo oſtendendum eſt. Atque a Chaldaeis initio Aſtronomicas mutuatos obſervationes Sinenſes fuiſse inde arguere fas eſt, quod omnium antiquiſſima ipſis obſervatio habeatur duarum *Fixarum*, quarum puncta collata cum *Solſtitio* Verno, Vernoque *Aequinoctio* traduntur, P. Joh. Adamo Schal teſte apud Blanchinium Hiſt. Univ. cap.17. p.199. ſq. Quae obſervatio ſane anno notatur imperii *Yao*, qui vixiſse fertur ante Chriſtianam Aeram anno 2357. juxta Fourmontium, 2345. juxta Soucietum, juxta alios 2330, aut 2325, juxta Blanchinium 2200. circiter ante *Auguſtum*, a quo ideo cum *Semo* confunditur *Yao*, juxta *Tſou-Chou* Chronologiam anno 2145, uti ſupra dictum, aut 1852. dumtaxat, juxta Caſſinum, quo de infra. Aſtronomicas ſed enim obſervationes a Chaldaeis factas anno 1903. ante Aeram *Alexandri M.* fuiſse, ideſt annis 2200. circiter ante Chriſti natalem, auctor eſt Calliſthenes apud Simplicium Commen. in Ariſtotelem de Caelo lib.2. cap.46.p.123, qua de Epocha abunde diſputare me alibi memini: conferenduſque loc. cit. Blanchinius pleraque de hiſce diſputans computis; ſed ita plane opinione, animoque comparatus, adfectuſque, ut Sinenſium admiratoribus facile adſtipulandus ſit, faciliusque jactatis adeo Sinenſium originibus, pluſquam oporteret, fidem praeberet integram ferme. Quo tamen vel uno ſit evidens tam falſo, quam praefidenter, ſuo pro more, ingenioque praepoſtero Chriſtiana elevandi noſtra, aliena amplificandi Ethnica,

 ſcri-

ſcripturiiſſe Voltairium in ſuis *Pieces fugitives ſur l'Hiſtoire* apud Sinenſes Hiſtorias, queis de dubitare ſit nefas, extare, quibus *Eclipſium* ſupputationes annorum 4000. referuntur, quarum ſex ſupra triginta *Confucio* memoratae fuerint, earumque triginta duo Miſſionariis Aſtronomis fuerint comprobatae. Conferendi Viri doctiſs. Abbas Gaucatius in Epiſtolis Criticis Gallice editis T. III. Epiſt. 32. p. 198. ſqq., a quo Voltairius, multis, digniſque, pro meritis, vapulat, ac De Guigneſius in Epiſt. ad Auctores Ephemer. Trevolt. p. 348. ſqq., a quo tum id in Voltairio jure reprehenditur, quod *Fo-hi* ſupra quindecim in Sinis Provincias imperaſſe ſcripturierit, Aerae ſiquidem Chriſtianae Seculo I. in Sinis Provinciae adhuc fuerint neque Imperio ſubjectae, neque ad certam Politiae formam attemperatae; tum & id, quod *Eclipſibus* illis praeter modum ipſe deferre haud fuerit veritus, quo de argumento prolixius infra.

XXVI. Adhaec jam vero ante *Yao*, cujuſce de Imperii Epocha diverſas undecim referre opiniones D. Frereto de Antiq., & Chron. Sinen., Monum. Acad. Inſcrip. T. X. p. 387, ac poſt ipſum Warburthono in *Eſſai* &c. T. II. p. 425, fas utique fuit, quae diverſae ſane Epochae annorum 284. ſpatio comprehenduntur, uti ſupra dictum, quarumque praecipuae ſuperius item ſunt indicatae, ante *Yao*, inquam, Aſtronomia, Syderum motibus rectius obſervandis, meliori longe forma induta ab *Hoam-ti* fertur, atque Cyclus annorum 60. temporibus menſurandis jam tum inſtitutus perhibetur, uti dictum ſuperius eſt. Aſt enim *Hoam-ti* nepos *Cuben-Hiou* anno 2510. Chriſtianam ante Aeram Kalendario conſtruendo operam impendiſſe, Annique initium *Novilunio* alligaſſe Verno, quod in Sinis a gradu 5. *Aquarii* incipit, in Annalibus Sinicis traditur. Quod Anni principium ad duos perinde retrotractum fuiſſe Menſes legitur; ſuaque viciſſim ſub aetate a *Novilunio* proximiori gradui 15. *Aquarii*, quo duas aequas in partes duo *Aequinoctii*, ac *Solſtitii* puncta dividuntur, ſive a *Novilunio* diei 5. Februarii proximiori Sinenſibus Annum incipi refert Bartholus Hiſt. Sinenſ. p. 60. Verum Anni formam apud Sinenſes informem valdequam multo fuiſſe tempore inde recte colli-

colligit D. le Roux Reg. Profeſſor Pariſ. in Excerp. Hiſt. Sinenſ. apud Goguetium de Orig. Legum &c. T.II. in Adpend. p.315. ſqq., quod longa Sinenſibus aetate, ante tempora ideſt *Hiſtorica*, pro Anno haberi ***Foliorum permutatio*** ſoleret: cujuſce rei argumento id etiam accedit, quod Menſium apud Sinenſes a *Telluris floribus*, *fructibus* &c., ac *Tempeſtatum mutationibus*, pluviis, calore, frigore &c. petere cum nomina, tum decurſus ſolemne diu fuerit. Sub imperio rurſus *Tao*, annos ideſt poſt 153, ſive juxta *Tſou-Chou* Chronicon annos poſt 365, Kalendarium iterum reformatum fertur, Annuſque *Soli-Lunaris* utique, ſive *Luni-Solaris*, (quam vocem quaſi hybridam, atque monſtro ſimillimam ſuggillare haud veritus Thomas Hyde de Relig. Vet. Perſ. cap.18. p.227. ſq., eaque de re Martinio, qui Sin. Hiſt. p.19. eam uſurpavit, negotium facere, dignum ſe praebuit, qui vapularet a Crozaeo in Vindic. Veter. Script. p.77, & Alphonſo Des Vignoles de Cyclis Sinen. §.3. in Miſcellan. Berolin. T.IV. p.30. ſq., ubi notat a D. Caſſino annos *Lunae-Solares* Orientalium, ac maxime Sinenſium memorari, a Strauchio in Brev. Chron. lib.1. cap.6. q.8. ſq., Kalendarium Judaicum rite denominari *Lunae-Solare*, a Nicolao Mullero Tabulas editas *Lunae Solares*, atque Judaeorum Annum *Lunae-Solarem* recte adpellari), Annus, inquam, *Soli-Lunaris* utique in Menſes XII. ita diſtributus traditur, ut Menſes ſex dierum 30, totidemque dierum 29. dumtaxat eſſent; atque ita ut Menſis integer ſepties intercalaretur in Periodo annorum 19. Et ecce tibi *Metonis* indubie Cyclum, quem inde ſuos in Annales de induſtria a Sinenſibus fuiſſe transfuſum, cujuſce tamen, ipſorum pro more, inventionis gloria priſcis adſcripta fuerit Imperatoribus, arguere pronum eſt.

XXVI. Quod vero rem conficit, initioque, longaque deinceps aetate Sinenſes Aſtronomiae rudes admodum evincit, excultaeque deinde ſcientiae ejuſmodi methodum Arabibus primum, velut obſervat De Guigneſius in epiſt. ad Auctores Ephem. Trevol. p.350. ſq., ac Europaeis poſtmodum acceptam referre eos debere, illud eſt ſane, quod ſuis in Annalibus, & Kalendariis *Eclipſes* ab ipſis notatae, ſuis neque locis, neque tempori-

poribus reſpondere, uti ſuſpicatus Coupletus fuerat, oſtendit reapſe Caſſinus Obſervat. Aſtron. Acad. Scient. Pariſ. T. VIII. p. 300. ſqq., ac referunt Jaquelotius de Exiſt. Dei T. II. p. 101. ſq., ac DeGuigneſius epiſt. cit. p. 350. Imperante quidem *Yao*, Chriſti ante natalem anno 2337, Hyemale *Solſtitium* obſervatum a Sinenſibus, eoque obſervando ſtylum ingentem ad perpendiculum erigi conſueviſſe octo altum paſſibus, eumque in gradus, ac minuta diſtribui, ex eodemque triduo ante *Solſtitium* Hybernum quotidie umbram notari, ejuſque gradus, ac minuta, idemque fieri poſt *Solſtitium* teſtantur Martinius in Hiſt. Sin. edit. Monach. p. 26, Amſt. p. 38, atque Viri rei Sinicae peritiſſimi in Litteris Annuis Sinenſ. anni 1611. p. 173. ſq. Sed enim rudem hanc alioqui, quae longe poſt obtinuit, *Solſtitia* obſervandi rationem longe in anteriores de induſtria aetates retroductam fuiſse nemo facile non percipit. Imperante ad haec Chriſtianam ante Aeram anno 2513. in Sinis *Tchuen-Hiu*, aliis *Chuen-Hioo*, qui a *Fo-hi* v, ab *Hoam-ti* III. recenſetur, quique annos 78, ad annum uſque nempe 2435. imperaſſe traditur, quinque *Planetarum* conjunctionem eadem una contigiſse die, qua *Solis*, ac *Lunae* conjunctio in Conſtellatione *Xe*, Gaubilio Obſerv. Mathem. &c. T. II. p. 179. *Che* dicta, eſtque Sinenſibus Conſtellatio XIII, nobis ideſt *Prima Ala Pegaſi*, facta eſt, *Sole* exiſtente in *Aquario*, quae modo Conſtellatio a gradu 18. ♓ *Piſcium* incipit, juxta Caſſinum, teſte vero P. Gaubilio anno 1700. reſpondebat *Piſcium* gradui 19. 17.′ 3.″, extenditurque uſque ad gradum 4. ♈ *Arietis*, cui Gaubilius minuta 57.′ 13.″ adjungit, quinque, inquam, *Planetarum* factam conjunctionem refert *Tſou-chou*, Scriptor ideſt Hiſtoriae Sinicae hujus Imperatoris apud Martinium Hiſt. Sin. lib. 1. p. 21, alias p. 33. Quae ſi vera ſunt, inde fiet ſane, ut Epocha iſthaec *Diluvium* anteverterit, eorum juxta computum, qui annos 2200. a *Diluvio* ad vulgarem Chriſti natalem enumerant. Verum Caſſinus in Reflex. ad Chronolog Sinen. Monum. Acad. Scient. Pariſ. T. VIII. p. 303. ſqq., inſertis etiam Legationis Siamenſis D. de la Loubere T. II. p. 306. ſqq., accurato inito calculo deprehendit a Seculo XXIV, & XXV. Chriſtianam ante Aeram, neque in hiſce duobus Seculis, neque in

duo-

duobus aliis, quae praeceſſere, quaeque poſt ſequuta ſunt, quinque *Planetarum*, unaque *Solis*, ac *Lunae*, exiſtente *Sole* in *Aquario*, conjunctionem contigiſse, ſed anno dumtaxat ante Chriſti natalem 2012, die 20. Februarii, juxta Kalendarii Juliani formam, ſive die 9. *Gregorianam* juxta emendationem, *Saturnum*, *Jovem*, *Venerem*, *Mercurium*, ac *Lunam* eadem in Conſtellatione *Xe* extitiſse, *Solis* vero, & *Lunae* conjunctionem eodem anno, dieque Februarii ſequenti $\frac{10}{27}$, hora 6. matutina in Sinis contigiſse, & *Alam primam* Pegaſi, e qua incipit Conſtellatio *Xe*, fuiſse in gradu 26. min. 50. *Capricorni*, atque *Poſteriorem Alam Pegaſi* fuiſſe in *Aquarii* gradu 12. min. 30. Quo fit, ut conjunctio iſthaec Seculis v. poſterior fuerit, ideoque annis 500. Chronologia Sinenſis retardanda ſit. Caſſini ſupputationem hancce ſane calculo ſuo comprobarunt, ſupputationibus itidem factis, Samuel Keckelius, teſte Georgio Hornio in Arca Noè p. 388. edit. Lipſ., ac Bayerus Obſerv. Mathem. T.II. edit. Pariſ. 1732. p. 30, ad fabulas amandandam ſeptem illam *Planetarum* conjunctionem, quae ſub Imperatore *Tchoven - Hiu*, ſive *Chuen-Hioo*, contigiſse ſub annum 2490. Chriſti ante natalem Sinenſi illi Scriptori traditur; neque annis niſi 500. eam poſterius accidiſse, ſcilicet anno 2012. ante Chriſtianam Aeram, a *Diluvio* anno 336, adfirmare haud dubitantes. Quam utique Caſſini, Keckelii, ac Bayeri ſententiam ultro, citroque amplecti, ſequique haud ambegere Viri alii doctiſs., Hornius loc. indic., Harduinus in Chron. Vet. Teſt. Oper. Select. edit. Amſt. 1709. p. 521, reique Sinicae approbe peritiſſimi Duumviri Gaubilius in Hiſt. Synop. Aſtron. Sinen., & in Tract. de Sin. Aſtron. Obſervat Mathem. &c. T.II. p. 30, & T.III. p. 46, ac DeGuigneſius in epiſt. ad Auctores Ephem. Trevolt. ad calcem Hiſt. gen. Hun. T.V. p. 350.

XXVIII. Contra tamen duas ♄, & ♃ *Saturni*, ac *Jovis* conjunctiones in ♓ *Piſcibus* ante Chriſtianam Aeram anno 2509, & 2450. revera factas, annoque 1653. ſupputatas, indicat Ricciolius; eaſdemque anno 2508, & 2449. Chriſti ante natalem contigiſse, ſupputatione facta, confirmat etiam Megerlinus in Tabula Mathem. Hiſt. Sed ènim quinque imo *Planetarum* ♄ ♃ ♂ ☿ ♀ *Saturni*, *Jovis*, *Martis*, *Mercurii*, ac *Veneris* conjun-

junctionem in)(*Piſcibus* anno Chriſtianam ante Aeram eveniſſe Martinio referenti primo credidit Andreas Mullerus in Hebdomade Sinica ſub init. p. 1, in fide poſtea confirmatus ab Adamo Thilono ibid. p. 25, 37. ſq. laudato, qui ſupputatione inita, ſeptem imo *Planetas* ſeparatim iu *Piſcibus* combinatos reperit. Calculis etiam ſubductis, ope Tabularum Lanſpergii anno 1686, Alphonſus De Vignoles in Bibl. German. T. XIV. p. 147, ac in Obſerv. ad Bayeri excerpta ex Epiſt. 1. P. Gaubilii ad ipſum Miſcell. Berolin. T. V. p. 193. ſqq. deprehendit anno Chriſti ante natalem 2449, *Biſſextili*, Februarii die 28. ☉ *Sole* tunc in ♒ *Aquarii* gradu 19. exiſtente, in ipſoque *Novilunio*, quatuor Planetas, *Saturnum*, *Jovem*, *Martem*, ac *Mercurium* ſignum)(*Piſcium* a gradu 11. ad 25. occupaſſe; die ſequenti Februarii 29. ineunte *Venerem* in gradu 15. ♑ *Capricorni* fuiſse conſpicuam; eodemque die ſub veſperam *Lunam* in prima *Phaſi*, unde Civilis incipit Menſis, ſignum)(*Piſcium* ingreſsam; atque poſtridie die 1. Martii quatuor primis adjunctam fuiſse *Planetis*. Ab eodem perinde exoratus Chriſtfridus Kirchius Acad. Berolin. Aſtronomus calculo inito anno 1721, deinde in Kalendario Aſtron. Nuremberg. anno 1723, in Kalendario Aſtron. Berolin. 1725, ac in Miſcellaneis Berolin. 1727. T. V. p. 196. inſerto, ex Tabulis Rudolphinis comperit anno Chriſtianam ante Aeram 2449, *Biſſextili*, die 28. Februarii *Solis*, ac *Lunae* conjunctionem in)(*Piſcium* gradu 18. 17.′ ſub Meridiano *Nanquinenſi* hora 9. min. 19.′ ante Meridiem contigiſse; Veſpere *Planetas* quatuor *Saturnum*, *Jovem*, *Martem*, & *Mercurium* haud procul ab ſe invicem in *Piſcium* medio a gradu 11. ad 18. diſtitiſſe; die 1. Martii Veſpere *Lunam* etiam ad hos acceſſiſſe *Planetas* hora 7. ſub Meridiano *Nanquinenſi*, ac *Venerem* in medio *Capricorni* ſe videndam exhibuiſse. Deceptum itaque Caſſinum uterque depraedicat a Martinio, e quo in Hiſt. Sin. p. 33, alias p. 21. ſuppoſuit conjunctionem illam quinque *Planetarum* a Scriptore Rerum Sinicarum in Conſtellatione *Xe*, ſive *Che*, ideſt *Prima Ala Pegaſi*, factam fuiſse; quum Scriptor ille, conjunctione illa narrata, ſubjungat diem primum illius anni Imperatoris *Tchoven-Hiu*, ſive *Chuen-Hioo* juſſu a Conſtellatione *Xe*, ſive

Che

Che incepiſſe; quaeſiviſſe ideo Caſſinum conjunctionem illam *Planetarum* in Conſtellatione *Xe*, ubi quaerenda non erat, bene vero in *Piſcium* gradu 11. ad 25. reperienda.

XXIX. Verumtamen, ut de diſcrepantia, quae Mullerum, ac Thilonum inter, ac DeVignolium, & Kirchium lata intercedit, dum prioribus illis ſeptem *Planetarum* conjunctio, poſterioribus hiſce quatuor dumtaxat ſupputata eſt, nihil regeram, vereor ſane, an vere deceptus DeVignolio dici potuerit P. Gaubilius, quo melius in Aſtronomia Sinenſi verſatus an fuerit quiſpiam, futuruſque ſit, legenti Praefationem P. Soucieti Obſervat. Mathem., Aſtron., Chron. &c. T. I, & II. praefixam, aequum ferre judicium fas erit. Teſtis is itaque accedit in Hiſt. Sinopſi Aſtron. Sinen. p. 29. ſq. ſub Dynaſtia v. *Han*, quae Chriſti ante natalem anno 206. incepit, finivitque Aerae Chriſtianae anno 219, ſex elucubrata fuiſſe Kalendaria, eaque ceu antiquiſſima conficta: quae Kalendaria, una cum Hiſtoriae Sinenſis antiquis monumentis, juſſu *Vu-ti*, ſive *Ven-ti* Imperatoris V. in eadem Dynaſtia v. *Han*, qui ante Chriſti natalem anno 140. imperium auſpicatus eſt, a *Su-ma-tan* Collegii *Han-lin* Praeſide, ejuſque filio *Su-ma-ci-en*, Imperii *Vu-ti* anno 41, Chriſtianam ante Aeram anno 99, adornata fuiſſe indicat Fourmontius, Monumentorum, & ipſe Sinenſium callentiſſimus, utpote Sinenſium librorum Bibl. Reg. Chriſt. Gall. Cuſtos, Linguaeque Sinenſis peritus, in Reflex. Crit. ad Hiſt. Vet. Popul. T. II. lib. 3. cap. 21. p. 43. Ex hiſce jam vero ſex Kalendariis, pergit Gaubilius, primum adſcriptum fuiſſe *Hoang-ti*, ſive *Hoam-ti*, qui auſpicatus Imperium fertur ante Chriſti natalem anno 2704, juxta Fourmontium loc. cit. cap. 22. p. 441, vel anno 2686, juxta Soucietum in Not. ad Gaubilium indic. loc. p. 30. Secundum fuiſſe ſuppoſitum *Tchoven-Hiu*, ſive *Chuen-Hioo*, quo de lis eſt, qui ab *Hoam-ti* Imperator 111. regnare Chriſtianam ante Aeram anno 2513. juxta Martinium, 2510. juxta Fourmontium, aut 2502. juxta Soucietum, occepit. Tertium fuiſſe tributum *Yu*, qui & *Ta-Yu*, ideſt *Magnus Yu*, dici ſolet, a quo Dynaſtia 1. *Hia* fundata eſt Chriſti ante natalem anno 2207, juxta Fourmontium, aut 2199, juxta Soucietum, aut 2198, juxta DeGuigneſium Hiſt. gen. Hun. T. I. p. 8, aut 2183,

juxta *Pan-kou* in Hiſtorica Chronologia Dynaſtiae *Han* apud Gaubilium loc. cit. p. 40. Quartum adſcriptum fuiſse *Tching-tang*, qui Dynaſtiae II. *Xam*, ſive *Cham*, ſive *Chang* originem fecit Aeram ante Chriſtianam anno 1766, juxta Fourmontium, aut 1764, juxta Soucietum, aut 1754, juxta DeGuigneſium p. 11, aut 1751, juxta *Pan-Kou* apud Gaubilium loc. cit. Quintum fuiſse tributum *Vou-vang*, ſive *Vou-vam*, a quo Dynaſtia III. *Tcheou*, ſive *Cheù* auſpicia cepit anno Chriſti ante natalem 1122, juxta *Pan-Kou*, ac Fourmontium, aut 1121, juxta Soucietum, aut 1116, juxta DeGuigneſium p. 15. Sextum denique adſertum fuiſse *Tcheou-Kong*, ſive *Tcheou-Kum-tan*, qui frater *Vou-vam* fuit, ab ipſoque cum *Kum*, Reguli titulo, *Lou* Principatum in *Chan-tong* Provincia obtinuit, ubi Dynaſtiam anno Chriſtianam ante Aeram 1063. fundavit, qua de-Guigneſius Par. I. T. I. lib. 2. p. 92. ſqq. Kalendaria jam vero iſthaec, praeterquamquod annum Chriſti ante natalem 140. haud excedunt, peſſime digeſta fuiſse adfirmare non dubitat DeGaubilius, eorum promiſcondis ſane proprium *Fixarum* motum ignoratum prorſus fuiſse, Annumque dierum 365, uniuſque diei quartae partis factum: a quibus alioqui longe antiquius a *Fo-hi*, ab *Hoam-ti*, a *Yao*, a *Ti-Ki*, a *Tchoven-Hiu* &c. egregie Aſtronomiae ſtudium excultum fuiſse lepide adfirmat: quorum demum impoſturas detectas fuiſse, exſufflataſque a *Tou-yu* celebri Aſtronomo Aerae Chriſtianae anno 280. circiter refert p. 46. Adhaec itaque diligenter inſpecto Textu Sinico, in hiſce Kalendariis, ac in Kalendario maxime ſecundo, *Tchoven-hiu* tributo, falſam puncto *Li-tchun*, ideſt *Veris principio*, Epocham fuiſse adfictam Gaubilius advertit, ideſt referri in eodem puncto, quod noſtri *Aquarii* gradui 15. reſpondet, in eademque Conſtellatione *Che*, quae modo *Primae Alae Pegaſi* reſpondet, ſeptem *Planetarum* factam conjunctionem fuiſse: quam utique conjunctionem in Conſtellatione *Che* fieri ſub *Tchoven-hiu*, neque duobus Seculis ſive prius, ſive poſterius quiviſse, demonſtratum rite Caſſinus dedit. Paucis id totum complexus Bayerus cum in Aſtronomiae Sinicae examine, tum in Commercio Sinico cit. p. 185, ſcite admonet in Scriptoribus Sinenſibus acute diſtinguendum eſſe inter Obſervationes, & Cal-

& Calculos, ne videlicet Obſervatio putetur, qui purus, puruſque Calculus fuit; neve Calculus viciſſim exiſtimetur, quae vera fuit Obſervatio. Ita nempe non vera Obſervatio jam tum facta ſub *Tchoven-biu* fuit, ſed merus Calculus poſtea factus, atque in Kalendarium, *Tchoven-biu* falſo adfictum, de induſtria intruſus.

XXX. Etſi vero inficias praefracte ire nolim, utqui pote de ſupputatione iſthac Aſtronomica judicio ferendo impar ſim prorſus, quin ante Chriſti natalem anno 2449. quatuor *Planetarum*, DeVignolio, & Kirchio id adfirmantibus, facta conjunctio in *Piſcium* gradu 11. ad 25. fuerit, quod mea nihil prorſus intereſt, nego tamen, ac pernego eo jam tum tempore in Sinis imperaſſe *Tchoven-Hiu*, multoque pernego magis ibi ante ipſum ab aliis, ideſt *Fo-hi* I, *Chin-nong* II, *Hoam-ti* III, *Chao-bao* IV. &c. imperatum fuiſse, eo ideſt jam a tempore, quod a Kalendariorum illorum Scriptoribus effertur, ab anno ideſt Chriſtianam ante Aeram 2513, cui *Tchoven-Hiu* regni exordium adjingitur, aut 2594, quo *Chao-bao* imperium auſpicatus fertur, aut 2704, in quem *Hoam-ti* regni exordium confertur; multoque minus anno 2831, aut 2844, quo regnare *Chin-nong* cepiſſe traditur, aut 2954, juxta Juvencium, aut 2941. juxta Soucietum, in quem imperii *Fo-bi* initium incidiſſe fingitur: aetatem ſiquidem *Yao*, qua de minus alioqui dubitare ſubit, quaeque a Fourmontio in annum Chriſti ante natalem 2357, a Soucieto in annum 2345, a *Tſou-chou* in annum 2145. conferri vidimus, infra detrudendam invicte oſtendit Caſſinus in Reflex. ad Chron. Sinen. Monum. Acad. Scient. Pariſ. T. VIII. p. 311. ſqq., documento ſcilicet altero ducto ex Martinio in Hiſt. Sin. Refert is nempe Sinenſium ex Scriptorum fide ſub *Yao* Imperatore VII. a *Fo-hi*, V. ab *Hoam-ti*, anno Chriſtianam ante Aeram 2342. *Solſtitium* Hybernum obſervatum a Sinenſibus fuiſse in gradu 1. Conſtellationis *Hiu*, ideſt in *Humero Siniſtro Aquarii*, quae modo Conſtellatio in Tabula P. Gaubilii Obſervat. Mathem., Aſtron., Chron. &c. T. II. p. 178. incipit ab *Aquarii* gradu 19. 13.′ 17.″, in anno videlicet Aërae Chriſtianae 1700, eſtque Sinenſium Conſtellatio XI, a Caſſino vero ab *Aquarii* gradu 18. 16.′ inchoatur; adeo ut ab eo tempore ad

Mmm 2 hoc

hoc uſque, *Solſtitium* a loco proprio *Capricorni* gradu 1. elongatum ſit gradibus 49. amplius, quum anno 2342. Chriſti ante natalem in gradu 29. *Sagittarii* fuerit. Verum inito calculo Stellae *Fixae* ſiquidem anno quolibet moveantur gradu 0, minutis 51.", inde fit, ut annorum 3478 ſpatio dumtaxat gradus 49. min. 16.' perficere quiverint: qua e ſumma detractis annis 1625, quo poſt Chriſti natalem anno Conſtellatio *Hiu* erat in gradu 18, min. 16. *Aquarii*, reliqui ſunt anni 1852. ante Chriſtianam Aeram, quo regnaſſe dumtaxat *Yao* ſit conſequens; ideoque Chronologia Sinenſis ab anno 2342. annis omnino 490. retardanda eſt; ab anno vero 2357. juxta Fourmontium, aut 2345. juxta Soucietum, quo nempe regnum auſpicatus *Yao* ex Sinenſium fide Scriptorum ipſis refertur, annos infra 493, aut imo 505. deprimenda eſt.

XXXI. Verum a Martinio haud recte collocatum fuiſſe *Solſtitium* Hybernum ſub *Yao* in gradu 1. Conſtellationis XI. *Hiu*, (ex quo ideo Caſſinus anno Chriſti 1682. gradum 1. Conſtellationis *Hiu* reſpondiſſe *Aquarii* gradui 18, min. 16.' auguratus eſt, indeque a *Yao* ad eum annum 1682. a *Fixis* gradus 49. 16.' fuiſſe perluſtratos), cenſet Gaubilius in Diſſer. ad Eclipſim *Solis* relatam in libro *Chou-King*, Obſerv. Mathem. &c. T. II. p. 147. ſq., adfirmans eo in libro *Solſtitium* Hybernum utique *Hiu* adſigi, ſicuti Aeſtivum Conſtellationi *Sing*, *Aequinoctium* Vernum *Mao*, & Autumnale *Fang*, quin attamen certus deſignatus fuerit gradus: gradum 7. *Hiu* tamen pro Hyberno *Solſtitio* fuiſſe deſignatum ſubjungens ab Aſtronomis, ac Hiſtoricis *Yuen*, ideſt Dynaſtiae XX, quae Aerae Chriſtianae anno 1280. regnare cepit, ac *Mim*, hoc eſt Dynaſtiae XXI, quae ab anno cepit Aerae Chriſtianae 1368. Aſt enim fatetur Gaubilius ideo gradum 7. *Hiu* pro *Solſtitii* Hyberni initio ſub *Yao* ab Hiſtoricis, & Aſtronomis illis fuiſſe ſtatutum, quod *Yao* annis 2300. amplius Chriſti D. antevertiſſe natalem ipſis perſuaſum eſſet. Fatetur a celebri Aſtronomo *Y-hang* ſub Dynaſtia XIII. *Tang*, Aerae Chriſtianae anno 724, *Solſtitium* Hybernum ſub *Yao* in gradu 1. *Hiu* fuiſſe repoſitum: ab Hiſtoricis item, & Aſtronomis *Song*, Dynaſtiae XIX, quae regnandi exordium anno Chriſtianae Aerae 969, aut 960. cepit, *Solſtitium* Hybernum gradui 1.

Digitized by Google

dui 1. *Hiu* etiam adfixum fuiſſe. Fatetur ante *Han*, ideſt Dynaſtiam v, quae Chriſti ante natalem anno 206. cepit, neque niſi ſub hujuſce Dynaſtiae finem, Aerae nempe Chriſtianae annum 219, ***Fixarum*** progreſſum Aſtronomis Sinenſibus, antea prorſus ignoratum, in ſuſpicionem venire cepiſſe: poſtea vero ſub *Tſin*, Dynaſtia VII, Aerae Chriſtianae anno 265, putatas *Fixas* annorum 50. ſpatio gradum 1. percurrere: ſub ***Song***, Dynaſtia VIII, Chriſti anno 424, aut 440. a *Fixis* annis 100. ſingulis gradum 1. dumtaxat perfici creditum fuiſſe; aliiſque gradum 1. ſpatio annorum 45, ac Menſium 9. perluſtrari: ſub *Tchin*, Dynaſtia XI, Chriſti anno 557, gradum 1. intra ſpatium annorum 150, aut 50. dumtaxat a *Fixis* decurri aliis, aliiſque fuiſſe perſuaſum: ſub *Souy*, Dynaſtia XII, Aerae Chriſtianae anno 581, *Fixas* annorum 75. intervallo gradum 1. peragere creditum fuiſſe: ſub *Tang*, Dynaſtia XIII, anno Chriſti 618. gradum 1. percurri a *Fixis* intra annos 83. reputatum: ſub *Song*, Dynaſtia XIX, Chriſti anno 960, *Fixas* gradu 1. annorum 78. ſpatio progredi fuiſſe putatum. Quae omnia plane cò collineant, ut nihil omnino certi ex Aſtronomicis Sinenſium ante *Song*, ſeu Aerae Chriſtianae Seculum X, obſervationibus erui, ſtatuique eorum de Epochis rite quire demonſtrent; ſed calculos longo poſt tempore factos apud Sinenſes retro fuiſſe tranſpoſitos, deque induſtria in Annales intruſos; ex hiſque demum veterum Imperatorum conficias aetates fuiſſe, definitaſque: quae ut magis innoteſcant magiſque, exponere fuſius juvat, ac ſummopere intereſt, ad eorum retundendam inſaniam, queis inde ad Chronologiam Textus *Hebraici*, ac *Vulgatae* infra *Samaritani* Codicis, ac *Graecae* LXX. Interpretum Chronologiam deprimendam arma deſumere, praepoſtero, improboque pro ingenio, maximopere adlibuit.

XXXII. Prae ingenti ambitionis itaque, quae ſicut olim Aegyptiis, & Chaldaeis adhaeſit, ſic etiam Sinenſes, ita Gentis antiquitatem exaltandi amore raptos, inceſſit, aeſtu, ii extra veri, aequique limites efferri haud ſane veriti ſunt. Cujuſce rei inſigne, prae aliis, quae oppido multa proferri in medium poſſent, accipe ſpecimen ex praecit. Gaubilio in Hiſt. Synopſi Aſtron. Sinen. Obſerv. Mathem., Aſtron. &c. T. II. p. 45. ſqq.,

ſqq., quod huc approbe facit. Refert is nempe ſub Dynaſtia VII. *Tſin*, quae regnare Aerae Chriſtianae anno 265. cepit, *Ou-ti*, ſive *Uù-ti* Imperatoris, qui Dynaſtiae huic originem fecit, regnavitque annis 25, ideſt uſque ad annum 290, juſſu, Chriſti anno 284. ab Aſtronomo *Kiang-ki* inter alia *Solſtitium* Hybernum in Conſtellationis *Teou* VIII. Sinenſibus, que ♑ *Capricorni* gradui 5. 59.′ 48.″ anno 1700. reſpondebat, ut adparet ex Tabula III. Conſtellat. apud eumdem p. 178. ſq., gradu 17. fuiſse defixum. Cui principio innixus Aſtronomus inſignis alter *Ju-ki*, eadem ſub aetate agens, indeque ad *Yao* annos 2700. interceſſiſse arbitratus, concluſit a *Yao* ad ſuam aetatem *Fixas* proprio motu percurriſse gradus 54, ideoque ſingulis annis 50. a *Fixis* gradum 1. perfici. Quo vel uno liquido patet peſſime, multoque, quam oportebat, retro ſub *Yao* aetate *Solſtitium* Hybernum fuiſse poſitum: quod ſub *Yao* poſitum fuiſſe in Conſtellatione XI. *Hiu*, quae reſpondebat anno 1700. Chriſti ♒ *Aquarii* gradui 19. 13.′ 17.″; Aeſtivum vero *Solſtitium* in Conſtellatione XXV. *Sing*, quae eodem anno 1700. ♌ *Leonis* gradui 23. 6.′ 23.″ reſpondebat; *Aequinoctium* Vernum in Conſtellatione XVIII. *Mao*, quae reſpondebat eodem anno 1700. ♉ *Tauri* gradui 25. 47.′ 8.″; & Autumnale *Aequinoctium* in Conſtellatione IV. *Fang*, quae cit. anno 1700. ♍ *Virginis* gradui 28. 44.′ 58.″ reſpondebat, ex Aſtronomis Sinenſibus obſervat Gaubilius in Tractat. de Aſtron. Sinen. Obſerv. Mathem. &c. T. III. p. 8. ſq. Etſi praeconcepta ſua pro opinione, qua *Solſtitia*, & *Aequinoctia* in Signorum gradu 7. ſub *Yao* poſita fuiſse putat, a *Yao* ad annum 1700. gradus 56. a *Fixis* perluſtratos fuiſse, ideoque floruiſse *Yao* ante Chriſti annum 1700. anno 3900. amplius, ſive Chriſti ante natalem 2200. exiſtimet; poſthac Aerae Chriſtianae anno 443. ab Imperatore *Ouen-ti*, ſive *Vu-ti*, a quo Dynaſtia VIII. *Song*, ſive *Sùm* fundata Chriſti anno 424. eſt, juſsus *Ho-ching-tien* Aſtronomus, inter Sinenſes illuſtris habitus, *Solſtitium* Hybernum intra gradus 13, & 14. ejuſdem Conſtellationis *Teou* ſtatuit: perſuaſum vero & ipſe habens a *Yao* ad ſuam aetatem, Chriſti nempe annum 443, interfluxiſse annos etiam 2700, ſingulis vero annis 100. *Fixas* proprio motu gradum 1. percurrere, inde confecit a *Yao* tem-

pore

pore ſuam uſque ad aetatem a *Fixis* gradus 27, aut 28. perluſtratos fuiſſe; atque ſub *Yao* Hybernum *Solſtitium* in gradu 1. Conſtellationis *Nu*, quae Sinenſibus eſt x, annoque 1700. Chriſti *Aquarii* gradui 7. 34.′ 30.″ reſpondebat, fuiſſe defixum: quod Parapegma tam eodem laborat, quo prius illud, morbo, quam multo duo iſta ab invicem Parapegmata intervallo diſtant. Contra itaque ſub Aerae Chriſtianae annum 460. ab Aſtronomo longe celebriori altero *Tſou-Cong* Hybernum *Solſtitium* in gradu 11. Conſtellationis etiam *Teou* collocatum eſt; a ſua vero aetate uſque ad *Yao* annos 3000. tranſiiſſe idem arbitratus, inde a *Yao* ad annum Chriſti 460. *Fixas* gradus 50. antevertiſſe, ſinguliſque annis 45. *Solaribus*, ac Menſibus 9. *Lunaribus* gradu 1. verſus ortum *Fixas* progredi definivit. Adhaec iterum Aerae Chriſtianae anno 584. Duumviri inter Aſtronomos inſignes apud Sinenſes habiti, *Lieou-tcho*, & *Hiao-tſum a Fixis* intra *Solares* annos 75. gradum 1. perfici putarunt. Chriſti rurſus anno 724. ſub Dynaſtia XIII. *Tang*, Imperatore VI. *Hiven-cum* jubente, ab *Y-hang* celebri Aſtronomo rei Chronologicae item callentiſſimo, a *Yao* ad Aerae Chriſtianae annum 724. elapſi anni 2988. ſuppoſiti ſunt, Gaubilio teſte p. 80. ſq., ſuppoſitaeque *Fixae* annorum 83. ſpatio gradum 1. perficere, ideoque perfeciſſe a *Yao* ad eum Chriſti annum 724. gradus 36., atque ſub *Yao* Hybernum *Solſtitium* fuiſſe in gradu 1. *Hiu*, anno vero 724. in gradu 9. *Teou*. Anno deinde Aerae Chriſtianae 784. *Zodiaci* initium a *Su-tching-ſe* Aſtronomo, & anno 892. ab Aſtronomo altero *Pien-kang* in gradu 4. *Hiu* poſitum fuit; a *Su-gang* vero anno 822. idem *Zodiaci* initium in *Hiu* gradu 9. fuit repoſitum; quae omnia tam inter ſe pugnare, quam abs vero procul abeſſe planum infra fiet.

XXXIII. Ad haec in Aſtronomia *Song* Dynaſtiae XIX, Aerae Chriſtianae anno 996, maxima, *Tai-cum* Imperatoris II. juſſu, diligentia elaborata, *Fixae* annorum 78, aut 79. intervallo gradu 1. progredi ſuppoſitae ſunt, atque *Solſtitium* Hybernum *Hiu* gradui 1. fuit adfixum. Ab anno Chriſti 976. ad *Yao* annos elapſos 3301. fuiſſe ſcripſit Aſtronomus quidam Sinenſis apud Gaubilium p. 98; ideoque annum 1. *Yao* fuiſſe ante Chriſti natalem 2325. Addit Gaubilius Imperatoris II. *Taitſong*

tſong Dynaſtiae XIX. *Song* juſſu, catalogum Epocharum elucubratum fuiſſe, in eoque *Yao* annum I. conferri in annum 2330, aut 2331. Chriſti ante natalem. Ab Aſtronomis *Song* iterum Chriſti anno 1024. *Solſtitium* Hybernum in gradu 5. *Teou* collocatum fuiſſe refert Gaubilius p. 102; ab eoque Chriſti anno 1024. ad *Yao* annum I. numeratos fuiſſe annos 3361, qui fuiſſet ideo annus 1337. ante Chriſtianam Aeram; *Fixas* ideo eo ſpatio temporis decurriſſe gradus 42. $\frac{1}{2}$, atque ſub *Yao* Hybernum *Solſtitium* fuiſse in *Hiu* gradu I; *Aequinoctium* Autumnale in gradu 10. *Ti*, quae Conſtellatio III. eſt, anno Chriſti 1700. ♍ *Virginis* gradui 10. 54.' 28." reſpondens; Aeſtivum *Solſtitium* in gradu 14. *Lieou*, quae Conſtellatio XXIV. eſt, reſpondebatque anno 1700. ♌ *Leonis* gradui 6. 7.' 30."; ac *Aequinoctium* Vernum in gradu 12. *Ouey*, quae Conſtellatio XVII. Sinenſium eſt, eodem Chriſti anno 1700. ♉ *Tauri* gradui 12. 47.' 36." reſpondens. Sub Dynaſtia XVIII. *Heou-tcheou*, alias *Heu-cheu*, quae cepit Aerae Chriſtianae anno 951, Aſtronomos Sinenſes a *Yao* ad Aerae Chriſtianae annum I. effluxiſſe annos 2300. perſuaſum habuiſse; *Fixas* item ſingulis annis 71, aut 72. gradum I. conficere, Gaubilius refert. Sub finem Seculi XVI. *Solſtitium* Hybernum fuiſse ſub finem *Ki*, Conſtellationis VII. ideſt, quae Seculo XVII. ♐ *Sagittarii* gradui 27. 4.' 18." reſpondebat, ideoque ſub *Yao* fuiſse in gradu 7. *Hiu*. Anno Chriſti 1280, Sinas obtinente *Koblajo*, ſive *Cobila* Ginghiſcani filii *To-ley*, ſive *Tu-li* quarti filio, a quo Dynaſtia XX. *Yven*, Tartarica I. fundata eſt, inſigni ab Aſtronomo *Co-cheou-king* reformata, *Kobilae* juſsu, Sinenſis Aſtronomia eſt, atque *Fixarum* ad gradum I. progreſsus intra ſpatium annorum 67. definitus, eodem Gaubilio referente p. 108. Sub Dynaſtia XXI. *Ming* denique, quae cepit Aerae Chriſtianae anno 1368, duravitque uſque ad annum 1644, quo ad Tartaros Sinicum redjit imperium, Imperatoris I. *Hong-vou*, alias *Hum-vu* juſſu, reformata rurſus Aſtronomia eſt, novaque, *Ta-Tong* dicta, elucubrata, in qua *Fixarum* progreſſio gradu I. fieri annorum 71, aut 72. ſpatio agnita eſt. Quae omnia eò demum collineant, quò dixi, ut oſtendant in Aſtronomia, & Chronologia Sinenſi ante Seculum X. Aerae Chriſtianae, aut imo Se-

Seculum XIV, nihil ratum eſſe, fixumque; quam ante aetatem, quam procul abs vero Sinenſes aberraverint Chronologi, & Aſtronomi, haud ignoranti a *Fixis* ſingulis annis gradum o. minuta 50.", aut 51." peragi, ideoque annorum 72. ſpatio gradum 1. abſolvi, eoque proinde ſpatio *Aequinoctiorum* praeceſſiones etiam fieri, indubie, facileque patebit, quamque ideo retardanda *Tao* Epocha ſit.

XXXIV. Quod rei caput jam eſt alterum, e quo pro adſtruenda *Samaritani* Codicis, aut *Graeca* LXX. Interpretum ſupra Textus *Hebraici*, & *Vulgatae* computos Chronologia argumenta decerpere plerique, arripereque geſtiunt, *Eclipſes* ſunt, quae immani ab aetate Sinenſibus obſervatae, ſuoſque in Annales relatae feruntur. Atque imperante quidem jam ab anno 2158. Chriſti ante natalem *Chûm-cum*, ſive *Tchong-kang*, Dynaſtiae 1. *Hia* Imperatore IV, juxta *Tſou-chou* Chronographum apud DeGuigneſium Hiſt. gen. Hun. Par. I. T. I. lib. 1. p. 8, inter alias inſignis *Solis* Eclipſis accidiſſe traditur, quae antea tamen Aſtronomis *Hi*, & *Ho* praecognita non fuit, qui ideo pro negligentia capite puniti leguntur. Verum & tum error ille turpiſſimus, Aſianis univerſim inſitus, arcte Sinenſium inſidebat animis, ut *Solis* Eclipſis *Draconi*, qui *Solem* deglutire tentaret, ignorantiſſime tribueretur. *Eclipſis* iſthaec porro Chriſtianam ante Aeram anno 2155. contigiſſe, omniumque prima ex ſexdecim in Hiſtoricis veteribus Sinenſium libris notata, atque Gaubilio ſupputata dicitur Soucieto Obſervat. Mathem., Aſtron. &c. T. I. p. 29. Eadem aſt enim in *Chou-king*, Hiſtoria ſcilicet a Confucio emendata, peſſime ab Aſtronomis Sinenſibus ſupputata notatur eidem Gaubilio ibid. p. 30: qui tamen ſubjungit alias, pleraſque Sinenſium obſervationes ſe ſupputaſſe, eaſque ſupputationibus Europaeis reperiſſe conformes. Sed & idem Gaubilius in Diſſert. ſingulari de hac Eclipſi Obſerv. T. II. p. 140. ſqq. eamdem *Eclipſim* ab Aſtronomis Sinenſibus aliis conſignari obſervat anno Chriſti ante natalem 2128, ab aliis anno 2154, ab aliis anno 2155: quo revera accidiſſe demonſtratum ait a PP. Schal, de Mailla, Keglero, Slavizeck, & ab ſe denique, ubi & P. Martinii graviſſimis alioqui circa ejuſdem *Eclipſis* deſignatum tempus momentis ſatisfacere conatur. Atque

 ex

ex hacce quammaxime *Eclipſi* plane argumentum ſumere loco detrudendi Textus *Hebraici*, ac *Vulgatae* Chronologiam, infraque *Samaritani* Codicis, ac Graecae LXX. Interpretum computos deprimendi, auſi nonnulli ſunt. Sed enim, praeterquamquod Sinenſes Aſtronomos in *Eclipſis* hujus Epocha defigenda inter ſe diſcordes modo vidimus, ac praeterquam quod Aſtronomicas longa poſt aetate factas obſervationes ad fabuloſa retroductas a Sinenſibus fuiſſe tempora ſupra multis oſtenſum dedimus, in obſcuro ſiquidem lateat, an *Luna*, quae hodie Sinenſibus eſt Nona, tum etiam fuerit eadem, & an Conſtellatio IV. *Fang*, gradui 28. circiter *Virginis* reſpondens, diverſa ſit ab ea, quae modo in Sinis notatur, inde nihil pro Chronologia tam Sacra Bibliorum, quam Civili Sinenſium concludi rite poſſe ſcite admonet Gaubilius Obſerv. T.II. p.43. Ad haec Freretus Monum. Acad. Inſcrip.T.X.p.394, & poſt ipſum Warburthonus *Eſſai* &c. T.II. p. 486. ſqq., advertunt Conſtellationis *Fang*, quae nobis eſt *Scorpius*, apud Sinenſes nomen valde nuperum eſſe, diverſumque prorſus ab eo, quo eadem Conſtellatio tempore *Confucii*, & Auctoris Dictionarii Sinici, *Eulya* dicti, deſignabatur. Eam idcirco *Eclipſim* de induſtria deinde *Chou-king* Confucii adſutam fuiſſe perſuaſum hi habent; inde praeterea ducto argumento, quod *Sſe-ma-tſiene* primo Annalium Compilatori diligentiſſimo eadem *Eclipſis* incomperta fuerit, primumque fuerit ſupputata Scriptori Aerae Chriſtianae Seculi VI. Accedit & illud, quod ut modo dictum eſt, tum adhuc temporis adeo rudes, imperfectaeque Sinenſium erant Aſtronomicae obſervationes, ut parum fidere iis quiſquam poſſit, atque potius ſequiori aeſtimari ſub aetate ſupputatae debeant.

XXXV. Inſignis altera *Solis* Eclipſis in Sinis obſervata fertur, quae pleriſque ea viſa plane eſt, quae in Chriſti D. obitu contigit. Sed eadem Sinenſibus obſervata Aerae Chriſtianae anno 51, ideoque anno 20. circiter a Chriſti D. obitu Fourmontio dicitur. P.Coupletus viciſſim anno ipſo Chriſtianae Aerae, *Pim-ti*, Dynaſtiae v. *Han* Imperatoris XII, anno 1. *Lunae* v. die 1, ideſt Chriſti D. anno 1, Junii die 8. in Sinis *Solis* Eclipſim accidiſſe tradit apud Soucietum Obſervat. Mathem., Aſtron.

Aſtron. &c. T.I. p.25. Contra P. Gaubilius in Diſsert. ſingul. de Solis Eclipſi in Sinis obſervata Aerae Chriſtianae anno 31. inſerta Obſerv. &c. T.I. p. 163. ſqq. cum ex Hiſtoria Sinenſi, tum ex ejuſdem Hiſtoriae verſione Tartarica refert anno 7. *Quang-vou-ti*, aliis *Kovam-vou-ti* Imperatoris XVI, a quo Dynaſtia *Han* Chriſti anno 24, tyranno *Ti-hiven* expulſo, reſtaurata eſt, die *Quey-hai* poſtremo *Lunae* III, ſive Tartarice *Leporis albae* anno, die *Porci nigri*, inſignem *Solis* Eclipſim in Sinis fuiſse conſpicuam: e quibus omnibus *Anni*, *Lunae*, ac *Diei* characteribus Aerae Chriſtianae annum 31, ac diem 10. Maji deſignari oſtendit; indeque concludit perperam a Miſſionariis pleriſque, velut a P. Bouveto, aut cum *Eclipſi* confundi, quae in Chriſti D. obitu contigit, aut ab iſta diſtinguendam fore illam fruſtra contendi. Oſtendit nempe in Sinenſi Hiſtoria, ſive Tartarica, haud alterius ſane mentionem *Eclipſis* fieri, niſi hujus; atque hanc equidem diei obitus Chriſti D. haud eſse illigandam evincere hujus *Eclipſis* calculum ab ſe initum, juxta quem *Eclipſis* iſthaec anno Chriſti Domini 31. die 10. Maji hora 10. matutina minutis 33.′ 28.″ in Urbe *Caiſong-ſou* obſervata eſt, *Sole*, ac *Luna* exiſtentibus in *Tauri* gradu 16. 0.′ 28.″: quo anno *Paſcha* die 1. Aprilis circiter a Chriſto D. celebratum fuiſse adnotat eodem loci P. Soucietus. Neque vero argumentum *Eclipſim* hanc in Chriſti D. obitu contigiſse exiſtimandi inde capere licere admonet, quod in Hiſtoria Sinenſi dicatur *Eclipſis* haec indicium eſse obitus *Hominis Caeleſtis*. Nam juxta receptiſſimam Tartaris, ac Sinenſibus ſuperſtitionem, qua Caeleſtibus Phoenomenis actiones reſpondere humanas perſuaſum habent, notam illam fore accipiendam ſubjungit, atque ita ut verbis illis, cum *Eclipſi* alioqui praenuntiatis annos ante 600, viri *Principis* cujuſpiam fatum deſignatum fuerit.

XXXVI. Verum cum P. Coupleto *Eclipſim* hanc extraordinariam fuiſse, eamque dubio procul ipſam, quae in Chriſti D. obitu conſpicua fuit, a Sinenſibus ſuis in Annalibus notatam acerrime defendit Andreas Mullerus in Diſquiſit. de E.lipſi Paſſion. Chriſti. Contra Mullerum aſt enim poſt Bayerum in libro de Eclipſi Sinica, & in Commercio Sinico Miſcell. Berolin. T.V. p.187, poſtque Gaubilium loc. indic., *Ec-*

lipſim hanc ab illa diverſam ſuiſse contendit, oſtenditque Kirchius in Diſquiſ. de Solis Eclipſi hac in Sinis obſervata Miſcell. Berol. T.II. p.133.ſqq. In Annalibus nempe Sinicis *Eclipſis* notata duplex legitur. I.ª *Quang-vuti* anno 6, L*una* ix, die ultima, quam Aerae Chriſtianae anno 30, Novembris die 14.contigiſse obſervat. II.ª *Quang-vuti* anno 7, Cycli Sinici xlvi. anno 28, qui cum anno Chriſti 31. coincidit, velut etiam viderunt Bayerus, ac De Vignolius, L*una* iii. die ultimo conſpecta eſt: Nam Cycli xlvi. Sinici annus 28, ſive *Quang-vuti* annus 7, juxta Kalendarii Sinici regulas, incepit die 12. circiter Februarii anni Juliani Aerae Chriſtianae 31, Menſis ſecundi initium a die 13. Martii cepit, initium Menſis tertii ab Aprilis die 11, ac Menſis quarti initium a die 11. Maji; ideoque Maji dies 10. eſse debuit ultimus dies L*unae* iii. Itaque calculo inito ex Tabulis Rudolphinis invenit anno Chriſti 31. duo *Novilunia* Ecliptica contigiſse, unum die 9, aut 10. Maji, alterum die 2, aut 3. Novembris, atquepriorem *Eclipſim* hemiſphaerium terrae *Boreale*, poſteriorem autem hemiſphaerium *Auſtrale* potiſſimum affeciſse, per Praeceptum 138. Tabul. Rudolphin. Calculis adhaec prioris *Eclipſis* accurate diſpoſitis, ex iiſdem Tabulis ſe deprehendiſse ſubjungit copulam utriuſque L*uminaris* in aequali diſtantia a *Nodo* die 9. Maji hora 14. minutis 31.′ 58.″ temporis medii ſub Meridiano Uraniburgico; quo tempore locus *Solis*, & L*unae* fuit *Tauri* 16. 7.′ 58.″, maximam vero obſervationem factam fuiſse tempore medio die 9. Maji, hora 14. min. 29.′ 29.″; quo tempore locus L*unae* in orbita fuit *Tauri* 16. 6.′ 48.″, *Solis* locus *Tauri* 16. 7.′ 52.″, & locus ☊ Nodi, ♉ *Tauri* 11.′ 45.′ 50.″ *Arcus* inter centra ampliatus 24.′ 35.″ Semidiameter diſci *Terrae* 58.′ 44.″ Semidiameter *Lunae* 15.′ 5.″ Semidiameter *Solis* 15.′ 1.″ Semidiameter penumbrae *Lunae* 30.′ 36.″ Semidiameter umbrae L*unae* 0.′ 4.″ Horarius L*unae* a Sole verus ampliatus 28.′ 22.″ *Aequatio* Tychonica 9.′ 55.″ addenda ad tempus medium, ut fiat tempus adparens. Sub Meridiano itaque Uraniburgico Penumbra L*unae* diſcum Terrae primo attigit die 9. Maji, hora 11. min. 37.′ 45.″ poſt meridiem temporis Veri, ſeu adparentis; Centrum vero umbrae L*unae* Terrae diſcum intrare cepit die 10. Maji hora 0. min. 46.′ 36.″ ante meridiem. To-

ta

ta vero *Lunae* penumbra intra diſcum Terrae illapſa eſt Maji die 10. hora 2. min.10.′ 28.″ ante meridiem; medium obſcurationis Terrae contigit die 10. Maji hora 2. min. 39.′ 24.″ ante meridiem. Penumbra *Lunae* diſcum Terrae deſerere incepit Maji die 10. hora 3. min.8.′ 20.″ ante meridiem; Terrae diſcus ab umbra *Lunae* vera liberata eſt die 10. Maji hora 5. min.41.′ 3.″ ante meridiem: adeo ut tota *Eclipſis* duratio fuerit horarum 6. min.3.′ 18.″; mora umbrae *Lunae* horarum 3. min.45.′ 36.″; mora vero penumbrae hor.0. min.57.′ 52.″ Siquidem vero, juxta Recentiorum obſervationes, elevatio *Poli* Pekinenſis ſit graduum 39. min.54.′, ejuſque ideo differentia a Meridiano Uraniburgico ſit horarum 6. min. 55.′ verſus ortum, inde fit, ut *Eclipſis* hujus anni Chriſti 31. initium Pekini fuerit die 10. Maji hora 7. min.48.′ ante meridiem; maxima obſervatio digitorum 6. min.42.′ contigerit hora 8. min. 55.′; finis hora 10. min.19.′; ideoque tota duratio fuerit horarum 2. min.31.′, qua de ſatis jam, atque ſuper.

XXXVII. Ex omnibus porro *Solis* Eclipſibus a primis Imperii temporibus ad ſuam uſque aetatem in Sinis obſervatis, ſex dumtaxat ſupra viginti ab ſe ſupputatas Anno, Menſi, ac Diei a Sinenſibus Aſtronomis ſuis in Annalibus ſignatis revera reſpondiſſe fide adfirmat ſua Gaubilius Obſerv. Mathem., Aſtron., Chron., Geogr., Phyſic. &c. T.I. in Praefat. p.13: quamquam a Sinenſibus Aſtronomis ſuis paſſim in Obſervationibus neque horas, neque Stellarum loca, neque longitudines, neque latitudines, neque declinationes adnotari ſubjungit T.I. p.75, T.II. p.18, & T.III. p.235. ſqq.; quod ipſum confirmat P. Frigautius, a Sinenſibus ideſt computos Aſtronomicos per gradus dumtaxat, horis, ac minutis praeteritis, fieri, *Eclipſes* vero, annis, ac menſibus earumdem omiſſis, duratione, ac menſura adſignari conſueviſſe teſtatus. Auctor eſt Gaubilius ad haec in Aſtron. Sinen. Hiſtoria T.II. p.1. ſqq. poſt annum 480. Chriſtianam ante Aeram, (quo editus fertur *Tchun-tſiou*, celebris ideſt Faſtorum liber, de Tempore hoc eſt Verno, & Autumnali, in magna apud Sinenſes exiſtimatione, a queis ideo *Kings*, Sacris ideſt libris, adcenſitus eſt, & a *Confucio* dignus habitus, qui proprio illuſtraretur labore, Commentarioque

rioque digereretur), Aſtronomiae ſtudium apud Sinenſes parvi habitum fuiſſe, inque deſuetudinem ferme abiiſſe. Cui malo, & illud deinde acceſſit, quod *Chi-hoam-ti*, Dynaſtiae IV. *Tſin* Imperatoris IV, Chriſti ante natalem anno 246. circiter, juſſu libri cum Hiſtorici, tum Aſtronomici igne deleti ſunt. Quo perinde a tempore deperditum fuiſſe Arcanum *Hi*, & *Ho*, ideſt Aſtronomiae rationem omiſſam, quae pridem ab *Hoamti*, ac perinde a *Yao* tradita fuerat, in proverbium apud Sinenſes abiit, quo de Soucietus Obſerv. &c. T. III. p. 50. Donec ſub *Lieou-pang*, Dynaſtiae V. *Han* inſtitutore, Chriſtianam ante Aeram anno 206, Aſtronomiae reſtitui ſtudium occepit; ita tamen ut imperfectum valdequam manſerit uſque ad Jeſuitarum in Sinas adventum, e quibus Europaeo Aſtronomicae diſciplinae eò deportatae ſunt; atque ita ut ab anno 481. Chriſti ante natalem uſque ad Aerae Chriſtianae annum 1621. *Solis* Eclipſes in Sinis obſervatae, Eclipſeſque *Lunae* ibidem notatae ab anno 436, qui Chriſti natalem anteceſſit, uſque ad annum 1631, qui natalem Chriſti ſubſequutus eſt, turpiſſimis erroribus paſſim, vitiiſque laboraverint, ut auctor eſt locuples P. Gaubilius Obſervat. Mathem. &c. T. II. p. 114. ſqq., & T. III. Par. II. p. 235. ſqq. uſque ad finem.

XXXVIII. Quo prae aliis ex Auctore perinde, rei Sinico-Aſtronomicae prae aliis longe peritiſſimo, Sinicae rei Hiſtorico-Aſtronomico-Chronologicae incrementa, variaſque pro variis aetatibus Menſium, Annique rationes Cyclorum item, ac Periodorum varium, ac multiplicem uſum, breviori, quoad ejus fieri poterit, oratione comprehendere, quae ille omnino lato perſequitur calamo, mihi ſuſcipiam. Apud Sinenſes itaque jam ab aevo *Tiho-hang*, Dynaſtiae I. *Hia* Imperatore II, Chriſti ante natalem 2160. circiter Diem, ac Noctem ex aequo dividi, & ad *Lunae* curſum Menſes, ex diebus 30. tamen quemlibet conflatum, exigi conſueviſſe refert ex *Ovai-ki*, Sinenſi hoc eſt Hiſtoria Exotica, Goguetius de Orig. Leg., Art., & Scient. T. I. lib. 3. cap. 2. Art. 2. p. 218. Hodiedum a media Nocte diem Sinenſibus incipere ad mediam Noctem alteram; Menſes vero *Lunarum* I. II. III. IV. &c. numero recenſeri; Dies item dividi in Kè 100, Kè quodlibet in 100.', Kè 1.'

Kè 1.' in Kè 100." &c.; Kè vero aequalem minutis 14.' 24." noſtris eſſe admonet Gaubilius Obſer. T. II. p. 10. Sub eadem Dynaſtia 1. *Hia* Sinenſibus itidem *Solis* Periodum innotuiſſe, Annum ideſt *Solarem*, eumque diebus 365, horis 6. circiter conſtitiſſe, atque ita quidem, ut quaternus annus quilibet dierum 366, dictus ideo Sinice *Ki*, fieret; eumque ab uno *Solſtitio* Hyberno ad Hybernum *Solſtitium* alterum computare ſolemne fuiſſe, ita tamen, ut *Solaris* annus Aſtronomicus a *Solſtitio* inciperet Aeſtivo idem Auctor advertit Obſerv. T. II. p. 6. ſq. Gnomonum adhaec umbrarum ope *Poli* altitudinem, ac *Solis* declinationes, altitudineſque Meridionales obſervari Sinenſibus a principio, longoque poſt tempore conſueviſſe ſubjungit, rudi tamen adeo, indigeſtaque ratione uſque ad P. Adami Schal adventum, ut *Solis* Ecliptica divideretur in gradus 365, minuta 25.', graduſque quilibet in minuta 100.': quae ideo diviſio emendata a Jeſuitis eſt, non ſecus atque ipſorum Kalendarium ad Tychonis rationes exactum, reformatumque. Oppido vero falli notat P. Bouchetum, dum ab Indis *Eclipticam* in gradus 360, gradum vero quemlibet in minuta 60, ſicut ab Europaeis, diſtingui adfirmat, Obſerv. Math. T. I. in Praefat. p. 3. ſq., 9, 183. ſq., & T. II. p. 8. ſq. Aſtronomis namque Sinenſibus ab omni aevo cum *Zodiacum*, tum *Aequatorem* in partes aequas 24, dictas *Tſie-Ki*, diſtribui conſueviſſe, atque ex hiſce 24. deſignatis partibus 12, *Tchum-Ki* dictis, ſuum Menſium 12. *Lunarium* Annum diſtingui, adeoque ut, ſi ſpatio unius Menſis *Sol* ſignum unum, ſive ſpatium *Tchum-Ki* unum, haud abſolvat, Menſis ille dicatur *Jun*, hoc eſt *Intercalaris*, Annuſque habeat Menſes 13, dies 384, teſtis accedit idem Gaubilius in Epiſt. Pekini 3. Julii 1732. ad Bayerum data Miſcell. Berolin. T. V. p. 185. ſq., ſubjungens ex Signis, ſive *Tchum-Ki* 12. quatuor praecipua *Vernum* Aequinoctium dici *Tchum-fuen*, ac *Lunae* 2. adſignari; Solſtitium *Aeſtivum* adpellatum *Hia-tchi*, adfigi *Lunae* 5; Aequinoctium *Autumnale* denominari *Tſieou-feu*, atque *Lunae* 8. deputari; *Hybernum* Solſtitium denique *Tum-tchi* nominatum in *Lunam* 11, ſive Menſem conferri. Sed enim poſt Jeſuitarum in Sinas adventum didiciſſe tandem Sinenſes dividere Circulum in gradus 360, graduſque ſingulos in minuta 60.

&c.;

&c.;diem itidem in horas 24,horaſque ſingulas in minuta 60,horum vero quodlibet in minuta 60." &c.;atque diem integrum in *Ke* 96, & *Ke* quodlibet in *Ke* 15.' teſtis idem Gaubilius accedit Obſerv.Mathem.&c. T.III.Par.II. in Tract.de Aſtron.Sin.p.51. ſqq. Juxta haec itaque *Ke* 1. Sinenſe reſpondet minutis 14.' 24." noſtris; *Ke* 15. horae 1. minutis 12.', & *Ke* 100. horis 24. Antequam autem Circulus Sinenſis noſtro graduum 360. aequalis redderetur, atque tum adhuc divideretur in gradus 365, minuta 25.', tunc gradus 1. Sinicus reſpondebat gradui 0, minutis 59.' 8." 15.‴ 18.⁗ Europaeis,& gradus 100. Sinici gradibus 98. 33.' 45." 30.‴ noſtris.

XXXIX. A prima etiam Imperii aetate poſt *Yao* Cyclum geminum cum Dierum LX, tum Annorum totidem LX. uſu Sinenſibus fuiſſe ſolemni obſervat Soucietus Obſerv.T.I. p.27.ſq., ubi utriuſque ſchema exhibet, non ſecus atque huicce ſimile alterum Moreri Dict. Hiſt.T.II.p.451.ſq. Cyclo ejuſmodi ſuum, anno cuique, & cuique diei nomen ineſt, duobus characteribus expreſſum, qui litterae ideo *Cyclicae* denominantur: queis de paullo infra, non ſecus atque de iſti ſimili apud Japonios jamdiu uſurpato. Atqui ſequiori nonniſi ſub aetate rite ad Aſtronomicas uterque Cyclus exactus fuiſſe rationes videri poteſt, veluti pluribus oſtenſum paullo ſupra dedimus. Anno porro apud Sinenſes diverſa aetatibus diverſis indita nomina leguntur in *Eul-ya*, antiquiſſimo ideſt Dictionario, quod ante Dynaſtiam V. *Han* elaboratum fertur, cujuſque fragmenta collegit P. Gaubilius in Tract. de Aſtron. Sinen. ſect. 9. Obſerv. T. III. p.30.ſq. Ita namque ante Dynaſtiam I. *Hia*, ſub *Yao*, & *Chun* Annus dicebatur *Tſay*. Sub Dynaſtia I. *Hia* deinde Anno *Souy* nomen adſcriptum eſt, de *Jovis* nempe vocabulo ſic expreſſo, cujuſce rei cauſſa fuit, quod anno quolibet *Jupiter* Signa XII. Zodiaci percurrere crederetur. Sub Dynaſtia II. *Chang* denominari Annus *Se* cepit, eodem nempe charactere denotatus, quo deſignari oblationes, & Sacrificia ſolebant, quae ſtatis quatuor anni temporibus uſu celebratiſſima venerant. Sub Dynaſtia III. *Tcheou* denique Annus *Nien* adpellari cepit: hodie vero ſuum cuique anno nomen inditum eſt, duobus characteribus, qui litterae *Cyclicae* ideo dicuntur, expreſſum, veluti modo dicebam, quarum litterarum exemplar videre eſt apud Gau-

Gaubilium Obſerv. T. I. p. 27, & T. II. p. 176. ſq. Anni principium, quod attinet, ipſis *Tchun-bio* nuncupatum, a die 1. *Lunae* proximioris *Solis* ingreſſui in gradum 15. *Aquarii* Sinenſes ſub Dynaſtia 11. *Chang* auſpicari ſolebant; atque *Vernum* tempus a die incipere, quo *Sol* in eumdem gradum 15. *Aquarii* ingreditur: quod *Veris* initium *Li-tchum* ipſis denominatur, Obſerv. T. I. p. 182. ſqq.; atque ſic *Aeſtati* exordium a *Tauri* gradu 15. fit; *Autumno* a gradu 15. *Leonis*; atque *hyemi* ſimiliter a *Scorpii* gradu 15. Aſt enim rationem Anni, annique tempeſtates inchoandi Sinenſibus eamdem haud ſemper conſtitiſſe multis fit manifeſtum. Namque cum primo ſub Dynaſtia 1. *Hia*, tum poſt Dynaſtiae v. *Han* aetatem, *Luna*, quae hodie decima illis habetur, prima computabatur proximior *Solis* in gradum 15. *Piſcium* ingreſſui; dies vero primus *Lunae* is cenſebatur, ſicut hodiedum, quo cum *Sole* conjunctio ſit, adeo ut ſi conjunctio fiat Veſpere, media nox ſequens dies 2. *Lunae* cenſeatur; atque Luna ſecunda ea putabatur, qua *Sol* ingreditur in *Arietem*, & ita deinceps; atque ita plane, ut Anni principium cum die prima *Lunae*, quae nunc decima eſt, tunc vero prima, auſpicari ſolerent. Cum autem intra *Lunaris* periodi ſpatium nullum *Sol* Zodiaci ſignum attingit, tum *Luna* dicitur *Jun*, hoc eſt *Intercalaris*, tumque Annus *Lunationibus* XIII. conſtat, uti ſuperius dictum eſt. Sub Dynaſtia v. *Han* attamen *Luna* IX. *Intercalaris* erat, quae hodie XIII. eſt, Obſerv. T. II. p. 4. Porro ſub Dynaſtia I. *Hia*, & II. *Chang* apud Sinenſes an *Intercalatio* jam obtineret, in obſcuro latet, quam ſub Dynaſtia v. *Han* uſu demum veniſſe veri ſit valdequam ſimile; atque ita quidem, ut *Lunares* intercalari Anni III. VI. IX. XI. XIV. XVII. XIX. ſolerent. Cujuſmodi *Intercalationis* ratio a Metonis *Enneadecaëteride* in eo differebat dumtaxat, quod loco IX, juxta Metonem annus VIII. intercalatur. *Lunae* itaque curſum tam *Periodicum*, quam *Synodicum* perſpectum habebant; Cyclum *Decemnovennalem* item, Menſium vero *Lunarium* 365: queis de P. Soucietus Obſerv. T. II. p. 4. ſq., ac PP. Kogler, & Pereyra in epiſt. ad Bayerum Miſcell. Berolin. *T*. V. p. 190. ſq.

XL. Praeter hunc vero Cyclum XIX, ſub eadem Dynaſtia v. *Han*, binae uſu Periodi apud Sinenſes venerant, altera

P. I. T. II. Ooo *Tong*,

Tong, ideſt *Prima* dicta, annorum 1539, ex Cyclo xix. repetito vicibus 81. conflata; *Tuen* altera, hoc eſt *Origo*, conſtabat annis 4617, ex Cyclo xix. vicibus 243. in ſe ducto compoſita, ſive ex tribus *Tong* coaleſcens, ideſt annis 1539. ter repetitis, apud Soucietum Obſerv. Mathem., Aſtron. &c. T. II. p. 13; qua Periodo *Tuen* elapſa, *Solem* demum, ac *Lunam* ad idem, unde deflexerant, regredi punctum arcte Sinenſibus erat perſuaſum. Ex Periodo *Tuen* rurſus, ſive annis 4617. vicibus 31. reproductis fiebat Periodus altera conſtans annis 143127: quibus evolutis, tum etiam *Planetas* omnes ad idem reflectere punctum, e quo digreſſi fuerant, Sinenſes imaginabantur. Atque Periodis utique his, erroribus alioqui refertiſſimis, e queis anſam perinde Sinenſes, Aegyptiorum, Chaldaeorum, ac Indorum vulgo inſtar, arripuere comminiſcendi Mundum a multis jamdiu annorum myriadibus conditum, uti ſuper. §. 3. obſervatum eſt obiter, eoſdem uſos ad annum uſque Chriſtianae Aerae 1280. admonet Gaubilius Obſerv. T. II. p. 16. ſq. Imperante *Tchang-ti* in ejuſdem Dynaſtiae v. *Han* Orientalis, *Tong-Han* dictae, ſerie iii, Aerae Chriſtianae anno 85, ab Aſtronomo *Lifang* haud ignobili novo elucubrato *Sse-fen*, Kalendario ideſt quatuor conſtante partibus, in quot nempe dividi ſolebat dies, Cyclus xix, multis antea obnoxius erroribus, emendatus eſt, confectuſque Cyclus Annorum lxxvi. alter, *Pou* dictus, ex Cyclo xix. nempe quater repetito. Quae ipſiſſima eſt Periodus *Calippi* ex quatuor *Enneadecaeteridibus* Metonicis compoſita: quibus elapſis *Solem* demum, ac *Lunam* ad idem, a quo digreſſi fuerant, Jugi, ſive Conjunctionis punctum regredi perſuaſum ille habebat. Ex *Pou* adhaec, ſive Cyclo lxxvi. vigeſies repetito Periodus altera, *Ki* dicta, annorum 1520. efficta eſt: quibus evolutis tam *Sol*, & *Luna* ad idem regredi punctum, quam Cyclus dierum lx. ad eamdem quoque regredi diem putabantur. Tertiam praeterea Periodum *Tuen* quoque denominatam, ex tribus *Ki*, hoc eſt annis 4560. ideo confictam, idem *Li-fang* excogitaſſe fertur: quibus elapſis *Solem*, & *Lunam* ad idem reverti punctum, & ad eamdem diem Cyclum lx. dierum, ad eumdemque annum Cyclum lx. annorum etiam regredi perſuaſum illi fuerat, apud Gaubilium Obſerv. &c. T. II. p. 20.

p.20. ſqq. Poſt Dynaſtiam v. *Han* denique ad hanc uſque diem Anni *Civilis* initium Sinenſes auſpicari a die 1. *Lunae*, qua decurrente, *Sol* in gradum 15. *Piſcium* ingreditur, atque ita quatuor *Zodiaci* Cardinalia, uti vocant, puncta ſtatui, ut *Hybernum* Solſtitium, *Tſie-Ki* dictum, *Lunae* xi, Solſtitium *Aeſtivum*, denominatum *Li-bia*, *Lunae* v, *Vernum* Aequinoctium, *Li-tchun* vocatum, *Lunae* 11, & Aequinoctium *Autumnale*, dictum *Li-tſieou*, *Lunae* viii. adſtringantur; *Luna* xiii. vero, *Intercalaris* ideſt, habeatur, cujus intra ſpatium nullum a *Sole* attingitur Signum, idem Gaubilius advertit Obſerv. Mathem. &c. T. II. p. 138.

XLI. Sub Dynaſtia vii. *Tſin*, Aerae Chriſtianae Seculo III, & IV. haud meliori ſane Aſtronomicis peragendis obſervationibus methodo Sinenſes adhuc uſos; neque Conſtellationum prius xxvii, poſtinde xxviii. latitudines, ac declinationes ab eiſdem deſignari conſueviſſe oſtendit Gaubilius Obſ. T. II. p.43. ſqq. Tum autem primum ab *Ho-ching-tien* Aſtronomo Sinenſibus celebri anno Chriſti 442. ope gnominis, umbris nempe Meridianis ante, poſtque *Solſtitium* Hybernum obſervatis, ac inter ſe ſe comparatis, idem *Solſtitium* eodem Chriſti anno 442. diei 20. Decembris horae 2. matutinae, ac minutis 37. adfixum fuiſſe, locumque eidem *Solſtitio* adſignatum inter gradus 13, & 14. Conſtellationis viii. *Teou*, quae *Capricorno* noſtro reſpondet, reſpectu Zodiaci, referre Gaubilius pergit loc. cit. p 47. ſqq. Quae tamen *Solſtitii* Hyberni ſupputatio, ceu erroribus haud ſane carens, a *Tſou-tcong* Aſtronomo, ſub eadem tempeſtate altera haud ignobili, reprobata traditur ibid. p.51. ſqq. Juxta *Tſou-tcong* itaque methodum a *Li-ye-bin* deinde ſub Dynaſtia x. *Leang*, Chriſti annum circa 530, binam Periodum annorum *Solarium* 505. ex Cyclo xix. vicibus 26. repetito, & annis 11. compoſitam unam, alteramque annorum item *Solarium* 562. ex eodem Cyclo xix. repetito vicibus 29, anniſque 11. item conflatam fuiſſe perhibet Gaubilius Obſerv. &c. T.II. p.56. ſqq. Ad haec ſub Dynaſtia xii. *Souy*, Chriſtianae Aerae Seculo VI, & VII. quatuor aliae Sinenſibus ab Aſtronomis excogitatae feruntur Periodi, una annorum 619. a *Meng-pin*; annorum 119. altera ab *Hia-tſun*; tertia annorum 676.

a *Lieou-tcho*; & annorum 410. quarta a *Ticheou-hiuen*, pro ſupputandis nempe *Noviluniis*, ac *Pleniluniis*: cui tamen praeſtando muneri Periodos illas valdequam impares omnes oſtendit Gaubilius cit. T. II. p. 63. ſqq. Sub Dynaſtia XIII. *Tang*, Aerae Chriſtianae Seculo VII, & VIII. ideſt, ab *Y-hang* Aſtronomo haud ignobili *Solſtitium* Hybernum anno 618. fixum diei 19. Decembris, horae 3, minutis 21.' poſt Meridiem fertur. Quod perinde anno 727. diei 18. Decembris, horae 5, minutis 18.'; anno 980. diei 16. Decembris, horae 3, minutis 7.' poſt Meridiem; anno 1198. diei 15. Decembris, horae 4, minutis 4.' poſt mediam Noctem; anno 1280. diei 14. Decembris horae 1, minutis 26.' 24." poſt mediam Noctem illigatum fuiſſe traditur. Eadem ſub aetate ab Advenis, (Syro-Neſtorianis nempe tum Sinas appulſis), Cyclum XXVIII. *Solarem* inlatum fuiſſe adnotat Gaubilius Obſerv. &c. T. II. p. 71. ſqq.; ſed *Y-hang* Aſtronomicas obſervationes erroribus ſcatere multis oſtendit p. 81. ſqq. Verbo. Ab anno 104. Chriſtianam ante Aeram, a Dynaſtia V. *Han* ideſt, uſque ad Aerae Chriſtianae annum 1280, ad Dynaſtiam XX. *Yuen* hoc eſt, Tartaricam I, vicibus duabus ſupra viginti Sinenſium Annus *Solaris*, ac Menſes tum *Synodici*, tum *Anomaliſtici*, tum *Draconitici* admodum variaſſe intelliguntur ex Tabula eorum expanſa, quam ſaepe laudatus P. Gaubilius exhibet Obſerv. Mathem., Aſtron. &c. T. III. p. 97. Sub Dynaſtia XX. *Yuen* poſtinde, Aerae Chriſtianae Seculo XIII, Annus *Solaris* cenſeri Sinenſibus cepit dierum 365, *Kè* 24. 35.' 94."; Menſis *Synodicus* dierum 29, *Kè* 53. 5.' 92." 7.'''; Menſis *Anomaliſticus* dierum 27, *Kè* 55. 46.' 8."; Menſis *Draconiticus* dierum 27, *Kè* 21. 22.' 24." apud eumdem Obſ. T. II. p. 104. Sed enim Menſium, Annique ſupputationem a Syro-Neſtorianis Aerae Chriſtianae Seculo VII. in Sinas invectam, longe prae Sinica, in pretio habitam idem refert, quam etiam ibidem exhibet p. 125. ſqq.

XLII. Putandis itaque, qua meliori fieri ratione potuiſſet, tum Annis, tum Menſibus, tum Diebus varios excogitatos variis temporibus fuiſſe Cyclos jam ſuperius indicavimus. Prae ceteris tergeminos Sinenſibus uſu celebriores veniſſe Cyclos *Xàu-ven*, *Chùm-ven*, & *Hia-ven* adpellatos, nec non Pe-

Digitized by Google

Periodum inductam deinde annorum decem mille *Ven*, unde Anni *Venni*, ac Periodus *Venna* nomen induere, memorat ex Monumentis Sinicis p. 10. Abdalla Beidavus Perſa Scriptor in *Nedham al-Tavarick*, Hiſtória generali nempe, Latinè, & Perſice edita a Mullero in Baſilicon Sinenſi. In quatuor vero Cyclos Sinenſibus uſurpatos magis diſtinguendos fore viſum eſt P. Gaubilio in Adpend. ad Hiſt. Aſtron. Sinen. T. II. p. 135. ſqq.; quorum & mentionem fieri in libro *Sù-chi-tum-kien*, hoc eſt in Annalibus *Sù-ma-kudm* celebris inter Sinenſes Aerae Chriſtianae Seculi X. Hiſtorici adnotavit etiam Fourmontius in Reflex. Crit. ad Hiſt. Vet. Popul. T. II. p. 424. Primus itaque Cyclus, *Sun* dictus, Characteribus X, *Kan* vocatis, conſtat; decem vero *Kan* hi nominibus *Colorum* X. itidem exprimi ſolent: cujuſce Cycli dimidio multiplicato, ideſt quinque per 12. productis, efficitur Cyclus dierum LX. Cujus ecce tibi ſpecimen ex Annalibus Sinen., ideſt Cycli LXI. Sinici anno 47, qui fuit Aerae Chriſtianae annus 950, quove Dynaſtia XVII. *Heou-han* extincta, Dynaſtia XVIII. *Heou-tcheou* ſubrogata eſt, decerptum ab Alphonſo DeVignolio, exhibitumque in Diſquiſit. de Cyclis Sinen. §. 4. Miſcell. Berolin. T. IV. p. 40. ſq., indeque huc translatum.

CYC-

CYCLUS SINENSIS

MENSIUM II, SIVE DIERUM LX.

MENSIS XI.		MEMSIS XII.	
1. In—kia—sú ☉ ☽	XXXI.	1. In—kia—ù	XXXI.
2. Yi—Cheù	II.	2. Yí—ui	XXXII.
3. Ping—yin	III.	3. Ping—xin	XXXIII.
4. Ting—mao	IV.	4. Ting—yeù	XXXIV.
5. Vù—xin	V.	5. Vù—ſio	XXXV.
6. Ki—sù	VI.	6. Ki—hai	XXXVI.
7. Ken—ù	VII.	7. Ken—sù	XXXVII.
8. Sin—ui	VIII.	8. Sin—cheù	XXXVIII.
9. Gin—xin	IX.	9. Gin—yin	XXXIX.
10. Quey—yeù	X.	10. Quey—mao	XL.
11. Kia—ſio	XI.	11. Kia—xin	XLI.
12. Yì—hai	XII.	12. Yi—sù	XLII.
13. Ping—sú	XIII.	13. Ping—ù	XLIII.
14. Ting—cheù	XIV.	14. Ting—ui	XLIV.
15. Vú—yin	XV.	15. Yù—xin	XLV.
16. Ki—mao	XVI.	16. Ki—yeù	XLVI.
17. Ken—xin	XVII.	17. Ken—ſio	XLVII.
18. Sin—ſu	XVIII.	18. Sin—hai	XLVIII.
19. Gin—ú	XIX.	19. Gin—sù	XLIX.
20. Quey—vi	XX.	20. Quey—cheù	L.
21. Kia—xin	XXI.	21. Kia—yin	LI.
22. Yi—yeu	XXII.	22. Yi—mao	LII.
23. Ping—ſio	XXIII.	23. Ping—xin	LIII.
24. Ting—hai	XXIV.	24. Ting—ſu	LIV.
25. Vù—sù	XXV.	25. Vu—u	LV.
26. Ki—cheù	XXVI.	26. Ki—ui	LVI.
27. Ken—yin	XXVII.	27. Ken—xin	LVII.
28. Sin—mao	XXVIII.	28. Sin—yeù	LVIII.
29. Gin—xin	XXIX.	29. Gen—ſio	LIX.
30. Quey—sù	XXX.	30. Quey—hai	LX.

XLIII. Ut

XLIII. Ut vides, Cyclus hic *Bimeſtris*, ſive Dierum LX, incepit a *Kia-sù*, ideſt a Cycli die 1, *Solis* Eclipſi nobilitata, deſiitque cum anno 47. Cycli LXI, die 59, *Gen-ſio* dicta, adeo ut dies 60, *Quey-hai* dicta ſit anni 47. poſtrema, annique 48. ſequentis prima. Obſervat autem ibidem DeVignolius apud Sinenſes haud ſemper primum anni diem cum Cycli LX. die incipere, veluti Trigautio viſum fuerat, atque ſingulis annis numeros adjungi dierum illius anni, qui plerumque diebus 5, aut 6. a Cyclo ſexto ſexagenario deficiunt, aliquandoque ſexagenarium ſextum Cyclum diebus 24. ſuperant. Ita anni 40. dies 1. dicitur *Sin-sù* in Kalendario Sinico apud Bayerum, qui dies *Sin-sù* eſt 18. in Cyclo LX. dierum. Huic anno 40. dierum 355. deficiunt dies 5. ad Cyclum explendum, qui deducti a 18. relinquunt 13, qui eſt *Ping-sù* primus inſequentis anni 41. Qui rurſus annus 41. dies habet 384, ideoque ſex Cyclos ſexagenarios ſuperat diebus 24, qui additi diebus 13. ſupradictis, efficiunt 37, qui eſt dies *Ken-sù* in Cyclo dierum LX, a quo die ſequens annus 42. aperietur. Videndus idem DeVignolius in Supplem. ad Diſquiſit. de Cyclis Sinenſ. Miſcell. Berol. T. V. p. 8. ſq. Atqui falſum eſt oppido, quod Vir doctus adfirmat ab ſe primo Cyclum LX. dierum ejuſmodi fuiſſe expoſitum, quippe quem a P. Gaubilio Obſerv. Mathem. &c. T. II. p. 183. explanatum conſpicere licet. In eo laude tamen dignum ſe praeſtitit DeVignolius loc. cit. §. 5. ſqq. p. 42. ſqq., quod Sinenſes Cyclos cum Periodo *Juliana* componere ſtuduit; atque ita quidem, ut Cycli LX. dierum cardine probabiliter ducto a biduo ante Periodi *Julianae* annum 3592, quo Dynaſtiae III. *Tcheou* Imperator I. *Vou-vam*, juxta ipſum, regnare cepit anno 16. Cycli XXVII, Chriſti ante natalem anno 1122, a *Novilunio* proximo *Solſtitio* Hyemali antecedenti, quod Pekini contigiſſe die 20. Decembris, motu vero medio poſt Meridiem hora 5. min. 9.', *Sole* in gradu 28. min. 7.' *Sagittarii* exiſtente, ex Tabulis Rodulphinis oſtendit, ideoque Novilunium *Civile*, ac primum Imperatoris *Vou-vam* annum incepiſſe die 30. Decembris, biduo ante Periodi Julianae annum 3592, Chriſtianam ante Aeram 1122, inde conficiat, quod Cyclus LX. dierum novus incipere debuerit a Kalendis Januariis Periodi *Julianae* anno 3603, poſt *Julia-*

lianos vero annos 80. Cycli LX. dierum alter in eumdem iterum diem *Julianum* recurrere, recurrereque in eumdem rurſus *Julianum* diem poſt *Julianas* Periodos annorum 80, ſive poſt Cyclos Sinenſes quatuor annorum ſexagenarios, ideſt poſt *Julianos* annos 240. debeat. Unde novam *Juliano-Sinicam* efformandi Periodum annorum 240, (qua geminata Periodus conficitur *Canicularis Minor* Aegyptiaca annorum 480.), occaſionem nactus Vir doctiſſ. eſt; qua nempe completa dies 1. Cycli dierum LX. in eamdem denuo Periodi *Julianae* diem recurrit.

XLIV. Secundus apud Sinenſes Cyclus Characteribus XII, ſive Litteris, *Tchi* denominatis, componitur, ac *Tchi* XII. totidem Animalium XII. nomina reſpondent; atque numerandis tum *Annis* XII, tum *Lunis* XII, tum *Diebus* XII. Cyclus iſte inſervit; notandis item *Horis* XII. diei, ac noctis; itidemque *Signis* XII. *Zodiaci* adhibetur. Sicuti vero *Anni* XII. nominibus *Animalium* XII, ita Menſes *Lunares* XII. nominibus Inſtrumentorum XII. *Muſicorum* deſignari ſolent. Ita vero in Cyclo LX. Menſes XII. diſtribui Sinenſibus etiam ſolent, ut intra quinquennium praeciſe revolvantur omnes: nam duodecim quinquies ſumpti Menſes, ſexaginta conficiunt. Epocha vero Cycli hujuſce *Quinquennalis* deſumitur ab anno 1. Cycli LX. annorum a *Solſtitio* Hyberno incipiente, ac ſic deinceps ab aliis quodlibet poſt *Quinquennium* ſubſequentibus; cujuſmodi ſunt Anni I. VI. XI. XVI. XXI. XXVI. XXXI. XXXVI. XLI. XLVI. LI. LVI. Indeque fit, ut Menſes alium inter ſe ſe, aliumque in Cyclo LX. annorum ordinem habeant, adeout qui Menſis 1. eſt anni *Civilis* e. g. in Cyclo ſit XIII, aut LX. demum, ſeu ultimus: qua de re multa diſputat DeVignolius de Cyclis Sinenſ. §. 3. Miſcell. Berolin. T. IV. p. 30. ſqq., & Supplem. ad Diſquiſ. de Cyclis Sin. Miſcell. Berolin. T. V. p. 1. ſqq.; quo loci p. 6. obſervat in Cyclo LX. numeros Cyclicos Menſibus adpoſitos duodenario inter ſe diſtare numero, quot ideſt ſunt Menſes in quolibet anno, veluti ſunt III. XV. XXVII. XXXIX. LI. Cycli jam vero *Kan* X, *Horarum* XII, *Dierum* XII, *Tchi* XII, *Animalium* XII, Annorum XII, Menſium *Lunarium* XII, ac Signorum XII. *Zodiaci* quinam ſint apud Sinenſes ex adpoſito diſcere Laterculo a Gaubilio deſcripto licebit.

Cyc.

Digitized by Google

Cyclus Kan X.

I. Kia. II. Y. III. Ping. VI. Ting. V. Voü.

VI. Ki. VII. Keng. VIII. Sin. IX. Gin. X. Quey.

Cyclus Horarum XII.

I. Ab Hora 11. ad Horam 1. poſt mediam Noctem; II. ab Hora 1. ad Horam 3. III. Ab Hora 3. ad Horam 5. IV. Ab Hora 5. ad Horam 7. V. Ab. Hora 7. ad Horam 9. VI. Ab Hora 9. ad Horam 10. VII. Ab Hora 11. ad Horam 1. poſt Meridiem. VIII. Ab Hora 1. ad Horam 3. IX. Ab Hora 3. ad Horam 5. X. Ab Hora 5. ad Horam 7. XI. Ab Hora 7. ad Horam 9. XII. Ab Hora 9. ad Horam 11.

Cyclus Dierum XII. Anni 1726. Decembris.

V. VI. VII. VIII. IX. X. XI. XII. XIII. XIV. XV. XVI.

Cyclus Tchi XII.

I. Tſe. II. Tcheou. III. In. IV. Mao. V. Chin. VI. Se.

VI. Ou. VIII. Ouey. IX. Chin. X. Yeou. XI. Su. XII. Hay.

Cyclus Animalium XII, & Annorum XII.

I. Choù. *Mus* 1720. II. Nieoù. *Bos* 1721. III. Hoù. *Tigris* 1722. IV. Toù. *Lepus* 1723.

V. Long. *Draco* 1724. VI. Che. *Serpens* 1725. VII. Ma. *Equus* 1726. VIII. Yang. *Aries* 1727.

IX. Heoù. *Simia* 1728. X. Ki. *Gallus* 1729. XI. Keou. *Canis* 1730. XII. Tchoù. *Sus* 1731.

Menſes XII. Lunares

I. Meng-Tchun. II. Tchong-Tchun. III Ki-Tchun.
IV. Meng-Hia. V. Tchong-Hia. VI. Ki-Hia.
VII. Meng-Tſieoù. VIII. Tchong-Tſieoù. IX. Ki-Tſieou.
X. Meng-Tong. XI. Tchong-Tong. XII. Ki-Tong.

Cyclus Menſium XII. Lunarium.

I. Tai-Tſoù. 1. *Veris*. II. Kia-Tchong. 2. *Veris*.
III. Coù Sien. 3. *Veris*. IV. Tchong-Lu 1. *Aeſtatis*.
V. Youy-Ping. 2. *Aeſtatis*. VI. Lin-Tcong. 3. *Aeſtatis*.
VII. Y-Tſe. 1. *Autumni*. VIII. Nan-L u. 2. *Autumni*.
IX. Voù-y. 3. *Autumni*. X. Ying-Tchong. 1. *Hyemis*.
XI. Hoang-Tchong. 2. *Hyemis*. XII. Ta-Lu. 3. *Hyemis*.

Signa XII. Zodiaci

I. ♒ Aquarius. II. ♑ Capricornus. III. ♐ Sagittarius.
IV. ♏ Scorpius. V. ♎ Libra. VI. ♍ Virgo.
VII. ♌ Leo. VIII. ♋ Cancer. IX. ♊ Gemini.
X. ♉ Taurus. XI. ♈ Aries. XII. ♓ Piſces.

XLV. Ab omni ſane aevo Sinenſibus Aſtronomis tam *Zodiacum*, quam *Aequatorem*, immobilem in partes XXIV, *Tſie-hi* adpellatas, dividi conſueviſſe obſervat Bayerus in Aſtronomia Sinica, & in Commercio Sinico in Excerptis ex Epiſtola I. P. Gaubilii ad ipſum Miſcell. Berolin. T. V. p. 185. ſqq. Ex hiſce vero *Tſie-ki* XXIV. Partes XII. *Tchum-ki* adſumptae ſunt pro Anno Menſium XII. *Lunarium* diſtinguendo, adeo tamen ut, ſi unius ſpatio Menſis *Sol* unum aliquod ex *Tchum-ki*, ideſt *Za-*

Zodiaci Signum, haud percurriſſet, tum Menſis ille *Jun* eſſet, ſive *Intercalaris* fieret, Annuſque haberet Menſus XIII, ac dies 384. Ex hiſce vero *Tchum-ki* XII. praecipua ſunt quatuor, quae ſunt quatuor Anni cardines, ſcilicet *Tchum-fuen*, Vernum *Aequinoctium*, quod fit in *Luna* 2; *Hia-tchi*, Aeſtivum *Solſtitium*, quod fit in *Luna* 5; *Tſieou-feu*, Autumnale *Aequinoctium*, quod fit in *Luna* 8; *Tum-tchi*, Hybernum *Solſtitium*, quod fit in *Luna* 11; uti ſuperius jam dictum eſt. Sinenſis *Tchum-ki* porro media pars eſt unius ex Signis *Zodiaci* noſtris, adeo ut *Tchum-ki* XXIV, ſive Anni Partes XXIV, tam *Zodiaci* Signis XII, quam Anni *Juliani* Menſibus XII. reſpondeant, ordine ſequenti a Joh. Alberto Fabricio in Menologio p.151. deſcripto, ſingulis *Tchum-ki* denominatione a quatuor Anni tempeſtatibus, pluviis, aeris mutationibus, terrae floribus, ac fructibus, calore, frigore &c. indita.

CYCLUS

TCHUM-KI SINENSIUM XXIV,

SIVE MENSIUM XII. PARTITIO IN PARTES XXIV.

1. Lie—chun	Martius.	13. Lieù—tſieù	September.
2. Yù—shui		14. Tchù—shù	
3. King—tche	Aprilis.	15. Pe—lù	October.
4. Tching—fuen		16. Tſieou—fuen	
5. Tching—Meng	Majus.	17. Han—lù	November.
6. Tſo—yù		18. Shoang—kiang	
7. Lie—hia	Junius.	19. Lie—tung	December.
8. Siao—muon		20. Siao—ſive	
9. Meng—chun	Julius.	21. Ta—ſive	Januarius.
10. Hia—chi		22. Tung—ki	
11. Siaò—shù	Auguſtus.	23. Siao—han	Februarius.
12. Ta—shù		24. Ta—han	

XLVI. Menſes porro, uti ſuperius innui, ſive Anni partes, in quibus nullum *Sol Z*odiaci Signum ingreditur, qui ideo

Jun dicuntur, ac *Intercalares* ſunt, ut ex Epiſtola Koegleri, Pereyrae, ac Slaviceki Soc. J. in Sinis Miſſion. docet Bayerus in Commercio Sinico Miſcell. Berolin. T.V. p.188. ſq., ſunt ſequentes. Anni III. Menſis 5; Anni VI. Menſis 3; Anni VIII. Menſis 8; Anni XI. Menſis 6; Anni XIV. Menſis 4; Anni XVII. Menſis 3; Anni XIX. Menſis 7. Quem tamen ordinem perpetuum eſſe nequire obſervat, ſicuti neque in Cyclo *Tchum-ki* Sinenſi Anni partes, haud eaedem ſemper Anni *Juliani* Menſibus reſpondent. Cyclum adhaec Sinicum XIX, juxta quem *Intercalares* modo deſignati ſunt Anni, a *Metonico* haud differre, ſed hunc ad Indos, poſt *Alexandri M.* Indicam expeditionem, tam ſub Praefectis Macedonicis, quam ſub *Theodoto* I, & II, *Eutidemo* Magneſio, *Eucratide*, aliiſque Graecis Bactrianae, & Sogdianae Regibus, atque ſub *Menandro*, & *Apollodoro* facile permeaſſe ſuſpicatus eſt Bayerus. Quo loci p. 190. ſqq. viri doctiſſ. ſuſpicionem hancce confirmant PP. Koeglerus, ac Pereyra, Cyclum *Metonicum* in Sinas fuiſſe delatum opinati ſub Imperatore V. *Hia-vù-ti*, Dynaſtiae V. *Han*, qui Chriſti ante natalem anno 140. imperium auſpicatus eſt, a quo utpote exterarum linguarum, rerumque periti in Sinas accerſiti leguntur; regnique anno 37. ante Chriſtianam Aeram 140, ſolemni Edicto tam Anni *Sinici* forma, & initium, (integro trimeſtri jam ab annis 117. anticipatum), ad morem ſub Dynaſtia I. *Hia* uſitatum fuiſſe redactum fertur; quam novum etiam Kalendarium, *Tai-cù* nuncupatum, inſtitutum fuiſſe, propagatumque. Tertius Cyclus adhaec Characteribus XXVIII. apud Sinenſes deſignari ſolet, hiſque ideſt *Zodiaci* Conſtellationes XXVIII. denotari: quarum qualibet dierum 28. quilibet dies deſcribi ſolet; non ſecus atque ſeptem *Planetae* ſinguli quatuor inſigniri *Conſtellationum* Characteribus ſolent, qui noſtri plane Cycli *Solaris* numeris reſpondent. Siquidem itaque ſingulis Hebdomadae diebus una ex *Conſtellationibus* uno cum *Planetarum* ab iis componatur, inde ſit, ut quatuor illi *Conſtellationum* Characteres, qui *Soli* adfixi ſunt, perpetuo in *Dominicam* incidant diem; quatuor *Lunae* addicti, in Feriam II. incidant; quatuor *Marti* in Feriam III, atque ita de reliquis. Dixi *Perpetuo*: ſiquidem apud Sinenſes *Intercalaris* dies inſeratur nullus, ipſaeque

Digitized by Google

que *Conſtellationes* ſint quaternae, evolutoque *Conſtellationum* numero a capite ex integro inchoetur, á prima ideſt; ipſi quoque Hebdomadum dies, pro *Planetarum* numero, ſeptem perpetuo ſiquidem decurrant, inde fit, ut quatuor illi *Conſtellationum* Characteres, ſingulis adſcripti *Planetis*, in unam, eamdemque ſemper diem incurrant. Quandoquidem vero Characteres hi diebus ſingulis adfixi in Faſtis Sinenſibus reperiantur, fit inde demum, ut dies anni ſinguli ex hiſce dignoſci Characteribus in eiſdem Faſtis queant. Conferendus Seldenus de Jure Nat., & Gent. juxta Diſcipl. Hebr. lib.3. cap.22. p.464. ſq.; quo loci ex litteris Patrum Soc. J. in Sinis Miſſiones agentium ad Claudium Aquavivam iſthaec obſervat, atque iſta plane ratione in Kalendariis, ſive Faſtorum computis ab annis jam quater millibus Sinenſes uti conſueviſſe ibidem exiſtimat. Quartus Cyclus LX. componitur ex *Tchi* XII, & *Kan* X, atque tam Annis 60, & dicitur *Ki-fu*, quam Diebus 60, ac dicitur *Sun-fa*, diſtinctis nominibus deſignatis utriſque, dinumerandis inſervit. Clarius hi Cycli, eorumdemque computandi methodus Sinenſibus uſurpata ſequenti ex ipſorum Schemate patebunt, quod ex praelaudato P. Gaubilio Obſerv. Mathem., Aſtron. &c. T.II. p.174. ſq. deſcribere haud poenitendae duco pretium operae; Dierum 60. Cyclus namque paullo ſuperius ex Alphonſo De Vignolio, apud quem facilior viſus eſt, jam expoſitus fuit.

CY-

CYCLUS

ANNORUM LX. SINENSIUM,

CUM AERAE CHRISTIANAE ANNIS.

1. Kia—tſe	1684.	31. Kia—ou	1714.
2. Yi—tcheou	1685.	32. Yi—ouey	1715.
3. Ping—yin	1686.	33. Ping—chin	1716.
4. Ting—mao	1687.	34. Ting—yeou	1717.
5. Vou—chin	1688.	35. Vou—ſu	1718.
6. Ki—ſe	1689.	36. Ki—hai	1719.
7. Kang—ou	1690.	37. Keng—tſe	1720.
8. Sin—ouy	1691.	38. Sin—tcheou	1721.
9. Gin—chin	1692.	39. Gin—yin	1722.
10. Quey—yeou	1693.	40. Quey—mao	1723.
11. Kia—ſu	1694.	41. Kia—chin	1724.
12. Yi—hai	1695.	42. Yi—ſe	1725.
13. Ping—tſe	1696.	43. Ping—ou	1726.
14. Ting—tcheou	1697.	44. Ting.—ouy	1727.
15. Vou—yin	1698.	45. Vou—chin	1728.
16. Ki—mao	1699.	46. Ki—yeou	1729.
17. Keng—chin	1700.	47. Keng—ſu	1730.
18. Sin—ſe	1701.	48. Sin—hai	1731.
19. Gin—ou	1702.	49. Gin—tſe	1732.
20. Quey—ouy	1703.	50. Quey—tcheou	1733.
21. Kia—chin	1704.	51. Kia—yin	1734.
22. Yi—yeou	1705.	52. Yi—mao	1735.
23. Ping—ſu	1706.	53. Ping—chin	1736.
24. Ting—hai	1707.	54. Ting—ſe	1737.
25. Voù—tſe	1708.	55. Vou—ou	1738.
26. Ki—tcheou	1709.	56. Ki—ouey	1739.
27. Keng—yin	1710.	57. Keng—chin	1740.
28. Sin—mao	1711.	58. Sin—yeou	1741.
29. Gin—chin	1712.	59. Gin—ſu	1742.
30. Quey—ſe	1713.	60. Quey—hai	1743.

XLVII. In

Digitized by Google

XLVII. In hoc itaque Laterculo, ab Aerae Chriſtianae anno 1684, Cycli Sinenſis LXXIV. ducto Annorum 60. cardine, in Annoque Chriſti 1743. finito decurſu, a quo novus deinceps alter Cyclus LXXV. totidem Annorum 60. incepit, ſingulis adpoſita habes Annis nomina ſingula. Poſt hoſce vero Cyclos, quos expanſos itidem, unaque cum Aerae Chriſtianae, *Lunaris* Cycli, ac *Solaris*, & *Indictionis*, Aerae *Seleucidarum*, *Hegirae*, ac *Jezdegerdicae* annis comparatos habes apud Joh. Gravium de Epoch. Orient., ac De Guigneſium Hiſt. gen. Hun. Par.I. T.I. in Tabula Epoch. Sinen., Graec., Arab., Perſar. &c. p. LXXIX. ſqq., exhibet P. Gaubilius Obſerv. Mathem. &c. T.II. p. 176. ſq. Tabulam expanſam Conſtellationum XXVIII. propriis apud Sinenſes dictinctarum nominibus, ſua cum longitudine, ac latitudine ſingularum, locoque in *Zodiaci* ſignis deſignato, quam adire pro libitu quiſque poterit, qui ſcire hujuſmodi, ſcitu alioquin haud indigna, deſideret. Sed & DuCangius Gloſſarii T. I. edit. Ven. p. 447. ſqq. Tabulam exhibet Chronologicam Epochae *Cathajenſis* ex Gravio deſcriptam, & ad Periodum *Julianam*, atque *Dionyſianam* Aeram redactae, accommodataeque, quam ab anno Solari *Venno* 8864. labente exorditur. Nempe juxta Periodum *Ven* Solarem annorum CCIↃↃ, ſive 10000, ſive 1MI, cujuſce paullo ſuperius Abdallae Beidawo mentionem fieri monuimus, quibus annis, decem mille ideſt, evolutis, Periodus II. *Ven* Solaris incipit, finienda poſt annos decem mille itidem, ac ita deinceps, indeque Anni *Venni* dicti, *Cathajenſem* Epocham ab anno Solari *Venno* 8864. eo loci DuCangius exorditur, annoſque ab ingreſſu *Solis* im medium, ſive gradum 15. *Aquarii* incipit, cumque tribus Cyclis Sexagenis, qui ſimul accepti Cyclum Annorum 180. conſtant, queis elapſis Cyclus iterum init, componere ſatagit. Atque ita quidem, ut Aerae Chriſtianae annus 621, a quo Tabulam auſpicatur, Epochae *Cathajenſis* 8864. fuerit annus 9038, Cycli Sinenſis LVI. ſexageſimi ſimplicis annus 18, Cycli CLXXX, compoſiti ex Cyclis ſexagenis tergeminis, annus 78; Annus Chriſti 1583. fuerit annus poſtremus, ideſt Periodi *Ven* annus decies milleſimus, Cycli LXXII. Sinenſis ſexageſimi ſimplicis 20, Cycli CLXXX. compoſiti annus 140; Annuſque Aerae Chriſtianae decurrens 1766. ſit Epochae *Ca-*

tha-

thajenſis 8865, ſive Periodi II. *Ven* annus 183, Cycli Sinenſis LXXV. ſexageſimi ſimplicis annus 23, Cycli CLXXX. compoſiti annus 143; atque ita deinceps de aliis: quam in rem conferendae quoque Tabulae a Gravio, & a DeGuigneſio elaboratae.

XLVIII. A Syro-Neſtorianis demum in Sinas appulſis, ibique hodiedum inhabitantibus, una cum Sinenſium Annis Graecorum itidem, ſive Syro-Macedonum Epocham, Annique formam inlatam fuiſse, uſurpatamque, abunde patet ex Monumento Lapideo Syro-Sinico in *Sigan-fu* Provinciae *Kenſi* Urbe Metropoli Aerae Chriſtianae anno 1625. reperto, in quo Evangelii praecones anno Chriſti 636. in Sinas adventaſſe leguntur. Quod ſane Monumentum velut indubium habitum eſt Kirchero in Prodromo Copto, & Chinae illuſt. Par. I, Mullero de Monum. Sin., Renaudotio Ancien. Relat. des Ind. &c. p.234. ſq., Aſſemano Bibl. Orient. T. III. Par. II. cap. 9. §. 7. p.538. ſqq., aliiſque. Contra vero Monumentum iſtud a Jeſuitis ſuppoſitum, pro maledicendi prurigine, vociferant Georgius Hornius Origin. American. lib.4 cap.15. p.277, Theophilus Spizelius de Re Litter. Sin. ſect. 9. p.160, Maturinus Veiſſiere La Croze Hiſt. Chriſt. Ind. lib.1. p.42. &c.; quam litem dirimere quidem negligit, Monumentum tamen haud confictum autumat Joh. Laurentius Moshemius Hiſt. Tartar. Eccleſ. cap. 1. §. 4. p. 10: quo loci una cum Paraphraſi ejuſdem Latina Verſio exhibetur, non ſecus atque pridem a Kirchero, a Mullero, a Renaudotio, ab Aſſemano Bibl. Orient. T. II. p.255, & T. III. Par. II. p.482. exhibita fuerat. Proteſtantes hoſce tamen prolixe refellit Vir doctiſs. Ludovicus du Four in Longueranis, ſive Cogitatis edit. Berolin. p.247, animadvertens tum anno 1625. Jeſuitas nondum in Sinas penetraſſe, neque iis, poſtquam eò penetrarunt, haud facile, pronumque fuiſse Syriacos Characteres, quos forte neque perſpectos habuere, quales uſu trans Euphratem erant, quibuſve Lapideum Monumentum illud inſculptum erat, exſcribere, aut inſcalpere, ideoque uno maledicendi aeſtu Monumentum illud ab Heterodoxis ſupponi Jeſuitis. Addit Bayerus, e Lutherana etſi ſecta Vir, de Re Nummaria Sinen. Miſcell. Berolin. T. V. p. 181. Sinenſes eo in Monumento exaratas litteras tam cum his, quibus hodie utuntur, quam cum litteris in Nummis

mis ac tatum omnium conſpicuis, neque modo Dynaſtiae XIII. *Tang*, ſub qua Monumentum dedicatum fuit, ſed etiam ſub Dynaſtia VII. *Tſin*, qua ſub utraque procuſos ipſe Nummos profert, adeo congruere, ut lac lacti, ovo ovum, ſi conferas; haud ſit magis ſimile. Ex hoc itaque Monumento liquido conſtat ea ſub aetate Sinenſibus Annos ſupputari conſueviſſe ex Annis Imperii, Menſes juxta ordinem tempeſtatum anni, dieſque juxta Menſium ſeriem: ad calcem enim Monumentum exſculptum dicitur Anno 2. *Kien-cum* Imperatoris, die 7. Menſis *Autumni*, die *Dominica*: quem Annum incidiſſe in Aerae Chriſtianae annum 781, Octobris diem 7. oſtendit Aſſemanus Bibl. Orient. T. III. Par. II. p. 550: quo loci Syro-Neſtorianis in Syria, Perſide, India, Sinis &c. uſu *Graecorum* Annum perpetuo venire, quem Chriſtiano Vulgari annis 311. priorem faciunt, idem Vir doctiſs. obſervat; atque de Sinenſium Anno, & Menſibus hactenus.

XLIX. Sinicae tamen Hiſtoriae, & Chronologiae pars haud contemnenda geminae prae aliis habendae ſunt Tonchinenſis, & Concinſinenſis, qua de utraque obiter ante dicendum, quam manum e tabula amoveam, mihi nunc manet. Atque vetus quidem Tunchinenſis Hiſtoria, & Chronologia litterarum, quae ſera admodum ſub aetate inlatae eo ſunt, defectu ſpiſſis undique tenebris obſita jacet, adeo ut nonniſi ſomnia nobis venditari, quae Chriſti ante natalem annum 2 o. exceſſiſſe narrantur, rite cenſenda ſint. Referente itaque ex ipſorum Hiſtoriis Barone, genere & ipſo Tunchinenſi, in Hiſt. Itiner. T. IX, atque duobus e Scriptoribus aliis Sinenſibus Lie-tai-kiſu uno, altero Ven-hien-tum-kao De Guigneſius Hiſt. gen. Hun. T. I. Par. I. lib. 3. p. 169. ſqq., Tunchinenſis regni fundamenta Chriſti ante natalem anno 200. circiter a *Ding*, profeſſione graſſatore, poſita fuere; quo ob tyrannidem interfecto, diu Rege Tunchinenſes caruere: donec Aerae Chriſtianae anno 184. Sinenſium jugum ſubire coacti ſunt. Aerae ſed enim Chriſtianae Seculo X. ſub initio Sinenſium excuſſo jugo, Tunchinenſe Regnum a *Ting-pou-ling* reſtitutum eſt, ſuoque de Regiae nomen Dynaſtiae I. *Ting* factum. Qua in Rege III. deſtructa, regia a *Li-huon* occupata dignitas eſt, unde Dyna-

ſtiae II. *Li* indita Aerae Chriſtianae anno 980. denominatio: Perſtitit iſthaec vero in Regibus x. uſque ad Chriſti annum 1212, quo a *Tchinge-tchao* regni uſurpata ſede, Dynaſtiae III. *Tching* origo inde facta eſt, quae in Regibus VI. duravit uſque ad Aerae Chriſtianae annum 1340. circiter. Poſt hac anno 1400. tyrannis a *Macko*, profeſſione vili piſcatore, uſurpata eſt; quo paullo poſt detruſo, Regiae quidem dignitatis titulus ad familiae *Li* poſteros reſtitutus eſt, ſed rei ſumma publicae ad ſe rapta eſt a *Tringo* Militiae Praefecto. Quo a tempore ad hanc uſque diem, ſicut apud Japonios inter *Dairum*, & *Cubum* Militiae ducem, ſic apud Tunchinenſes inter *Bovam*, & *Chovam* Militiae Praefectum, ita Regia diſpertita poteſtas eſt, ut ſicut *Dairo* apud Japonios, ſic *Bovae* e familia *Li* poſteris apud Tunchinenſes ſolius Regiae dignitatis titulus integer manſerit, in *Cubum* vero ſicut apud illos, ſic in *Chovam* apud iſtos totius rei tam Civilis, quam Militaris ſumma tranſlata fuerit, ejus in familia haereditaria ita facta, ut etiam *Bovam* creandi *Chovae* facultas inſit: ſub onere tamen annui Sinenſi Imperatoris tributi dependendi. Ad Tunchini Sinis ad occaſum finitimi, ad meridiem inter gradum 8, & 17. latitudinis Septentrionalis ſita Concinſina eſt, cujus vetus haud magis cognita Hiſtoria eſt, ac Chronologia. Una ea olim Tunchini Provincia erat, donec Aerae Chriſtianae anno 960. circiter ab eo ſeparata Regem habere *Che-li-in-to-puen*, Sinenſi tamen Imperatori vectigalem, occepit, veluti duo ſupralaudati Sinenſes apud De Guignesium loc. cit. p. 172. ſq. Scriptores referunt. Eum in regno excepere Reges alii VIII. uſque ad Chriſti annum 1280, quo a *Koblajo*, una cum Sinenſi imperio, ſubacta Concinſina eſt; quo demum a jugo, una cum Tunchino, abſoluta, in unumque denuo conflata regnum a *Li-huon* videtur, cujus deinde e poſteris, una cum Tunchini regno, ad familiam *Tching* pertranſiit. Poſtremo quo a *Tring*, relicto e familia *Li* poſteris regio *Bovae* titulo, una cum *Chovae* nomine rei ad ſe in Tunchino rapta ſumma eſt, tempore ab *Hoaving* Provinciae Praeſide, *Chovae* ſimiliter adſumpto titulo, regia in Concinſina dignitas uſurpata eſt, quae hodiedum in ejus poſteris, Imperatori tamen Sinenſi annuo, non ſecus, ac Tunchini *Chovae*

obli-

Digitized by Google

obligatis tributo, durat. Quod ad Menſium demum, Annique formam attinet, tam apud Tunquinenſes, quam apud Concinſinios uſu eadem jamdiu venit, quae uſurpata Sinenſibus olim eſt: queis ſiquidem Artes, Scientias, Leges, Mores, Litteras, Religionem, qua *Confucii* nempe, qua *Foe*, acceptas referunt, teſtibus Barone, ac P. de Rhodes, adeo ut Annus ipſis a fine Januarii, ſive a *Novilunio* proximiori *Solis* ingreſſui in gradum 15. *Aquarii*, ſicut olim ſub Dynaſtia v. *Han*, ſub qua a Sinenſibus Tunchinenſes, & Concinſinenſes ſubjugati fuere, Sinenſibus incipi ſolebat, *Lunis* XII, quolibet vero triennio *Lunis* XIII. compoſitus, incipiat, ideoque Cycli tam XII, quam LX. ſit uſus, ut ideo diutius his immorari haud ſit opus.

D E
MENSIBUS, ET ANNIS

Japoniorum, *Coraeenſium*, *Hai-Nanienſium*, *Tai-Ovanienſium*, *&c.*

Articulus IV.

I. JAponiorum, atque Orientalium hiſce finitimorum, qui Coraeam Peninſulam, Inſulaſque Formoſam, ac Jeſſo inhabitant, Populorum Hiſtoria, & Chronologia, non ſecus atque de Sinenſi dictum eſt, recte, curateque a Kaempfero in Hiſt. Nat., Civil., & Eccleſ. Japoniae T.I. lib. 2. cap. 4. edit. Scheuchzeri p. 93. ſqq., & a Petro Franciſco Xaverio de Charlevoix Soc. J. in Hiſt. Japon. T.I. lib. 1. cap. 5. p. 68. ſqq. trifariam in Μυθώδη̃ν *Fabuloſam*, Ἀσαφη̃ν *Obſcuram*, & Ἀναμφιλογη̃ν *Indubiam*, diſtributa legitur. Atque prima quidem Fabuloſa, & *M*ythologica ea reputanda eſt, ſub qua in Japonia primi omnium ſeptem imperaſse *Dii*, ſive Magni *Spiritus* Caeleſtes, Japoniis *Cami*, ſive *Tan-Dſin-Sitzi*, *Dai* adpellati finguntur, ſequentique recenſentur ordine. I. *Kuni-Toko-Dat-Siino-Mikotto*. II. *Kuni-Satzu-Tſii-No-Mikotto*. III. *Tojo-Kun-Nan-No-Mikotto*, qui tres Uxoribus caruiſse traduntur.

IV.

Digitized by Google

IV. *Ut-Sii-Nino-Mikotto*, cujus Uxor *Suſitſi-Nino-Mikotto* refertur. V. *Oo-Tono-Tſino-Mikotto*, cujus Uxor *Oo-Toma-Fe-No-Mikotto* nominatur. VI. *Oo-Mo-Tarno-Mikotto*, ac ejus Uxor *Oo-Si-Wote-No-Mikotto* dicta eſt. VII. *Iſanagi-No-Mikotto*, iſtiuſque Uxor *Iſanami-No-Mikotto* nomen tuliſſe legitur apud Petrum de Charlevoix Hiſt. Japon. T.I. lib. 1. cap. 10. p. 166. ſqq., ac Kaempferum Hiſt. Japon. T.I. lib. 1. cap. 7. p. 153. ſqq., & lib. 2. cap. 1. p. 226. ſqq. E quibus tres priores quidem innupti manſiſſe, ut innui, quatuor vero poſteriores ductis ſui generis Conjugibus filios procreaſſe feruntur; atque ita quidem, ut e poſtremo *Iſanagi-No-Mikotto*, & Conjuge *Iſanami-No-Mikotto* altera *Semideorum* progenies, Japonibus *Dſin-Go-Dai* nuncupata, ideſt Quinque Magni *Dii* Terreſtres, hoc eſt *Demiurgi*, originem traxerit, longo perinde temporis ſpatio, quod imo Mundi incunabula, longiſſimo, incredibilique omnino intervallo anteverterit, regnatura. Ex hiſce nempe quinque *Demiurgis* Regibus I. *Ten-Seo-Dai-Dſin* adpellatus, *Sol* ideſt, annis 250000. imperium tenuiſſe jactatur; II. *Oſiwo-Ni-No-Mikotto* annis 300000; III. *Ni-No-Ki-No-Mikotto* annis 318533; IV. *Fiko-Oo-Foo-Demi-No-Mikotto* annis 637892; V. *Fuki-Awa-Se-Dſu-No-Mikotto* annis 836042. regnaſſe venditatur, adeo ut Dynaſtia ſecunda iſthaec *Semideorum* imperii annos 2342467. dinumeraſſe feratur. In quibus is, qui praecipuo in honore Japoniis habetur, eſt *Tenſio-Dai-Dſin*, primus ideſt Deorum Terreſtrium, nempe *Sol*: priores namque Caeleſtes, veluti longius a terra ſepoſiti, quam rebus hiſce terrenis curandis advigilent, Japoniis reputantur.

II. Quamquam *Eſſe* Supremum, ac primum Diis omnibus praepoſitum Japoniis, non ſecus atque Sinenſibus, Indiſque aliis, uti ſupra dictum eſt, haud prorſus ignoratum fuiſſe oſtendit Petrus de Charlevoix p. 170. *Demiurgis* perinde aliis cultus exhiberi ſolet, Japonice *Sinto* dictus, nempe a *Sin*, & *Cami*, quod eſt *Religio habitantium in Caelis*, adeoque ut ſinguli *Demiurgi* ſingulare Caelum inhabitare credantur, cujus ut ipſi quoque Japonii, *Demiurgorum* ope, potiores evadant, Templa, ipſis *Mias* denominata, ubique conſtruenda Japonii ſummopere curant, totque ſuperſtitioſe numero, ut Kaempfe-

ro,

ro, ac de Charlevixio referentibus, in Japonia Templa 27700, ſeptingenta nempe ſupra viginti ſeptem millia, recenſeantur, ac in una Meaci Urbe Templa 3894, *Siukku* vero, ideſt Sacerdotes 37093 viderit Kaempferus Hiſt. Japon. T. II. lib. 5. cap. 3. p. 326. Tria quoque Feſta, praeter Annua quinque ſolemnia dic 1. Menſis 1, die 3. Menſis III, die 5. Menſis V, die 7. Menſis VII, die 9. Menſis IX; ac praeter alia quatuor Annua die 9. Menſis VI, die 16. Menſis IX, die 25. Menſis VIII, ac die 11. Menſis III, ſingulis Menſibus, diebuſque ſtatis 1, 15, ac ultimo Menſis cujuslibet *Lais* ſolemnia Japoniis agitari ſolent: ita tamen, ut quinque Annui dies feſti, utpote impares, *Nefaſti* etiam Genti ſuperſtitioſae habeantur, dieſque ipſi *Feſti* libere, licenterque vitulando quammaxime tranſigantur, atque voluptati, genio, laetitiaeque indulgendo, de quibus, aliiſque fuſe Kaempferus Hiſt. Japon. T. II. lib. 3. cap. 3. p. 23. ſqq., ac Charlevoixius lib. 1. cap. 11. T. I. p. 184, ſqq.

III. Ad ſecundam Dubiam ſcilicet, & Incertam aetatem referri dubio procul debent, quae de Regibus *Hominibus* omnium primis, quos ante *Sin-Mu* in Japonia diu imperaſſe feruntur: in quibus primus in imperio locus, & honor *Fo-hi* Sinenſibus dicto, Japoniis vero *Tai-Ko Fuki*, defertur, de quo eadem ferme, qualia Sinenſibus jactata ſuperiori Articulo audivimus, fabulari Japonii & ipſi ſolent. Poſt *Fo-hi* iidem plane, quos ex Dynaſtiis I. *Hia*, II. *Chang*, & III. *Tcheou* in Sinis imperaſſe vidimus, in Japonia quoque, e Dynaſtiis hiſce *Ka*, *Sioo*, & *Schaou* denominatis, regnaſſe feruntur; adeo ut tertia hacce *Schaou*, Sinice *Tcheou* dicta, imperante, in lucem prodiiſſe tradatur *Sin-Mu*, qui primus in Japonia indubius Imperator habetur. Ex quo ſuſpicari plane fas eſt e Sinis in Japoniam Colonias fuiſſe deductas; deductaeque hae reapſe circa annum 214. ante Chriſtianam Aeram in Sinenſium Annalibus traduntur. Quo perinde fabularum potius, quam incertae fidei, loco, Kaempferi quoque lib. 1. cap. 6. p. 129. ſqq. opinio haberi debet, Japoniam ſtatim ab ipſa Gentium diſperſione inhabitari cepiſſe exiſtimantis. Veri ſiquidem haud videatur ſimile *Noachi* poſteros, intermediis, ſibique proximis, atque quammaxime arridentibus, derelictis a tergo Regionibus,

Digitized by Google

bus, ad extremas Orientis partes uno ſe impetu conferre voluiſſe: ad quas profecto, nonniſi poſtquam mirum propagari in modum, diff. ileque occupatis ſe contineri Provinciis ſenſere, tum primum ad viciniores, tum poſtremo remotiores ad occupandas fuiſſe transfuſos arbitrari pronum eſt. Autochthones, ſeu Indigenas ſane Japonii ſe jactant, e *Diis* genus habuiſse ſe, ex ipſoque primo Mundi *Chaos* in lucem prodiiſse: quibus ideo Japonia pleriſque inſigniri titulis ſolet, dicique 1. *Ge-puen*, Regio ideſt Orientis Solis; 2. *Ten-Ka*, Sinenſibus *Tien-Hia*, Regnum nempe ſub Caelo, unde Imperatoribus ſuis *Ten-Ka-Suma* inditum eſt nomen, Imperatoris nempe Regionum ſub Caelo; 3. *Fino-Motto*, ideſt origo Solis; 4. *Avva-Uſſi-ſſima*, hoc eſt Spumae Terreſtris Inſula; 5. *Sin-Kokf*, ſive *Kamino-Kuni*, Sinice *Chin-Kova*, Deorum ideſt habitatio, queis de De Guigneſius abunde Hiſt. gen. Hun. T.I. Par.I. lib.3. p.145. Aſt enim a Tartaris potius originem Japonios fuiſse ſortitos poſt Coupletum Introd. ad Philoſ. Confucii p.71. probabilius opinati ſunt Petrus de Charlevoix Hiſt. Japon. T.I. lib.1. cap.1. p.68. ſqq., D. de Bruzen La Martiniere Introd. ad Hiſt. Aſiae T.I. cap.1. p.7, ac De Guigneſius loco mox laudato. Quam opinionem confirmant Annales perinde Sinenſes, referentes imperante *Vou-ye*, Dynaſtiae 11. *Chang* Imperatore xxv, circa annum 1195. ante Chriſtianam Aeram, Barbarorum ad Sinarum Boream inhabitantium Colonias in Oceani Orientalis Inſulas magno ſe impetu, ingentique copia effudiſse. Confirmatur & inde opinio iſthaec, quod Japoniorum mores Tartaris perquam ſimiles eſse obſervatum Itineratoribus eſt; Japonioſque principio, Tartarorum more, in Tribus, vulgo *Hordas*, diſtributos, ſtato, fixoque nullo degere in loco delectatos olim fidem ipſorum Hiſtoriae abunde faciunt. E Sinis deinde Colonias etiam in Japoniam fuiſse transfuſas paullo ſuperius indicatum eſt: quod fieri tam facile potuit, quam uni altera Regio proxima, Incoliſque redundans una ſe in alteram exonerare debuit.

IV. Tertia itaque Hiſtorica, indubiaque Japonici Epocha imperii a *Sin-mu*, ſive *Sin-Bu*, ante imperium *Ivva-Fikono-Mikotto*, ingentia poſtea ob beneficia in Populum collata,

lata, inde *Nin-o* denominato, *Optimo Maximo* ideſt, ducenda eſt. Is nempe Dynaſtia III. *Schaou* eadem, quae Sinenſibus *Tche-ou* dicta eſt, imperante, ex *Ten-Sio-Dai-Sin*, Deorum Terreſtrium, ſive *Demiurgorum* primo recta genere linea ducto in lucem prodiiſſe, Cycli Sinenſis XXXIV. anno 50, ante Chriſtianam Aeram 660. primus imperium fundaſſe, Japonioſque optimis primum informaſſe legibus fertur; atque ab ipſo primum Annus, Menſes, dieſque fuiſse diſtincti, certaque digeſti forma traduntur. Hic ideo primus Imperator, Religionis, ac beneficientiae obligatione ipſi quammaxime obſtrictis, Japoniis *Mikaddo*, nomine a *Mikotto* diminuto, adpellari ſolet; ejuſque gratia, *Dairi*, ipſius in Imperio ad hanc uſque diem ſucceſſores, qui non ſecus atque ipſe, a *Demiurgorum* primogenito *Tenſio-Dai-Dſin* originem habere putantur, ſuperbis *Mikaddo*, aut *Dai*, aut *Oo*, aut *Kuoo*, aut *Tai*, aut *Tſin*, hoc eſt *Imperatoris*, *Principis*, *Magni Domini*, *Caeli Filii* ſe nominibus inſcribere delectati ſunt; ac poſt obitum in Deorum, *Camis* dictorum, numerum referri ſolent. *Camos* hoſce porro Japonios nihil diferre ab Aegyptiis *Camiphis*, quos tergeminos fuiſſe refert Damaſcius in Excerptis, facile quiſquis intelligit, a *Sole*, qui Hebraeis etiam חמה *Chama* dicitur, nomine derivato, qua nempe triplici derivatione Solis *Ortus*, *Meridies*, & *Occaſus* deſignari Aegyptiis recepto ſolebant more: qua de interpretatione plura erudite pro ingenio Georgius in Alphab. Thibet. Par. I. cap. 65. p. 145. ſqq. Nobiles adhaec viros etiam, qui pariter e *Semideorum* ſtirpe deſcendiſse ſe jactant, *Kuges*, Plebejos vero *Geges* adpellare pro ſuperſtitione Japoniis adlibuit, qua de plura Kaempferus Hiſt. Japon. T. I. lib. 2. cap. 1. p. 234. ſqq., & Charlevoixius lib. 1. cap. 8. T. I. p. 137. ſqq. A *Sin-mu*, ſive *Sin-Bu*, cui additus *Ten-Oo*, Sinice *Tien-Hoam*, ideſt *Caeleſtis*, ſive *Auguſti* titulus eſt, ab anno Chriſti ante natalem 549. uſque ad Aerae Chriſtianae annum 1700. in Japonia continua imperaſſe ſerie ex eadem ſtirpe Dairi CXIV. in Chronico Japonico Bibl. Regiae Pariſ. apud DeGuigneſium Hiſt. gen. Hun. T. I. Par. I. lib. 3. p. 147. ſqq. leguntur. Sub *Sui-Sei* Imperatore II, Chriſtianam ante Aeram anno 582. in Japoniam ſecta *Siuto* inducta fertur, qua de infra. Sub Imperatore XVI. *Oo-Ssin*, ante Chriſti natalem

lem anno 312. a Japoniis, veteribus abrogatis, velut admodum informibus, Litteris, *Common* adpellatis, Sinenſium characteres adoptati ſunt; hiſce tamen accentibus, particulis, ac ſignis aliis multis adjectis, ſcribendique more a dextera ad ſiniſtram, litteraſque pingendi unam ſuper aliam a ſummo ad imum Sinenſium, quorum a lingua tamen plurimum abeſt Japonica, recepto. Sub Imperatore XXX. *Kin-mei*, Aerae Chriſtianae anno 552. in Japoniam impia *Fo* dogmata inlata fuiſſe, atque longe, lateque propagata obſervat DeGuigneſius p.150. Sub Imperatore LXXVI. *Kon-jei* Chriſti anno 1155, Imperatoris excuſſo jugo, plerique in Japonia Phylarchi pleriſque occupatis Provinciis regio dominii titulo cepere. Donec poſt annos 24. imperii univerſi qua Civilis, qua Militaris a *Joritomo* Militiae Praefecto, ſub *Sieo-cun*, Sinice *Tſung-Kiun*, una cum titulo ad ſe rapta ſumma, una rei Eccleſiaſticae Imperatori cura derelicta eſt. Quo a tempore inter *Dairum*, & *Cubum* Imperatoria diviſa poteſtas eſt, ut illi Meaci ſedenti res Sacra reſervata ſit, iſti Jendi defixa ſede tota Civilis, ac Militaris rei ceſſerit ſumma. Quare ab Aerae Chriſtianae anno 1179. uſque ad annum Chriſti 1700. a *Joritomo*, ac deinceps in Japonia Cubi XXIV. imperaſſe leguntur, quorum apud DeGuigneſium p.156. ſq. catalogum legere eſt.

V. Retro nunc flectendo veſtigia, ſub Imperatore primo *Sin-mu*, cum Idololatria, prava *Foë*, ſive *Fotoke* Sinice dicti, ideſt *Dei*, & *Sitsjun*, hoc eſt *Magni*, ac *Perfecti*, ſeu etiam *Xekiae*, Japoniis *Kooſi*, (quem perperam cum Sinenſi *Confucio* Kaempferus confundit), ſive *Siakae* denominati, ex India a *Bupone*, ſive *Keboto* in Japoniam, non ſecus atque pridem in Sinas, inlata fuiſſe dogmata aliquibus feruntur: quae tamen diu poſt in Japoniam fuiſſe delata opinatur DeGuigneſius ſupra laudatus; qua de re plura P. Villela Soc. J. in epiſt. Japon. lib. 4. p. 204, & Kaempferus Hiſt. Japon. T. II. lib. 3. cap. 6. edit. Scheuchzeri p. 59. ſqq. Verum tres in Japonia praecipuae diſtinguendae veniunt Sectae, quarum ecce tibi ſpecimen. I. *Sintos* dicta, ſivo *Sinſiu*, aut *Kammitſi*, a cultu Idolorum nempe; namque *Sin*, & *Kami* Idola ſunt, ſive *Immortales Spiritus*, Japonenſium; quae antiquiſſima ipſis eſt Religio, a prima *Sin-mu* aetate in Japoniam inlata. Sectae hujuſce caput eſt *Mikaddus*, ſive *Dai-*

rus, qui e *Kamis* & ipſe genus habuiſſe, cumque *Kamis* decimo quoque Menſe commercium habere creditur, unuſque Viros geſtis, virtuteque celebres inter *Kamos* referendi auctoritate deſungitur. Sectae vero defenſores *Jammabui* dicti, Sortilegiis quammaxime dediti ſunt; his Animarum cum tranſmigratio negatur, tum adſeritur Immortalitas &c. Primum inter Deos locum apud Sintoiſtas occupat *Tenſio-Dai-Sin*, totius veluti Japonici Numen imperii tutelare, cujus ideo in honorem dies 16. *Lunae* ix. ſolemnis habetur. Praeter huncce vero, divinus aliis defertur cultus *Tenſo*, *Fatzumani*, *Moriſaki*, *Simio*, *Sitenno*, *Goſtutenno*, *Inari*, *Iſumo* &c. Mercatoribus Sacri quammaxime habentur *Jebiſu*, frater *Tenſio-Dai-Sin* creditus, *Daikoku*, ceu divitiarum dator, *Toſtitoku*, a quo fauſta cuncta precantur; cui dies 1. *Lunae* 1. dicata eſt, ac *Fottei*, ſive *Miroku*, ceu ſanitatis Praeſes habitus. Nagaski vero maxime colitur *Suvva*, Venationi praeeſſe creditus; cujus ideo in honorem dies 9. *Lunae* ix. ſolemnis agitur. Feſta praecipua, *Rebi* dicta, ideſt Viſitationum dies, Menſibus ſingulis tria Sintoiſtis celebrantur ſolemnia, die 1, die 15, & die 28. Annua vero quinque, 1. *Songuatz* die 1. Lunae 1; 2. *Songuatz Somnitz* die 3. Lunae iii; 3. *Gonguatz-Gonitz* die 5. Lunae v; 4. *Siſſiguatz-Nanuka* die 7. Lunae vii; 5. *Kunitz* die 9. Lunae ix: quae Feſta ideo diebus imparibus, qui ceu *Infauſti* habentur, *Kamorum* indignationi placandae inſtituta ſunt, ceteriſque per Japoniam Sectis accepta. In duas vero Sectas diviſi *Sintoiſtae*, alii *Toſantae*, alii *Fonſamſae* dicti ſunt, inter quos Schiſmate perinde facto, extranearum Sectarum occaſione, qui pro veteri *Sintos* ſecta pugnant, *Jaitzi* denominari, qui *Sintoſim* cum *Fotoke* conciliare ſtuduere, *Riobi* dici voluere.

VI. Secta, quae apud Japonios ii. obtinet loco, *Budſo*, a cultu Deorum ideſt *Peregrinorum*, nomen habuit, a *Budſudo* nempe, ac *Fotoke*: quae duo Idola a *Foë*, ſive *Xeka* in Japoniam, una cum impio de *Inani*, & *Nihilo* rerum omnium principio, ac fine dogmate, ex India, ſive Ceylano Inſula colenda fuiſse delata circa annum 63. Aerae Chriſtianae verius cum Kaempfero Hiſt. Japon. T. II. lib. 3. cap. 6. p. 69. cenſuit Bruckerus Hiſt. Crit. Philoſ. T. V. Periodo III. lib. 3. Par. II. cap.

cap. 4. de Philoſ. Japon. §. 7. p. 914. Qui *Xeka*, ſive *Sciaka*, veluti *Divinitatis Emanatio* quaedam,religioſo & ipſe cultu demum anno Chriſti 543. decorari cepit ſub nomine *Amidae*, ſive *Ippokukuo*, quo *Divina* ſignificatur *Emanatio*, habeturque ceu *Animarum Separatarum* Deus. Hanc vero Sectam a *Kin-Mei* Imperatore XXX, eximio ipſius cultore, ſub annum Aerae Chriſtianae 540, aut 552. in Japoniam longe, lateque fuiſſe diffuſam ſcribunt DD. De Bruzen la Martiniere Hiſt. Aſiae p.19, ac DeGuigneſius Hiſt. gen. Hun. T. I. Par. I. p.150. *Xeka* is vero, ſive *Sciaka* in India natus fertur ante Chriſti natalem anno 1690, aliis 1211, aliis 1027, aliis 950, aliis 542. &c, aliiſque *Salomoni* aetate ſit ſuppar, quin ab ipſo *Salomone* fortaſse in Peguvi regnum ad fodinas exſilio pulſus.Et Judaeum ſane ipſum origine fuiſſe documento eſſe videtur, quod Indis decem obſervanda praecepta tradidiſſe memoratur, inter quae pleraque de homicidio, de furto, de cupiditatibus illicitis &c., in libro *Fokekio*, ſive *Kio*, *Pulcrorum* ideſt *Florum* libro, geminis ab ejus diſcipulis *Annano*, & *Kaſio* collecta, Decalogo *Moſayco* conformia leguntur. Is vero Diſcipulorum opera per Orientem longe, lateque Idololatriam diſſeminaſſe fertur, cujus ideo Secta communi Indis vocabulo *Chacabout*, ſive *Xacabout* ubique denominari ſolet. Inter ejus dogmata vero Metempſycoſis locum habet, ſeque ipſum *Xaka* decies renatum fuiſſe dixiſſe fertur: quem demum in album transformatum *Elephantem* Indi perſuaſum habent; quibus ideo Animal iſtud magno habetur in honore: qua de Secta plura Charlevoixius Hiſt.Japon. T.I. lib. 1. cap.12. p. 204. ſqq., Tiſſanierius ejuſdem Soc. J. in Relat. Itin. ad Tunchinum an.1658. ſqq., Tavernierius Itin., Abbas de Lenglet *Encyclopedie* T. III. edit. Pariſ. p.3. &c. Ad haec vero ab *Anubi*, cujus utpote formam apud Banierium, & Maſchrierium de Relig. Indor., & Japon. Ritib. T.VI. p.16. referre videtur, indiſtinctus *Amida*, Canino capite inſtructus, haberi debet. Eumdem etiam cum *Quamvvon*, ſive *Canon* obſervant Kaempferus, & Charlevoixius, ideoque cum Aegyptio *Canopo* advertit Georgius Alphab. Thibet. Par.I. cap.61. p.132. ſqq.; ubi demum Aegyptiorum *Canopum* eumdem fuiſſe, atque Samaritanorum Babylone agentium *Succoth-Benoth*, hunc-

ce vero non alium, quam *Bacchum*, ac *Venerem* exiſtimat. *Xekam* eum autem, cujuſce cultum ex Indoſtania diu pridem in Thibetum etiam delatum fuiſse ex Gentis traditione noſtrates referunt Miſſionarii, diſtinguendum utique a *Xeka* iſto, cujus cultum ab India in Japoniam, eque Sinis denuo in Thibetum fuiſſe translatum anno Chriſti 63. modo diximus; atque huncce, quem nuperum indiſtinctum ab *Apollonio Tyanaeo* ſuſpicatus fuerat Moshemius Theſ. Epiſt. T. I. epiſt. 230. ad Crozaeum, *Manichaeiſmi* fuiſſe promumcondum, a quo nempe impia *Manethis* dogmata late per Indiam, Sinas, ac Japoniam fuerint diſseminata, ſtabilire multis, in quibus cum Manichaeis convenire Thibetanos deprehendit, in Hierarchia, Metempſycoſi, geminis Mundi principiis, Mundis pluribus, Diis pleriſque &c., viſus eſt nuper Cl. Georgius in Alphab. Thibet. Par. I. cap. 69. ſqq. p. 162. ſqq. Quin cap. 144. ſqq. p. 286. ſqq. multis ſuadere conjecturis enititur *Scythianum*, quem *Apoſtolorum* ſub aetate *Manichaeae* haereſi ortum feciſſe, (e quo *Manes* ipſe, qui Sectae deinde nomen indidit, praenomen *Scythiani* perinde tulit), diſciplinisque Aegyptiorum apprime fuiſſe inſtructum refert Archelaus in Diſputat. cum Manethe, eumdem fuiſſe cum *Sam-Poutra*, qui eadem ſub aetate Thibetanis Manichaica adflavit dogmata, quippe qui *Doctoris Maximi* loco Thibetanis habitus eſt, eique, una novis cum litteris, acceptae hodiedum referuntur leges. Totum id tamen, non de gemino *Xaka*, ſed de gemina propagatae ejuſdem *Xakae* ſuperſtitionis aetate intelligi commode poteſt; ita nempe, ut qui pridem ab *Urchien* Indoſtano Mago inſtituti fuere, ii *Ritrobà* denominati fuerint; qui perinde fuere ab *Aſciang* Lama Sinenſi decepti, ii dicti *Kiapa* fuerint.

VII. Pro Diis praeterea Budſoiſtis habentur *Denix*, ſive *Cogi*, qui triplici capite, ac brachiis quadraginta inſtructus effingi ſolet; *Canon*, qui Amidae filius, atque *Solis*, & *Lunae* Creator creditur; ac *Gizon*, qui Bovino, cornutoque depingi capite ſolet, ut ab *Iſide* Aegyptia haud differre videatur. Menſe vero 2, integro Menſe 6, ac Menſis 7. die 15. feſta Budſoitis ſolemniora peragi ſolent, queis de Charlevoixius affatim. III. Secta *Siuto*, ſive *Sinto*, a Philoſophia morum dicta, a *Confuciana*

ciana planè haud diverſa viſa eſt Kaempfero lib. 3. cap. 6. p. 59. ſqq., Charlevoixio lib. 1. cap. 16. p. 259. ſqq., ac Bruckero, apud quos Philoſophiae hujuſce praecipua deſcripta capita legere eſt; inter quae praecipuum eſt de *Spiritu Univerſali*, e quo omnia prodiiſſe, in quemve poſtremo reſolvenda fore omnia perſuaſum *Siutoiſtae* habent: atque iſta quidem Secta ſub aetate *Sui-Sei* Imperatoris 11, qui Imperium anno 582. Chriſti ante natalem auſpicatus eſt, in Japoniam inducta videtur, uti ſupra dictum. Praeter haſce tres vero, praecipuas utique, alias longe plures in Japonia dominatae leguntur Sectae, inter quas 1. *Ten-dai*, 2. *Singon*, 3. *Foſso*, 4. *Sen*, 5. *Seodo*, 6. *Rit*, 7. *Docke*, 8. *Nis-Fonguans*, 9. *Figas-Fonguans*, 10. *Takata-Monto*, 11. *Bukvvoo*, 12. *Dainembuds*, 13. *Jammabos*, quae Solitariorum eſt ſpecies Montium incolarum, a *Gienna-Gioſa* Chriſti anno 629. inſtituta, 14. *Buſſetz-Sato*, 15. *Feeki-Sato*, 16. *Xenxus*, qui Animae immortalitatem denegant, 17. *Xodoxins*, quibus ſpeciatim *Amida* colitur, 18. *Foquexus*, quae Monachorum ſpecies videtur, 19. *Nigores*, quae Militaris Ordo magis eſt, 20. *Goguis*, ſive *Genguis*, quibus Antra deſerti, Juga Montium, Arborumque trunci pro domicilio ſunt: queis de Sectis, atque Diis Japoniorum multis multa Kaempferus T. II. lib. 3. cap. 1. ſqq. p. 1. ſqq., Charlevoixius lib. 1. cap. 12. ſqq. p. 204. ſqq., De Bruzen p. 53, & Continuator Rollini Hiſt. Noviſſ. Sinen., Japon. &c. T. II. cap. 10. edit. Ven. p. 228. ſqq.

VIII. Praelibatis hiſce de praecipuis Hiſtoriae Japonicae capitibus, quod ad Japoniorum modo Chronologiam attinet, ex dictis patet jam primum ab Imperatore *Sin-mu*, ſive *Nin-o* Anni formam, atque Menſium ſeriem in Japonia fuiſſe inſtitutam, ordinatamque: ſed enim cujuſmodi ea forma, atque ratio prima fuerit, in obſcuro plane latet. Sua aetate, Chriſtianae ſcilicet Aerae anno 1690, quo in Japonia demorabatur, Japoniis a *Novilunio* Februarii diei 5. proximiori Annum initum fuiſſe auctor eſt locuples Kaempferus Hiſt. Japon. T. I. lib. 2. cap. 2. edit. Scheuz. p. 246. ſqq.; quod ideo Anni principium, Japoniis *Songatz* adpellari ſolitum, inter *Solſtitium* Hyemale, & *Aequinoctium* Vernum, aequas in partes utroque partito, definiri conſuevit. Menſes *Lunares* omnino habent dierum 28, ſicut

ſicut Indi ceteri, ſed biennio, aut triennio cuilibet Menſem *Embolimaeum* adjungere ſolemne eſt, adeo ut annorum 19. *Communium* ſpatio ſeptem Anni *Lunaribus* Menſibus 13. conſtent. Duodecim ad haec *Zodiaci* Signa, *Jetta* ipſis dicta, diverſa Japoniis haud ſunt, quam quae Tartaris, Indis aliis, ac Sinenſibus uſurpata ſupra vidimus, ut e ſuppoſito intelligere Diagrammate fas erit. Atque his etiam *Caeleſtium* Signorum nominibus, eodemque prorſus ordine duodecim *Horae* diei *Naturalis*, duodecimque partes, in quas *Horam* diſpeſcere quamlibet ipſi delectantur, adpellari ſolent. Diei *Naturalis* dixi: quem, ut Diem, Noctemque complectitur, in duodecim Horas dumtaxat partiri conſueſcunt, adeo ut Dies *Artificialis* horas 6, totidemque *Nox* dumtaxat habeat: quo fit, ut Japoniis *Inaequales* horae Aeſtate, & Hyeme ſint. Decem quoque *Elementa* ipſis ſunt, quae reapſe tamen quinque ſunt tantum, quae duobus ſiquidem, velut e ſequenti diſcere Laterculo licet, deſignari Characteribus, more Sinenſibus, Indiſque recepto, ſoleant, decem ideo dicuntur, etſi quinque dumtaxat ſint.

MENSES
JAPONIORUM CAELESTES

I.	Ne.	*Mus*.	VII.	Uma.	*Equus*.
II.	Us.	*Bos*.	VIII.	Tſitſuſe.	*Aries*.
III.	Torra.	*Tigris*.	IX.	Sar.	*Simia*.
IV.	Ovv.	*Lepus*.	X.	Torri.	*Gallus*.
V.	Tats.	*Draco*.	XI.	In.	*Canis*.
VI.	Mi.	*Serpens*.	XII.	Y.	*Sus*.

Decem Elementa.

I.	Kino—Je	*Lignum*.	VI.	Tſuſno—To	*Terra*.
II.	Kino—To	*Lignum*.	VII.	Kanno—Je	*Fodina*.
III.	Fino—Je	*Ignis*.	VIII.	Kanno—To	*Fodina*.
IV.	Fino—To	*Ignis*.	IX.	Midſno—Je	*Aqua*.
V.	Tſuſno—Je	*Terra*.	X.	Midſno—To	*Aqua*.

IX. Com-

IX. Computandis jam vero Annis duae praecipuae, Japoniis propriae, uſurpari Epochae ſolent: prima, qua cujuſque Imperatoris ab initio annos dinumerare hodierno ipſis in more poſitum adnotat, poſt Kaempferum Hiſt. Japon. T.I. lib. 2. cap. 3. p. 248. ſq., Gilbertus Le Gendre in Tract. de Opinione T.I. lib. 1. cap. 7. de Chronolog. p. 97, adeo ut fatis functo Imperatore, ab Imperatore ſequente altera incipi Epocha ſoleat, ita tamen ut iſthaec Epocha cum *Solari* anno ineatur, deceſſoris Imperatoris annis Menſibus adſcriptis, ſiqui ſuperſint. Quae plane annos ſupputandi, juxta regnantis Imperatoris annos, ratio a Regno *Sin-mu* primo Imperatore derivata eſt. Atque ſecunda iſthaec, ac ſolemnior eſt Epocha, Japoniis antiquiſſima, quae a *Sin-mu* nempe, qui primus Japonico fundamenta Imperio poſuit ante Chriſtianam Aeram anno 660, uti dictum eſt, inſtituta ad hanc uſque diem in Japonia obtinet, eoque ab Anno, deinceps annos dinumerare Japoniis religioni ceſſit, vocarique Epocha iſta *Nin-o* ſolet, ideſt *Primi omnium, Potentiſque Domini*. Ita namque Kaempferus in Hiſt. Japon. lib. 2. cap. 2. p. 244. auctor eſt Aerae Chriſtianae annum 1692, quo ipſe in Japonia erat, Japoniis fuiſſe Epochae *Nin-o*, ſive *Sin-mu* annum 2358, Epochae Imperatoris *Kinſeo-kvvo-Tei* tum regantis annum 6: unde praeſens Chriſti, quo ſcribo, annus 1766. in Epocha *Sin-mu*, ſive *Nin-o* Japoniis eſt annus 2432. Praeter haſce vero, geminas Epochas alias a Sinenſibus accepiſſe Japonios referunt Kaempferus lib. 2. cap. 2. p. 244. ſq., & Carlevoixius lib. 1. cap. 6. p. 104. ſqq., quarum altera Periodus eſt annorum 60, quae ex combinatione Characterum XII. Signorum *Caeleſtium* quinquies cum decem *Elementis*, ſive ex combinatione *Elementorum* X. cum duodecim Signis *Caeleſtibus* ſexies facta, efformatur: quibus elapſis annis, nova Periodus, ſive Cyclus annorum 60. repetitur, ut apud Sinenſes fieri ſolet. Epocha altera a Sinenſibus etiam derivata utuntur Japonii, eaque Cyclus eſt ex incertis annis effictus, *Nengo* dictus, quibus evolutis *Nengo* alter, novo cum anno, inchoari ſolet. Iſtiuſmodi porro Cycli inſtitutio ſub regno Dairi XXXVII. *Koo-Toku* dumtaxat, Aerae Chriſtianae anno 645. inducta fuit: quae tamen longe antea in Sinis, Chriſti nempe ante natalem anno

140.

140. a *Koo-Bu* inducta fuiſſe legitur. Imperatoris jam vero Japonici eſt tam Periodo huic, ſive Cyclo pro libitu nomen imponere, ac ſymbolo deſignare, quam annorum ſpatium praefinire, quocum Periodus ipſa finiatur, adeoque ut ab uno, eodemque Imperatore, *Eccleſiaſtico* intellige, pleraeque ſaepius hujuſmodi Periodi indictae fuerint: quae tamen ut plurimum ab Imperii cujuſque initio auſpicari ſolent, etſi ſaepe etiam aliquos per annos ſequentis Imperatoris aliquas duraſſe conſtet.

X. Horum *Nengorum* itaque, ſive Periodorum, quales ab Epochae *Sin-mu* anno 1310, Aerae Chriſtianae anno 650. a Japoniae Imperatoribus inſtitutae, una cum annorum durationibus, a Japonico Chronographo apud Kaempferum in Hiſt. Nat., Civ., Eccl. Japon. T.I. lib.2. cap.4. ſq. p.267. ſqq. deſcriptae fuere, Diagramma heic ſubijcere nec inutile puto, neque ingratum, Epochis hiſce quatuor ſiquidem, atque *Nenghi* ſpeciatim annis, Hiſtorias, Kalendaria, Diplomata, Faſtos, Diaria, Libros, Edicta Principum, Epiſtolas, Acta publica, Inſtrumenta &c. obſignare Japoniis hodie ſolemne ſit.

JAPO-

JAPONIORUM
EPOCHAE *SIN-MV*, ET AERAE CHRISTANAE

NENGHI. ANNI. DURATIONES ANNORUM.

Fakutſii	1310.	650.	22.	Jentſio	1583.	923.	8.
Fakvvo	1332.	673.	14.	Seofei	1591.	931.	7.
Siuvvau	1346.	686.	1.	Tenkei	1598.	938.	8.
Gen	1357.	697.	4.	Tenriaku	1667.	947.	10.
Tenpo	1361.	701.	3.	Tentoku	1617.	957.	4.
Keewun	1364.	704.	4.	Oovya	1621.	961.	3.
Wat To	1368.	708.	7.	Koofu	1624.	964.	4.
Reiki	1375.	715.	2.	Anvva	1628.	968.	2.
Jooro	1377.	717.	7.	Tenrok	1630.	970.	3.
Sinki	1384.	724.	5.	Tejien	1633.	973.	3.
Tempe	1389.	729.	20.	Teiquam	1636.	976.	2.
Foeſi	1409.	749.	8.	Tengen	1638.	978.	5.
Singo	1417.	757.	8.	Jeiquan	1643.	983.	2.
Sinkoke	1425.	765.	2.	Genvva	1645.	985.	2.
Fooke	1427.	767.	3.	Jejen	1647.	987.	2.
Fooki	1430.	770.	11.	Jengen	1649.	989.	1.
Nenvvo	1441.	781.	1.	Soorak	1650.	990.	5.
Jenriaku	1442.	782.	24.	Tſio Toku	1655.	995.	4.
Taito	1466.	806.	4.	Tſioofo	1659.	999.	5.
Koonin	1470.	810.	14.	Quanko	1664.	1004.	8.
Ten Tiſio	1484.	824.	10.	Dſio A	1672.	1012.	5.
Sioa	1494.	834.	14.	Quanin	1677.	1017.	4.
Kaſſoo	1508.	848.	3.	Tſian	1681.	1021.	3.
Ninſiu	1511.	851.	3.	Manſiu	1684.	1024.	4.
Sajie	1514.	854.	3.	Tſiooquan	1688.	1028.	9.
Tanjan	1517.	857.	2.	Tſioraku	1697.	1037.	3.
Toquan	1519.	859.	18.	Tſiokiu	1700.	1040.	4.
Genjvva	1537.	877.	8.	Quantoku	1704.	1044.	2.
Ninvva	1545.	885.	4.	Jeiſo	1706.	1046.	7.
Quanpe	1549.	889.	9.	Tenki	1713.	1053.	5.
Sootai	1558.	898.	3.	Feiko	1718.	1058.	7.
Jengi	1561.	901.	22.	Tſioku	1725.	1065.	4.

Jenkui	1729.	1069.	5.	Siuje	1842.	1182.	2.
Seofo	1734.	1074.	3.	Genriaku	1844.	1184.	1.
Seoriaku	1737.	1077.	4.	Buanirz	1845.	1185.	5.
Jeefo	1741.	1081.	3.	Kenkiu	1850.	1190.	9.
Ootoku	1744.	1084.	3.	Seotſi	1859.	1199.	2.
Quanſi	1747.	1087.	7.	Kennin	1861.	1201.	3.
Kaſſoo	1754.	1094.	2.	Genkiu	1864.	1204.	2.
Jetſio	1756.	1096.	1.	Kenje	1866.	1206.	1.
Sootoku	1757.	1097.	2.	Soojen	1867.	1207.	4.
Kooa	1759.	1099.	5.	Genriaku	1871.	1211.	2.
Tſiooſi	1764.	1104.	2.	Genpo	1873.	1213.	6.
Kaſſio	1766.	1106.	2.	Seokiu	1879.	1219.	3.
Teniſi	1768.	1108.	2.	Teevvo	1882.	1222.	2.
Tenjei	1770.	1110.	3.	Gen In	1884.	1224.	1.
Jeikiu	1773.	1113.	5.	Karoku	1885.	1225.	2.
Guanje	1778.	1118.	2.	An Te	1887.	1227.	2.
Fooan	1780.	1120.	4.	Quanki	1889.	1229.	3.
Tentſi	1784.	1124.	7.	Teejei	1892.	1232.	1.
Tenſio	1791.	1131.	1.	Tempoko	1893.	1233.	1.
Tſiooſo	1792.	1132.	3.	Bunriaku	1894.	1234.	1.
Jeeitſi	1795.	1135.	1.	Kaſſiuku	1895.	1235.	3.
Kootſi	1802.	1142.	2.	Riaknin	1898.	1238.	1.
Tenjo	1804.	1144.	1.	Jengo	1899.	1239.	1.
Kivan	1805.	1145.	6.	Nintzi	1900.	1240.	3.
Nimpe	1811.	1151.	3.	Quan Jun	1903.	1243.	4.
Kijſu	1814.	1154.	2.	Quantzi	1907.	1247.	2.
Foogien	1816.	1156.	3.	Genſio	1909.	1249.	6.
Feitſi	1819.	1159.	1.	Koojen	1915.	1255.	1.
Jeiraku	1820.	1160.	1.	Sooka	1916.	1256.	1.
Oofo	1821.	1161.	2.	Sooguan	1917.	1257.	1.
Tſioquan	1823.	1163.	2.	Bunvoo	1920.	1260.	1.
Jeeman	1825.	1165.	1.	Koſio	1921.	1261.	3.
Ninjani	1826.	1166.	3.	Bunje	1924.	1264.	11.
Kavoo	1829.	1169.	2.	Gentſi	1935.	1275.	2.
Sioun	1831.	1171.	4.	Kentſi	1937.	1277.	4.
Angen	1835.	1175.	2.	Kooan	1941.	1281.	4.
Dſijſſo	1837.	1177.	4.	Sioo	1945.	1285.	3.
Joovva	1841.	1181.	1.	Soovvo	1948.	1288.	5.

Jenin

Digitized by Google

Jenin	1953.	1293.	6.	Kakits	2102.	1442.	3.
Sevan	1959.	1299.	3.	Bunjan	2105.	1445.	5.
Kagen	1962.	1302.	4.	Fotoku	2110.	1450.	5.
Tokuds	1966.	1306.	2.	Koſio	2115.	1455.	2.
Jenke	1968.	1308.	3.	Tſioorok	2117.	1457.	3.
Ootſijo	1971.	1311.	1.	Quanisjo	2120.	1460.	6.
Sooa	1972.	1312.	2.	Bunsjo	2126.	1466.	1.
Bun O	1974.	1314.	5.	Onin	2127.	1467.	2.
Genvvo	1979.	1319.	2.	Fumjo	2129.	1469.	18.
Genko	1981.	1321.	3.	Tſiooko	2147.	1487.	2.
Seotsju	1984.	1324.	2.	Jentoku	2149.	1489.	3.
Karaku	1986.	1326.	3.	Me O	2152.	1492.	9.
Gentoku	1989.	1329.	2.	Bunki	2161.	1501.	3.
Genko	1991.	1331.	1.	Jeeſeo	2164.	1504.	17.
Scoke	1992.	1332.	2.	Tejie	2181.	1521.	7.
Kemmu	1994.	1334.	2.	Koraku	2188.	1528.	4.
Jenken	1996.	1336.	2.	Tembun	2192.	1532.	23.
Riakuvvo	1998.	1338.	4.	Koodſi	2215.	1555.	3.
Kooje	2002.	1342.	3.	Jeekoku	2218.	1558.	12.
Tevva	2005.	1345.	4.	Genki	2230.	1570.	3.
Quano	2010.	1350.	2.	Jenſoo	2233.	1573.	19.
Bunjuva	2012.	1352.	4.	Bunroku	2252.	1592.	4.
Jenbun	2016.	1356.	5.	Keitsjo	2256.	1596.	19.
Kooan	2021.	1361.	1.	Genivva	2275.	1615.	9.
Teeidſi	2022.	1362.	6.	Quen Je	2284.	1624.	20.
Ooan	2028.	1368.	7.	Seofo	2304.	1644.	4.
Kooraku	2035.	1375.	4.	Kejan	2308.	1648.	4.
Seitoku	2039.	1379.	2.	Seoo	2312.	1652.	3.
Koovva	2041.	1381.	4.	Meiruku	2315.	1655.	3.
Sitoku	2045.	1385.	3.	Bantſi	2318.	1658.	3.
Kakei	2048.	1388.	2.	Seovvo	2321.	1661.	12.
Ikoo O	2050.	1390.	1.	Jempo	2333.	1673.	8.
Meetoku	2051.	1391.	4.	Tenvva	2341.	1681.	3.
Oo Jei	2055.	1395.	34.	Dſiokio	2344.	1684.	4.
Seootſi	2089.	1429.	1.	Genroku	2348.	1688.	5.
Jeiko	2090.	1430.	12.				

XI. Japoniis ad latus adjacent Septentrionale *Trozembouc*, ſive *Kaoli*, Europaeis Coraeae dictae Peninſulae, ad Occidentale vero Inſulae *Hai-Nan*, &*Tai-Ovan*, Europaeis *Formoſae* dictae, Incolae, quorum de Hiſtoria, & Chronologia obiter agere modo juvat. Atque *Coraea* quidem a Tartaris tò quidem effuſis inhabitata, tria olim in Regna *Tchao-Sien* ad Occaſum, *Kao-Kiu-li* ad Meridiem, ac *Pe-tſi* ad Aquilonem, aliaque parva diſpertita erat. In Sinis imperante *Vou-Vam* Dynaſtiae III. *Tcheou* fundatore, Chriſti ante natalem anno 1122, a *Kitſu* Imperatoris *Cheou-Sin* Dynaſtiae II. Sinenſis ultimi Nepote, e Sinis profugo in Coraea Regni *Tchao-Sien* fundamenta jacta fuere, ejuſque e familia poſteri regnare perrexere uſque ad annum 246. ante Chriſtianam Aeram; quo a *Tchao ſiam-vam* Sinenſis Dynaſtiae IV. *Tſin* fundatore Coraea occupata, regio *Vang* titulo abrogato, ac titulo *Hean* ſubalterni *Marchionis* relicto, ſub tributo *Tchao-Sien* Rex manere juſsus eſt. Poſt annos 40. vero Sinenſium excuſso jugo, reſumptoque *Vang* titulo regnum reſtituit *Chun*, ſive *Tchun* e ſtirpe *Kitſu*, in quo demum anno 196. Chriſti ante natalem extincta *Kitſu* familia eſt, atque Regnum a *Vey-man*, ſive *My-ang*, Verna latrociniis inſigni, uſurpatum eſt. Ab iſto fundata Dynaſtia II. Aeram ante Chriſtianam anno 110. in ipſius nepote *Jeu-Hiu* exterminata eſt, atque *Tchao-Sien* regnum a Sinenſi Imperatore VI. *Vou-ti* Dynaſtiae V. *Han* occupatum, in Provinciam redactum eſt. Alterum in Coraea regnum *Kao-Kiu-li* ante Chriſti natalem anno 223. a *Tchu-Mong*, cujuſce de origine multa fabulari Coraei ſolent, fuiſſe conditum fertur: quod in ipſius poſteris, quos longo a De Guigneſio Hiſt. gen. Hun. T.I. Par.I. lib.3. p.136. ſqq. recenſitos catalogo videre eſt, per annos 900. integrum manſit. Extincta familia iſta, a *Kong-y* Bonſo, Regis adſumpto nomine, *Kao-Kiu-li* regnum occupatum eſt Aerae Chriſtianae anno 904: ſed eo interfecto, regnum a *Vam-Kiem* Militiae Praefecto uſurpatum eſt, amplificatumque, atque ſecunda fundata Dynaſtia, e qua poſteri regnum uſque ad Chriſti annum 1400. circiter tenuere, quo ſpoliati deinde fuere a *Li-Ching-Kuei*, a quo tertia fundata Dynaſtia eſt, inque ſua e progenie ſucceſſores Regnum ad hodier-

Digitized by Google

hodiernum uſque diem transfuſum eſt, ſub annuo tamen Sinenſi Imperatori dependendo tributo. Tertium, quod in Coraea fundatum Regnum fuit *Pe-tſi*, eique diu indigenae praefuere, donec a *Tchun*, ſive a *Chun* Rege *Tchao-Sien* e Regno a Sinenſibus expulſo, ante Chriſti natalem anno 200. circiter, *Pe-tſi* regnum uſurpatum eſt: quo paullo poſt interfecto, ad Reges Indigenas regnum rediit: donec anno Chriſti 680. circiter inter Regulos Coraeae alios tres *Sin-lo*, *Po-bai*, & *Mo-Ko*, tres ideſt in partes diſcerptum eſt: quae tria demum Regna Chriſti anno 830. circiter in unum Sinenſe coaluere: videndique Pater De Regis Obſervat. Geogr. apud Duhaldum in Deſcript. Imp. Sin., De Hamel Hiſt. Itin. T. V, ac De Guigne ſius Hiſt. gen. Hun. Par. I. T. I. p. 141. ſqq.

XII. Jam vero dubium haud eſt, quod in Coraeam utpote Coloni e Sinis transfuſi fuerint, a Sinici generis hominibus in Coraea fuerint regna fundata, Sinenſis Imperatoris ſubire jugum Coraea ſaepe coacta fuerit, Ritus, Leges, & Religionem a Sinenſibus acceperit, atque Sinico Imperio a principio ad hunc uſque diem vectigalis manſerit, haud, inquam, dubium eſt, quin eadem Coraeis, quae recepta Sinenſibus eſt, uſu Menſium, Annique ratio venerit, anniſque putandis eaedem uſurpatae Periodi ſint. Non idem tamen ferendum de *Hai-Nan*, ac *Tai-Ovan* Incolis judicium. Geminae hae porro Inſulae, quae Sinis ad ortum, ac meridiem adjacent, potiori ſui parte ad Imperii Sinici jura quidem pertinent, qua proinde, una cum eiſdem legibus, moribus, ac inſtitutis, eadem, quae in Sinis, obſervanda Temporum ratio inducta eò ſane eſt. Sed enim Inſulae tam in *Hai-Nan* meditulio aſperrimis interjecto Montibus, quam in *Tai-Ovan*, Europaeis *Formoſae* dictae, ora Orientali, difficillimis & ipſa Montium jugis circumſepta proprii juris Populi inhabitant, abſque Religione, abſque Legibus, abſque Regibus, ingenio, moribus, conditione duri, agreſtes, feri, atque Sinenſibus, a quibus vi, armiſque ſubjugari hactenus nequivere, tam infenſi ſunt, quam ullum cum ipſis, niſi belli, commercium habere detrectant. Certas ideo barbaris Incolis hiſce putandis temporibus rationes aut negligi, aut neſciri inde ſit conſequens. Id unum hodie, referentibus Itine-

Itineratoribus, compertum habemus, Inſulanis his informem adeo uſurpari Anni formam, ut Menſes e diebus 36. quidem conflare, Annum vero e Menſibus 10. dumtaxat componere delectati ſint. Sunt autem ejuſmodi, prout ex Commentario Georgii Pſalmanazaris Amſtel. 1075. edito a Joh. Alberto Fabricio in Menologio p.160. deſcripti fuere, e quo deſumptum eorumdem heic diagramma exhibendum duxi.

M E N S E S

HAI-NANIENSIUM, AC TAI-OVANIENSIUM.

I. Dig	VI. Dabes
II. Damen	VII. Anaber
III. Analmen	VIII. Nechmen
IV. Anioul	IX. Koriam
V. Datibes	X. Turbam

DE

Digitized by Google

D E

MENSIBUS, ET ANNIS

Americanorum, Mexicanornm, Peruvianorum &c.

ARTICULUS V.

I. AB Orientalibus modo ad Occidentales deflectendo Indos, per Americae ideſt peramplas longe, lateque diſperſos Regiones, principio horum Antiquitates, Origineſque quod attinet, inſignis Theophraſti Paracelſi ſtultitia notanda ſe nobis offert, qua duplicem commentus *Adamum* eſt, alium in Aſia a Deo creatum, a quo *Aſiatici*, in America conditum alterum, a quo prognati *Americani* fuerint. Qua ſane a ſtultitia ne hilum quidem abſuit Iſaacus Pereyrius in Syſtemate Praeadamitico-Theologico lib. 3. cap. 5, Americanos longe ante *Adamum*, Hebraicae Gentis propagatorem, in America ipſa a Deo fuiſſe creatos ex jactatis apud Garcilaſſum a Vega in Comment. Regio Americanorum Antiquitatibus auguratus. Quo plane loci ſecummet, Andabatarum more, pugnare, digladiarique Pereyrius convincitur inde, quod hinc Gentiles cum Animantibus a Deo die 6. creatos ponit, *Adamum* vero ſequenti die 7; illinc autem Americanos, Gentileſ-

que

que alios longe plures haud ab *Adamo*, a quo Hebraeos dumtaxat profluxiſſe vult, progenitos, Aſſyrios, puta, Chaldaeos, Babylonios, Aegyptios, Phoenices, Aethiopes, Scythas, Indos, Sinenſes, Japonios &c., ex horum omnium Antiquitatibus eoſdem a Deo conditos fuiſſe multis ante creationem *Adami* Seculis argumentum extorquet. Qua a Pereyrii inſania mirum, quam immaniter diſcrepet Urſinus in Analectis lib.6. cap.24. p.378! quo loci Chriſtianam ante Aeram Incolis omnino vacuam Americam ubique extitiſſe, inani neſcio quo momento ductus, exiſtimat. Neque verò ſolidiori ſuffulti fundamento Americanorum origines repetendas fore duxere, ſive ab *Hiſpanis* loco a Mauris fugatis, uti Bivarius, aliique apud Gomaram, & Purchatium; ſive a *Chananaeis* metu *Joſue* cum Iſraelitis ex Aegypto regredientis in diverſa profugis, veluti Lerius, Gomara, Leſcarbotus lib.1. cap.3, Genebrardus, Moraeſius, Thevetus Itin.; ſive a *Poenis* Hiſpaniolam primo, ac deinde Panamam appulſis, ut Alexius Vanegas lib.2. cap.2; ſive a *Celtis*, veluti Goropius Becanus, Abrahamus Myllius, & Grotius de Orig.Gent.Americ.; ſive a *Romanis*, ut Marinaeus Siculus; ſive a *Friſiis*, veluti Suffridus Petri, & Hameonius; ſive a *Gallis*, uti Jacobus Charron; ſive ab *Ophyri* filii *Jectanis* poſteris, ut Arrias Montanus in Phaleg lib.7. cap.9; ſive ab *Aegyptiis*, uti Kircherus; queis de, aliiſque fuſe diſputat Hornius Orig. Amer. lib.1. cap.2. p.6. ſqq.; quas & opiniones multis oppugnat cap.4. p.24. ſqq.; in ea ipſe ſententia obverſatus capp.5, 7, 11. p.38. ſqq., 46. ſqq., 58. ſqq., ut a Phoenicibus, a Scythis, a Tartaris, a Sinenſibus Americam inhabitatam autumet: qua parum ab opinione abfuit Fullerus Miſcell. Sacr. lib.2. cap.4, *Japheti* poſteros e Scythia, & Tartaria, Freto ſuperato Magellanico, per Americam fuiſſe diffuſos arbitratus.

II. Contra a Judaeis originem Americanos duxiſſe, ſive Decem Iſraelitarum Tribuum eos reliquias eſſe, ex Indorum cum Judaicis ritibus convenientia arguunt e Verpis nonnulli, R. Aharon Levi, ſive Antonius de Monteſino in Relat. p.9. ſqq., R. Menaſſeh ben Iſrael in מקוה ישראל *Spe Iſrael*, libello Senatui Britannico dicato, unaque cum Monteſinii Relatione Amſtel. 1650. edito, quo Decem Iſraelis tribuum reliquias in Americam

cam tranſplantatas fuiſſe multis p. 28. ſqq. pugnat, inde nempe quod Jucatenſes, & Acuzainilenſes Circumciſionis ritum, obſervant; Totones, ac Mexicani in obitu, aut ſubito infortunio veſtes dilacerare, ac jugem in Ara ignem alere haud abſtineant; Nicaraguazenſes foeminae confeſtim a partu ingredi Templa prohibitae ſint; Peruviani, & Guatimali defunctorum fratrum viduas ducere religioni habeant; Mexicani Jubilaeum annorum 50. ſolemni peragere ritu ſoleant &c. Quod poſt ipſos perſuaſum item habuere Angli Viri Moyſes Wall, & Thomas Thorowgood, Gallus auctor Opuſculi de Conform. morum Indor. cum Jud., Villelmus Pen Anglus itidem Epiſtola ad Mercatores Lond. de Statu praeſenti Anglici Dominii in America p.143.ſqq., Anton. Zarata in *Decouverte du Perou* T.II.cap.10. p.49. ſq., Acoſta de Natura Novi Orbis lib.1.cap.16, Laetius de Orig. Gent. Amer. p. 83, Leſcharbotus Hiſt. Novae Franc. T.I. cap.3, Ludovicus Hennepinus Itin., Joſephus a S.Thereſia in Hiſt. Belli Braſil., Stephanus Morinus in Diſſert. de Cognat. Laced., & Hebr. &c. Contra quos tamen utroque collato veluti pede ſtant, atque pugnant, Judaicae profecto Americanos progeniei eſſe inficiati, Theophilus Spizelius in Elevatione Relationis Monteſinii, Kidderus in Demonſt. adv. Judaeos Par.III. p.434. ſq., Wagenſelius Libror. Juvenil. T.II.Par.II. p.123, Herm. Witſius de Decem Trib. Iſrael. cap.8. p.371, Jacobus Baſnagius Hiſt. Jud..lib.7. cap.3. T.VII.p.65. ſqq., Henricus Witſius diſſert.2. de Evangelio in America non praedicato p.92. ſqq., aliique. Verum Americanorum origines ad priſcos fore *Phoenices*, qui Freto e Gaditano digreſſi, Auſtrumque verſus progreſſi, in Americam proſperis demum ſyderibus appulerint, referendas autumnant Robertus Comtaeus in Commentario inedito, ac Huetius Demonſtr.Evang. Prop.IV. cap.7. §.6. edit. Ven. T.I. p.109. ſq., conjectura inde ducta, quod Deus O.M. Americanis *Teutl*, ſive *Teutille* vocetur, voce, ut exiſtimat, derivata a *Theuth* Aegyptiorum, ſeu a *Taauto* Phoenicum. Nihil opinione hinc abeſt Hornius de Orig. Gent. American. lib.2. capp.3, 5, 6, 7, 8, 9, & 10, Phoenicum Colonias praeſertim in Americam revera fuiſſe tranſplantatas inde arguens, quod Caraibis plures adhuc voces

Phoeniciae Inſularum, locorum, fluminum &c. integrae ſub eadem ſignificatione manſerint, velut etiam propriae, uti *Cynato*, Zelotypia, *Ciba* Saxum, *Canoa* Navis, *Copei* Bitumen, *Boa* Domus, *Macana* Gladius, de quibus etiam Petrus Martyr; voces item *Guacca* Regia, *Jarima* Podex, *Cu* Templum, *Attabeira* Mater Dei, *Caſiqua* Rex, *Pium* Os, *Sechen* Mens, *Schial* Lingua, *Jaos* Virgo, *Eneka* Torques, *Kaniche* Arundo Sacchari, *Neketali* Defunctus, *Hilaali* Exſpiravit &c. Confirmant id vero Judaeorum, quo nomine Phoenices etiam origine Chananaeos venire adnotavit Bochartus Geog. Sac. lib. 4. cap. 34. p. 301, Ritus plerique, moreſque Americanis proprii facti, velut Hornio lib. 2. cap. 12. ſq. p. 120. ſqq., qui perinde lib. 3. cap. 3. ſqq. p. 137. ſqq. Scytharum etiam, Hunnorum, Parthorum, Tartarorum, imo Turcarum, & lib. 4. cap. 1. ſqq., Sinenſium itidem, ac Japoniorum in Americam adventum probare ſatagit, & Huetio obſervatum eſt: qui tamen ex Afris etiam Zonam inter Torridam degentibus pleroſque in Americam, ac Peruvianas quammaxime Regiones, tranſmigraſſe perſuaſum habuit.

III. Atque opinio iſthaec ſane Grotio etiam de Orig. Gent. Americ. diſſert. 2. probata eſt, in Americam plane meridionalem e Promontorio Bonae Spei, per Fretum Magellanicum, ac Terram Ignis vulgo dictam, Chriſtianos Aethiopes penetraſſe cenſenti, conjectura inde ducta, quod Petro Martyre, & Herrera teſtibus, Jucatanenſibus praeſertim, aliiſque finitimis Populis *Circumciſionis* ritus, *Baptiſmi* quin imo, *Unctionis* in fronte, honeſtae *Sepulturae*, fides quoque de univerſali, finalique *Judicio*, uſu paſſim venerint: veniſſeque quin etiam *Trinitatis*, *Eucharistiae*, *Poenitentiae*, *Chriſti D. paſſionis*, *Virginis Matris* &c. notitiam Sinenſibus, Japoniis, Mexicanis, Jucatanenſibus, Peruvianis, Cuzconenſibus &c. confirmat Hornius Orig. Americ. lib. 4. cap. 15. Cui tamen opinioni pleraque opponit Johannes de Laet in Not. ibidem, falſam omnino probat Acoſta Hiſt. Natur. Ind. lib. 1. cap. 23, & Hiſt. Moral. Ind. lib. 5. cap. 26, Aethiopum neque Circumciſionem, neque Caeremonias alias Indis uſurpari oſtendens, ac prorſus exſufflat Lafitaeus de Morib. Sylv. Americ. p. 33. ſq., & p. 412.

Digitized by Google

& p.412. ſqq. ex Ritibus quibuſdam Judaicorum ſpeciem refe-
rentibus, aut quin etiam Chriſtianorum ſimilibus inferre haud
fas eſſe propterea inde Americanorûm origines repetendas fo-
re demonſtrans. Ethnicis ſiquidem univerſim cum e Moſayca,
tum e Chriſtiana lege, Daemone ſuggerente, pleraque deflo-
rare, proprioſque in Ritus transferre ſolemne, pro ſuperſtitio-
ne, perpetuo fuerit, velut apud S. Juſtinum Apolog.2.p.94.
ſqq., Tertullianum de Praeſcript. cap.40, S. Joh. Chryſoſto-
mum, & S. Auguſtinum contra Fauſtum lib.1. cap.13. intueri
licet. Quorum ſimillima e veterum Ethnicorum Ritibus ſuos
in uſus apud Indos translata, quae Moſaycorum, & Chriſtia-
norum Rituum ſpeciem referant, paſſim congeſta legere eſt,
veluti de quadam *Confeſſionis* ſpecie Guebris, Siamenſibus, Ja-
poniis, Indiſque aliis obſervata, a Tavernierio Itin.Perſ.lib.4.
cap.8, ab Acoſta Hiſt. Moral. Ind. lib.5. cap.25, a P. Bouveto
Epiſt.1. ad Huetium Collect. Litt. Edif. T.IX, qui & Brachma-
nibus *Euchariſtiae* ſymbolum quodpiam uſurpari refert, non
ſecus atque Peruvianis, Mexicanis &c. Acoſta loc. cit. cap.23.
ſq.; veluti de *Crucis* ſigno, Jucatanenſibus praeſertim, Goſu-
melianis, Cumanenſibus, Peruvianis, Gaſpeſiis, Paraguanis &c,
in honore ceu ſacro habito, a Petro Martyre Oceani Decad.
lib.4. cap.1, a Lopeſio Gomara Hiſt. Ind. lib.2. cap.17, &
lib.3. capp.2, & 32, a Garcilaſſo de Vega Comment. Regii
lib.2. cap.3, a P. Antonio Ruizio de Conquaeſt. Paraguajae,
§§.23, & 25, & P. Chriſtiano Le Clerc Relat. Gaſpeſiae cap.9.
ſq. &c.; qua de re tamen valde dubitat, dubitandi ratione e
Scriptorum aliorum ſilentio deſumpta, P. Lafitaeus de Morib.
Sylv. Amer. T.I. p.435. ſqq., Crucis interea ſymbolum Ethni-
cis olim, Aegyptiis, Phoenicibus, Graecis inter Myſteria *Iſi-
dis*, Hieroglyphica inter Aegyptiaca uſurpatum, poſt Lipſium
de Cruce lib.1. cap.8, Gretzerum de Cruce lib.1. cap.51, Pi-
gnorium in Expoſit. Menſae Iſiacae, Kircherum in Oedip., &
Obeliſco Pamphilio obſervans, veterum Numinum *Horiapol-
linis*, *Jovis Ammonis*, *Bacchi*, *Deae Syriae*, *Veſtalium*, *Co-
rybantum*, &c. ſimulacris, typis, Aris, vaſis, cymbalis &c.
idem *Crucis* ſignum paſſim inſcriptum legi ſubjungens: quae
Crucis perinde veſtigia reliqua, quae apud Indos Orientales

reperta ſunt, indicio facile alioquin eſse poſſunt ejuſdem *Crucis* Myſterii a SS. Apoſtolis praedicati.

IV. Ad Phoenices ut modo redeam, ex his plerique, etſi Diodoro lib.5. p.207, ac Pſeudo-Ariſtoteli de Mirabil. in Indias profecti dici videantur, in tanta Marium attamen intercapedine diſterminatas eos terras navigaſſe veri parum videtur ſimile Bocharto Geog. Sac. lib.1. cap.38. p 645, ubi Fullerum Miſcell. Sacr. lib.4.cap.19. Crit.Sacr.T.VII.edit.Francof.p.227. ſqq., *Salomonis* tempore Tyrios lapidis *Herculaei*, Magnetis ideſt *Herculi* a Tyriis adſcripti, ope in Americam penetraſſe opinatum refellit; conferrique poterit etiam Gaſpar Varrerius in Comment. de Regione Ophyra Crit. Sac. T.VI. p.463.ſqq., ubi haud abſimiles Rabbani, Lyrani, & Vatabli de America opiniones exſufflat: ad quos accedentes item Genebrardus, Arias Montanus, Poſtellus, Robertus Stephanus, Beccanus, Poſſevinus, Eraſmus Schmidius Annot. in Libr. Regum prior. cap.9. v.26. ſqq. p.52. viden, ut vapulent a Buddeo Hiſt. Eccl. Vet. Teſt. T.II. Periodo II. ſect.4.p.265. in ea opinione verſato, ut *Ophyr* Salomonis in India Orientali, Occidentali non item, ſit inveſtiganda! Cui opinioni favent Sanctius, Varrerius, Bochartus, Lipenius &c. Ex Americanis viciſſim Peruvianos ſaltem originem e Sinis duxiſſe ſuam inde augurantur Grotius de Orig. Gent. Americ., & Hornius eodem de argumento lib.4. cap.16, quod tum Sinenſium Imperatoribus, tum Peruvianorum Regulis, vulgo *Incas* denominatis, *Intipcharin* filios, *Solis* ideſt, ſeſe inſcribere ſolemne fuerit. Atque inter Peruvianos celebris Incas *Manco-Guina-Capac* filius quidem *Solis* dictus fuiſſe notatur Garcilaſſo de Vega *Hiſt.des Incas* T.I.cap.1. edit. Pariſ. p.17, Hornio Orig. Amer. lib.4. cap.10. p.240. ſq., ac Banierio Mytholog. T.II. edit. Neap. lib.2. cap.9. de Theogonia Americ. p.520. Sed enim conjecturas adeo infirmas refellendas ſuſcepere Johannes de Laet in Not. ad Grotium loc. cit., & Joſephus Franc. Lafiteau in *Moeurs des Savvages Ameriquains* T.I. cap.4. de Relig. Amer. p.130. ſqq., tum quod falſum ſit *Solis* filiatione gloriari Sinenſes Imperatores ſolere: quamvis inter Tartaros ejuſmodi de *Solis* generatione *Tchu-Mong* gloriatus legatur apud Du Haldum Hiſt.Sinen.lib.5.cap.4.

p.343;

p.343; tum quod proprium id, communeque Orientalibus univerſim Regibus fuerit ea ſublimi de origine ſibi plaudere, velut oſtendit Marſhamus in Can. Chron. Seculo XIII. p.346, & Seculo XVI. p.459. ſqq. Ita namque in celebri Obeliſco, Romam ex Aegypto delato, quem Hermapion Graece fuerat olim interpretatus, cujuſce nobis interpretationis fragmentum ſervavit, & a temporis eripuit invidia Ammianus Marcellinus lib. 17. inter Scriptores Hiſt. Rom. edit. Baſil. 1533. p.598, quamve ſane interpretationem a Kircheri in Obeliſco Pamph. p.149. cenſura vindicat Marſhamus p.462, *Rameſſes* Aegypti Rex *Solis* ſe filium inſcribere delectatus legitur. Apud Heliodorum Hiſt. Aethiop. lib. 10. *Charicles* Aethiopiae Princeps foemina *Solem* Majorum ſuorum Parentem adpellare non dubitavit. Phoedro Act. 1. Scen. 3. edit. Racine *Sol* Matris ſuae *Paſiphaeae* progenitor, non ſecus atque pater *Circis*, ac *Medaeae* ſororis, ac filiae *Aeatis* Regis Colchidis ſuperbe nuncupatus eſt. In veteribus Inſcriptionibus *Semiramis* Babylone imperans ambitioſo *Solis* filiae titulo decorata legebatur. Macrobio Saturn. lib. 1. cap. 23. teſte, *Adad*, hoc eſt *Solis* nomine Reges denominare ſuos Aſſyriis vetuſtiſſimo poſitum erat in more. Inde *Benadad* vocabulo, *Solis* ideſt filiatione, Syriae Reges gloriari ſolitos, ſeque a Plebe diſtingui alibi oſtendimus. Quod illuſtre perinde nomen uſu paſſim veniſſe Perſis, Parthis, & Americanis fuſe confirmat Laſitaeus p.132. ſqq. Et certe Legumlatoribus ſiquidem, ut ſuis fidem Populorum Legibus arcte devincirent, cogitatum illud inceſſerit ſuis de Legibus acceptis ad Deos deferendis, unde quas Aegyptiis tradidere *Amaſis*, & *Mnevis*, eas *Mercurio* adſcripſiſſe leguntur; quas Bactrianis *Zoroaſter*, & quas *Zamolxis* Hetaeis, a *Veſta* ſe accepiſſe finxere; quas *Zathrauſtes* Arimaſpiis, a *Genio* familiari; a *Jove*, quas Cretenſibus *Rhadamantus*, ac *Minos*; quas *Triptolemus* Athenienſibus a *Cerere*; a *Minerva*, quas Crotoniatis *Pythagoras*, & Locrienſibus *Zaleuchus*; quas Lacedaemoniis *Lycurgus* ab *Apolline*; quas Romanis *Numa* ab *Aegeria* &c.; ita Legislatoribus deinde aliis ſuas ad *Solem* acceptas referendi leges eadem inſedit ambitio, cujus ideo filiatione gloriari non deſinebant: unde Siamenſis fundator imperii *Fan-ſo* ſe *Solis* filium

Digitized by Google

filium inſcribere delectatus legitur; ſe *Sole* patre genitum jactare *Manco-Capac* Peruvianorum Legiſlator, Viſigothorum Legiſlatores *Thor*, & *Odin* ſe a Deo inſpiratos venditare haud deſinebant; Mogulenſis inſtaurator imperii *Gengbiſchanus* hoc ipſo *Solis* filii titulo gloriari; ex Divino conſortio Alcoranum ſe deſcripſiſſe *Mohammedus* jactare non deſtitit; qua de re fuſe *Encyclopedie* &c. edit. Pariſ. T.III. p.381. ſq.

V. Atque hiſce rejectis de Americanorum Originibus, Antiquitatibuſque conjecturis, alteram, quae veri ſane longe ſimilior videtur, ipſe animo induit opinionem Laſitaeus de Morib. ſylveſt. Americ. Poſtquam enim p.43. ſpecimina traditae olim, aut retentae Americanis hiſtoriae de *Creatione* Mundi, de *Eva* e Paradiſo ejecta, de interfecto a fratre *Abele*, de familia *Noachi* a Diluvio ſervata, de finali *Mundi* interitu &c. nonnulla exhibuiſſet, quaeque deſcripſit inde Banierius Mytholog. T.II. lib. 2. cap.9. de Theog. American. edit. Neap. p.516. ſqq.; atque *Mundum* utique a Deo conditum Americanis credi, puta Braſilianis, ac Peruvianis, queis ideo Deus *Pachamach*, ſive *Virachoca*, ſive *Pachajachachick* adpellari ſolet, ideſt *Caeli*, & *Terrae Creator*; Mexicanis item, quibus *Vitzliputzli* denominatur; Virginiae Incolis, aliiſque teſtis eſt locuples Theodorus de Bry Hiſt. Ind. Occid. lib.5. cap.3. ſq., ac de Virginiae Incolis p. 27; ſed & Japoniis a Deo conditum *Mundum* haud ignorari docet Hiſtoria *De l'Ambaſſade all'Empereur du Japon* 1680. Par.II. p.138, juncto Ludovico Froeſio apud Kircherum Chinae illuſt. p.142; neque ignorari Siamenſibus, Indoſtanis, Malabaris, Sinenſibus &c. fidem abunde faciunt Lordius *Diſcovery of the Banian Religion* &c., Roggerius in Janua Ethniciſmi aperta, ubi ex Sacro Brachmanum libro *Vedam* Par.II. cap.1. excerptum hac de re exhibet, Dani in ora Coromandelica Pſeudo-Evangeliſtae in *Propagation of the Goſpel in the Eaſt* Par. I. epiſt. 3, & Par. II. epiſt. 3, junctis Kirchero Chinae illuſt. p. 154, Martinio Hiſt. Sinen. lib.1. p.13. ſq., & Anglis Scriptoribus Hiſt. Univ. Introd. edit. Ven. p.142. ſqq., ipſe Laſitaeus, inquam, Americanorum origines refundendas fore putat cum in Scythas Occidentales, Orientaleſque Tartaros, quibus tam per Laponiam, & Groelandiam, ſive per Fretum

tum Aniani, quam per Terras Jeſſo transfretare Septentrionalem in Americam haud fuit difficile. Quae plane opinio Grotio quoque probata eſt, quamvis haud ponderoſo eamdem ſuffulcire momento adgreſſus eſt, longius inde petito, quod pleraque Americanis Vocabula Laponiis, & Groelandis communia deprehenſa ſunt: quem ideo refellendum adſumpſere Johannes Laetius in Not., & Iſaacus Pereyrius Syſtem. Theolog. lib. 4. cap. 14: ſed haud firmiori poſterior iſte documento inde repetito, quod Groelandis Danorum lingua ſit prorſus ignota; probata item Torniello Annal. Sacr. ad an. m. 1931, etſi nullis hancce firmare opinionem argumentis ſatagat; Acoſtae quinimo pridem accepta fuit, ex parte vero Eduardo Brerevvoodo pro Tartaris ſtanti; Laetio item in Not. ad Grotium in Americam poſt Diluvium Colonos cum ex Tartaria per Fretum Aniani, tum ex nova Guinea per Fretum Magellanicum profectos opinanti. Quae denique Laſitaei opinio veri ſit inde valdequam ſimilis, quod a Doctiſs. P. Turribia ſingulari edita diſſertatione nuper demonſtratum eſt Moſchos maritimo e Scythia, modo Siberia, in Americam itinere penetraſſe, atque tranſitum in Americam utique Septentrionalem e Tartaria Orientali patere haud difficilem. Addit porro Laſitaeus p. 89. ſqq. Americanorum origines refundendas quammaxime fore in Pelaſgos, & Hellenes, qui a Graeciae tum Continenti, cum Inſulis adjacentibus a *Cadmonaeis*, ſive *Agenoridibus* ea ferme ſub aetate, qua ab Hebraeis loco pulſi Chananaei leguntur, ſedibus expulſi in Americanas tranſplantare ſe Regiones compulſi fuerint. Quam ſuam inde conjecturam ex Hellenum, & Pelaſgorum moribus, quos Americanis valde conformes eſſe oſtendere nititur, confirmare Vir doctiſs. ſatagit.

VI. Americanorum Chronologiam, ac Mexicanorum quammaxime, quod nunc attinet, eam admodum vacillare, & Acoſtae, & Herrerae ab anno Aerae Chriſtianae 700. uſque ad annum 1200, multoque magis inde retro, dubiam eſſe, incertamque obſervare initio juvat, ac intereſt. Quamquam intra temporis ſpatium iſtud Regum, qui Mexicanis imperaſſe feruntur, nomina, regnique annos colligere ex Popularium traditione ſategit Hornius Orig. Americ. lib. 4. cap. 12. p. 260. ſq. Ab anno denique

que Aerae Chriſtianae 1381, quo *Mexicum* Urbs condita eſt, poſt annos 140, ideſt anno 1521, ab Hiſpanis deinde occupata, indubia decurrere tempora cepere. Quae jam vero Americanis olim Menſium, Annique forma uſurpata fuerit, in obſcuro ſane latet: uſurpatam fuiſse tamen aliquam inde augurari fas eſt, quod eis, Aſtronomiae caeteroquin omnino ignaris, haud tamen Conſtellationes, ac Planetas haud prorſus ignoratos fuiſſe, eiſdem ferme atque apud Europaeos, nominibus apud ipſos adpellatos, veluti *Plejades*, *Urſum*, ſive *Polarem Stellam*, ſive *Arcturum*, *Luciferum*, ſive *Venerem* &c.; atque inter alios ita apud Iroquenſes, Gaſpeſios &c. memoriae litterarum mandarunt Viri e Soc. Jeſu doctiſs. Chriſtianus le Clerc in Relatione Gaſpeſiae cap. 7. p. 152, & Lafiteau de Mor. Sylveſt. Amer. T. II. cap. 3. p. 235. ſqq. Americae Populis adhaec univerſim Dies a *Nocte* auſpicari, Menſes ad *Lunae* curſum metiri, ita tamen, ut ad *Solis* etiam Periodum Annum exigere, atque in duodenos eum partiri Menſes, inque quatuor diſpeſcere tempeſtates noverint, in more poſitum refert Lafitaeus p. 225. ſqq. Menſibus jam vero aut a *Lunae* phaſibus, aut a *Lunae* effectibus, aut a *Telluris* germinibus, *Aeriſque* diverſis tempeſtatibus diverſa, praeſertim apud Iroquenſes, & Huronios, indita fuiſse nomini idem loco indic. obſervat. Caraibis *Neomenias* etiam religioſe obſervari, ac renaſcentem *Lunam* ingentibus ſalutari clamoribus, feſtiviſque ſolere refert Huetius Demonſ. Evang. Prop. IV. cap. 7. §. 6. edit. Ven. T. I. p. 423. *Noctium* viciſſim, aut *Lunarum* ſerie, ac ſpatio, pro dierum, Menſiumque numero, res geſtas, aut gerendas, velut Itinera, Venationes, Bella, Expeditiones, Conventus &c. definire Huroniis ſolemne eſt. *Skarakovat* ipſis Menſis *Solaris* eſt, *Ovenitat* vero *Lunaris* eſt Menſis. Sed & Annum habent *Solarem*, eoque recenſendae hominum aetati uti ſolent, adeo ut, tot quis annis vixiſſe feratur, quot aut diem nativitatis attigerit vicibus, aut quot in vita ipſius evoluti fuerint Hyemes. Americanorum rudioribus attamen Diem quatuor in partes diſpeſcere, *Solis* ideſt Ortum, Meridiem, Occaſum, ac Mediam noctem ſatius habentibus ulterior tam *Diei* in Horas, quam *Hebdomadae* in Dies diſtribuendae ratio penitus aut ignoratur, aut negligitur. *Noctium* vero

Digitized by Google

vero pro Annis numero Acta publica obſignare Iroquenſibus, & Huroniis ſolemni poſitum in more perhibet Lafitaeus p. 230. ſq. Unius porro Menſis *Fortunatarum* Inſularum, quae hodie *Canariae* reputantur, Incolis uſurpati, *Minous* nempe dicti, mentio apud Aelianum Var. Hiſt. lib. 11. ſub initium occurrit: quo in nomine tamen deceptus Aelianus proculdubio videri debet; generale ſiquidem Menſium id apud Incolas hoſce nominis habendum ſit.

VII. Anni formam Americanis uſurpatam, quod propius attingit, Baro de Hontan porro Memor. American. T. II. p. 109. ſq. auctorem ſe praeſtat Outaovacibus, Huroniis, Outagamibus, Solteuriis, Oumanibus, Ilinenſibus, aliiſque Sylveſtribus Americanis Annum Menſibus *Lunaribus* XII. Synodicis ita componi, ut *Lunationibus* XXX. elapſis, ſequens *Lunatio* XXXI. praetermitatur, adeo ut ſi *Luna* XXX. Martii ſit, ſequens Aprilis *Lunatio* haud ducatur in cenſum, ſed ipſa elapſa prima ſubſequens pro Aprili putetur. Sed enim totum id proprio Marte ab Hontano confictum fuiſſe, non ſecus atque longe graviora alia pleraque ad ipſius Religionis fundamenta ab imo pulſanda ab ipſo, praepoſtero ſuo, depravatoque pro ingenio, ſubleſtaque fide, excogitata, totumque per Opus inſperſa probe animadvertit praecit. Lafitaeus de Moribus Sylveſt. Amer. T. II. 231. ſq. Nec is unus ſane Lafitaeus Hontani religionem in dubium adduxiſſe viſus eſt: ſed Eduardus Bernardus etiam *Novelles de la Republique des Lettres* 1705. p. 619; ſed item Schrammius in Diſſert. de Philoſophia Canadenſium; ſed imo Wiſcherus in Praefat. ad Hontani Dialogos; ſed inſuper Reimannus in Hiſt. Atheiſmi cap. 5. de Atheiſmo in Gallia §. 27. p. 423. ſq.; ſed & Bruckerus Hiſt. Crit. Philoſ. T. V. Periodo III. Par. II. lib. 3. cap. 5. de Philoſophia Canadenſium §. 2. p. 920. ſq., Viri e Proteſtantium grege alioqui docti, ſuſpectam valdequam, fluxamque Hontani fidem, ac Religionem habere non dubitarunt, queis ideſt viſus eſt Hontani Dialogus, quo Americanum quemdam *Adarium* nomine ſecum de Chriſtianae Religionis Dogmatibus, Legibus, moribus, ritibus, ac inſtitutis colloquentem introducit, ſed ita ſane ad rationem, ac mentem Johannis Bodini in Colloquio Heptaplomeres de Abditis rerum ſublimium Arca-

nis, quo ideo Bodinus in gravem Atheiſmi ſuſpicionem offendit, eo fine ab ipſo Hontano confictus, ut Chriſtianam undequaque Religionem Americanis confoderet telis, ſemper enim ſuccumbit *Hontanus*, triumphat ſemper *Adarius*. Quin & ipſe Leibnitius, cui notus ab ungue Hontanus evaſerat, eum etſi excuſare epiſt. T.IV.p.22. conatus ſit, deſiderare ſe tamen ſcripſit, ut ab Hontano melius *Adario* circa Religionis capita factum, uti fieri ſane tam facile poterat, quam Chriſtiano par erat, fuiſſet ſatis: qua de re quatenus praeſtituti nobis operis ratio permiſit, haud amplius.

VIII. Ad Americanos gradum modo reflectendo, ad Menſium, Annique formam his uſurpatam antequam noſtra ſe accingat oratio, de ſcribendi prius ipſis adhibita forma pauca indicaſſe haud abs re eſſe puto. Peruvianis itaque, ac Mexicanis quammaxime, rebus publicis, recordationeque dignis putandis, atque poſterorum memoriae tradendis, Legibus item, Hiſtoriis, Religionis Caeremoniis, Faſtis, Kalendariis &c. componendis, conſignandiſque, Litterarum, Annaliumque loco, praeter Arborum Cortices diverſis inſcriptos notis, ac praeter funiculos, dictos ipſis *Quipu*, nodis intertextos diverſis, diverſiſque notatos coloribus, quibus etiam pro Numeris uti ſolent, queis de fuſe Garcilaſſus de Vega *Hiſtoire des Incas* T. II. cap. 21. edit. Pariſ. p.141. ſqq., duplex ſcribendi genus per Figuras, Imagineſque pictas, quum res corporeae ſenſu percipiendae, exprimendae eſſent, perque Hieroglyphica, atque ſymbola, quum res incorporeae, ſoloque comprehendendae intellectu, dandae eſſent intelligi, adhiberi, uſurparique conſueviſſe memoriae prodidere Acoſta Hiſt. Nat., & Moral. Ind. lib.6. cap.8, Laſitaeus de Morib.Sylveſt. Americ. T.II. p.233. ſq., Gemellus Carerius in Gyro Mundi T.VI. Art.6. de Nov. Hiſp.cap.6.p.37. ſqq. &c. Atque ejuſmodi Annalium porro, quorum exemplar ſe habuiſſe Paulus Jovius perhibet, duplex extat hodie in Europa, diverſis Imaginibus depictum, atque Hieroglyphicis efformatum diverſis, exemplar; alterum in Bibliotheca Vaticana e Mexico a Jeſuitis anno 1590. circiter advectum, quo de P. Joſephus Acoſta lib.7. cap.19; alterum in Bibliotheca Regis Galliarum, teſte Frereto apud Warburthoni Gallum Interpre-

pretem in *Eſſai ſur les Hieroglyphes des Egyptiens* &c. T. I. p.18, quod a Mexico ad *Carolum* V. Imperatorem tranſmiſſum, a Gallis, quibus cum Hiſpanis bellum terra, marique tum erat, capta Navi, juris factum Andreae Thevet Regii Geographi, deinde in jus Hakluitii Angli Oratoris apud Regem Chriſtianiſſimum Sacellani, indeque poſtremo in proprium jus tranſiiſſe refert Purchatius, qui & exemplar iſtud publici Typis juris effecit, *Pilgrims*, Itinerarii Par.III. p.1065. ſq. Conſtant autem ejuſmodi Mexicani Annales Partibus omnino tribus, quarum I. Imperii Mexicani hiſtoriam exhibet. II. Tributorum, quae Regio Theſauro Urbi cuique, ac Provinciae quotannis dependenda incumbebant, Cenſum, & Taxam continet. III. Digeſti ſpeciem praefert quamdam, ſive Gentis leges, in quibus de Jure Patrio ſpeciatim, prolixeque agitur, e quibus etiam pleraque deſcripſit, ſuamque locupletavit hiſtoriam Hornius de Origin. Americ. lib.4. cap.14. p.272. ſq.

IX. Jam vero Mexicanis Annum ab Occaſu *Vergiliarum* heliaco olim incipere conſueviſſe ſcripſit Petrus Martyr; a *Vere*, ſive Martio perhibet Kircherus Oedip. Aegyp. T.III. Diatribe 1. cap.4. p.30; verius *Februarii* die 26. refert Acoſta lib.6. cap.2. In quatuor vero Annum diſpeſcere tempeſtates, eaſque nominibus diverſis, ſymboliſque deſignare vetus ipſis, receptuſque mos eſt. Annus *Solaris* eſt, diebus 360. conſtans, in Menſes 18. diſtributus, quorum quilibet diebus 20. dumtaxat componitur: quibus demum evolutis, veterum more Aegyptiorum, uſu tandem venit dies quinque *Epagomenas* ad anni finem aggregare, ipſis *Nenontemi*, id eſt Vagos adpellatos; quos attamen tamquam ſuperfluos, velutique feriatos habent, atque vitulationibus, publicaeque laetitiae veluti dicatos, otio, ebrietati, ac genio indulgentes, vario tranſigere ſolatio ſolent; quo de more Hiſtoria Conquaeſt. Mexici lib.3. cap.17. p.554, Lafitaeus T. II. p. 228, Erycius Puteanus de Biſſexto cap. 8. Antiq. Rom. Graevii T.VIII. edit. Ven. p.437. ſq. &c. Sicuti vero Menſibus utuntur dierum 20. dumtaxat, ſic *Hebdomades* dierum 13. efficiunt, ita tamen, ut ſeptimus quiſque dies, tamquam feſtus, obſervetur, Huetio teſte Demonſ. Evang. Prop. iv. cap.7. §.6. T.I. edit. Ven. p.110. Menſes adhaec *Lunares* habent, a

Luna, ipſis *Tona*, juxta Petrum Martyrem, ſive *Tonelli*, juxta Lopezium Gomaram, dicta, *Tonaticos*, ſive *Tonellos* dictos. Tam vero Menſis diebus ſingulis ex Animalibus, Elementis, ac Inſtrumentis, quam Menſibus ſingulis a Feſtis derivata, indita nomina ſunt, cujuſmodi ex Purchatio in Deſcript. Mundi T.III. lib.5. cap.7. fol.106, Gomara, Gemello Carerio in Gyro Mundi T.VI. edit. Ven. 1728. cap.6. p.37. ſqq., Kirchero Oedip. Aegypt. T.III. Diatribe 1. cap.4. p.29. ſq., inde a Scaligero etiam deſcripta de Emend. temp. lib.3. p.224, ſequentia ſunt.

MEXICANI

DIES MENSIS.

1. Cipactli.	Xiphias.	11. Ozumatli.	Simia.
2. Hecatli.	Aer.	12. Mallinalli.	Scopae.
3. Calli.	Domus.	13. Acatlhi.	Canna.
4. Cuezpali.	Lacertus.	14. Ocelotli.	Tigris.
5. Covalti.	Coluber.	15. Coautli.	Aquila.
6. Mizquintli.	Mors.	16. Cozcaquahutli.	Buteo.
7. Mazatli.	Cervus.	17. Olini.	Temperamentum
8. Tochtli.	Cuniculus.	18. Tecpatlhi.	Cochlear.
9. Atli.	Aqua.	19. Quiavitli.	Pluvia.
10. Izquintli.	Canis.	20. Xuchitli.	Roſa.

MENSES.

I.	Tlacaxipehuatiztli.	X.	Uchpanitzli.
II.	Tozoztli.	XI.	Pachtli.
III.	Hueytozotli.	XII.	Hueypachtli.
IV.	Toxcatli.	XII.	Queciogli.
V.	Etzalcualiztli.	XIV.	Panquetzliztli.
VI.	Tecuylhuitli.	XV.	Hatemuztli.
VII.	Hueytecuilhuitli.	XVI.	Tititli.
VIII.	Micaylhuitli.	XVII.	Uzcagli.
IX.	Hueymicaylhuitli.	XVIII.	Atlacoalo.

X. Heb-

Digitized by Google

X. Hebdomades adhaec Annorum uſurpare Mexicanis ſolemne eſt, quamlibet Annorum 13, in totidem Claſſes 13. diſtributas, variiſque Signis, ac totidem Circulis O denotatas, quarum ideo quatuor ipſis Seculum efficitur annis 52. conſtans, quod veluti *Jubilaeum* religioſe ipſis obſervari notat loc. cit. Huetius. Seculum porro iſtud, non ſecus atque Annum, ſymboli cujuſpiam, ſive Hieroglyphici ſpecie quadam exhibere priſco Mexicanis in more poſitum legitur. Rotae nempe effigie diverſis efformata coloribus, atque figuris diſtincta Seculum annis 52. conſtans, quatuor ideſt Annorum Hebdomadibus, quarum Hebdomadum quaelibet annis 13. componitur, pulcre exprimitur: quae Rota ſane, veluti Cycli, ſive Periodi cujuſpiam loco dinumerandi annis accommodata haberi poteſt. In Rotae medio itaque *Solis* imago conſpicitur, cujus e centro in Crucis modum quatuor egredi lineae videntur ad Rotae circumferentiam ita productae, ut quatuor eamdem aequas in partes dividant, quatuor Orizontis punctis Cardinalibus reſpondentes, ac ita ut quatuor Hebdomadae, Annorum 13. ſingulae, intra quatuor lineas illas comprehendantur, quatuor diverſis coloribus viridi, callaino, rubro, ac caeruleo diſtinctae. Quaelibet iterum pars in partes minores 13. alias, quot nempe Anni in qualibet putantur Hebdomada, diviſa figuras alternatim exhibet *Tochtli* Cuniculi, *Acatlhi* Cannae, *Tecpatlhi* Silicis, & *Calli* Domus, pro ſingulis annis ita diſtributas, ac Zeris o notatas, ut prima figura *Cuniculi*, Auſtrum indicans, ſignata uno o videatur, ſecunda figura *Cannae*, indicans Ortum, ſex oooooo, tertia figura *Silicis*, Aquilonem deſignans, ſeptem ooooooo, quarta figura *Domus*, Occaſum denotans, octo oooooooo. Redit iterum prima figura notata zeris 9, ſecunda zeris 10, tertia zeris 11, & quarta zeris 12. Prima rurſus ſignata comparet zeris 13: poſtquam ita completa Hebdomada una, conſpicitur ſecunda figura ſignata zero o, tertia zeris oo, quarta zeris ooo; prima iterum zeris oooo, atque ita deinceps per Hebdomadas quatuor fit, ideſt per harum quamlibet terdecies zeros repetendo, quibus Seculum, ſive Periodus annorum 52. abſolvitur. Itaque Mexicanis indicare volentibus Annum, quo res aliqua geſta fuerit, ſive quid aliud inſigne contigerit, recordatu dignum, uſu

uſu dicere venit rem fuiſſe geſtam, ſive id contigiſse tot zeris, v. g. zero o, aut zero oo *Tochtli*, ſive Cuniculi, *Acatlhi*, ſive Cannae, *Tecpatlhi*, ſive Silicis, *Calli*, ſive Domus Rotae illius, aut iſtius. Porro in Prologomeno I. de Scripturae Orig. &c. §. c i i. T.I. p.212. Mexicanis pro Numeris Circuli o figuram uſque ad numerum 20. uſurpari obſervatum eſt, adeout o vicem gerat 1, oo 2, ooo. 3. &c. Horum itaque Numerorum, quorum pro qualibet Rotae parte quadruplici tredecim adhiberi ſolent, nomina qui ſcire deſideret, ſubjicienda duxi e Scaligero de Emend. Temp. lib.3. p.226. deſcripta.

NUMERI
APUD MEXICANOS

1. Ce.	11. Matlactlioce.
2. Ome.	12. Matlactliome.
3. Ei.	13. Matlactliomaei.
4. Naui.	14. Matlactlinaui.
5. Macuil.	15. Matlactlimacuil.
6. Chicoace.	16. Matlactlichicoace.
7. Chicome.	17. Matlactlichicome.
8. Chicuci.	18. Matlactlicuci.
9. Chiconaui.	19. Matlactlichiconaui.
10. Matlactli.	20. Cempoalli.

XI. Rotae porro ejuſmodi pulcherrimum exemplar conſpiciendum ſe praebet apud Purchatium Deſcrip. Mundi T. III, Thevenotum Itin. T.II, Gemellum in Gyro Mundi T.VI. lib. 1, cap.6. p.44, Bannicrum in *Ceremonies Religieuſes des toutes les Peuples* &c. T.VII. p.152, & Warburthonum in *Eſſai ſur les Hieroglyphes* &c. T.I. p.10; in quo poſtremo Schemate ad Rotae latera Hebdomadae Annorum 13. deſcriptae comparent, quatuor praememoratis deſignatae figuris: quae figurae terdecies recurrunt zeris ſignatae, quibus omnibus in partes 51. latera Rotae dividuntur, totidemque Anni 51, Regni nempe *Tenuch*, qui primus Mexicanis imperaſſe fertur: quorum annorum

Digitized by Google

norum primus Aerae Chriſtianae anno 1324. reſpondet; ab ejuſdem vero imperii anno 38. tres Rotae, ſive Periodi annorum 52. ſingulae, evolutae feruntur uſque ad annum 16. regni *Mote Sume*, qui annus reſpondet anno Chriſti 1518, quo ab Hiſpanis occupata Mexico, hujus imperium in Europaeos translatum eſt. Videndi Goguetius etiam Differt. 1. de Conſtell. nominibus, ac Signis ad calcem T. II. de Orig. Leg., Art., & Scient. p. 423, ac Lantaeus de Morib. Sylveſt. Americ. T. II. p. 228. ſq., hacce de Mexicana Periodo differentes. Qua ſane in Periodo Mexicanis ita *Biſſextum* interponere priſco in more poſitum obſervavit Gemellus Carerius cit. T. VI. lib. 1. cap. 6. p. 45, ut Annus 1. Seculi a die 10. Aprilis inciperet, ab eademque die annus 2, & 3, *Biſſextus* 4. vero inciperet a die 9. Aprilis; rurſus annus 8. ab Aprilis die 8, annus 12. a die 7, annus 16. a die 6. uſque ad Seculi finem, qui Martii dies 23. erat, a quo deinde uſque ad Aprilis diem 10. vacare curis, vitulari, otio torpere, unique indulgere laetitiae Mexicanis ſolemne erat. Atque Periodo hacce ſane elapſa, ſive evoluto Seculo annorum 52, tam Mexicanis, quam Peruvianis, quaſi Mundi finis inſtaret, quem ad Seculorum exitum finiturum ſane perſuaſum habent, Ignem cum Sacrum in Delubris, tum profanum in domibus extinguere, vaſa confringere univerſa, totoque noctis triſtiſſimae ſpatio, ſpem inter, & metum, Mundi caſum expectari tremebundis, ferunt. Inſequens dies itaque fauſtiſſimus ipſis, feſtiviſſimuſque ſuccedit, quem ideo novis comparatis vaſis, novoque accenſo igne, Sacrificiis, laetitiaeque ſignis celebrant, atque tranſigunt. Adeundi Purchatius in Deſcrip. Mundi T. III. lib. 5. cap. 7. p. 106, & Kircherus Oedipi Aegyp. T. III. diatribe 1. cap. 4. p. 29. ſq.

XII. Peruvianis & ipſis inter Americanos politioribus, prima Religionis rudimenta, qui primus in ipſis Regni fundamenta poſuit, tradidiſſe *Manco-Capac* fertur: poſtquam *Incas* Regnum obtinuiſſe per annos non utique 600, uti vult Blaſius Valera, ſed 400. dumtaxat tradit Garcilaſſus de Vega, Peruvianae & ipſe originis, atque ſtirpis Incas, *Hiſtoire des Incas* T. II. cap. 1. edit Pariſ. 1744. p. 2. ſqq. Praeter unum *Deum* Verum, Supremum, Caeli, & Terrae Conditorem, *Pachacamac*

mac dictum, a voce *Pacha*, ipſis *Mundus*, & verbo *Camac* participio verbi *Camar*, ipſis *Animare*, quod a Deo Mundus animetur, *Solem* maximo in honore habent. Ideo valde illos falli, Petrum de Cieca de Leon Hiſt. Peruvianae cap. 72, & P. Hieronymum Romanum Republ. Ind. Occid. lib. 5. cap. 5, qui ſub *Pachacamac* nomine latere *Daemonem* cenſent, *Daemon* ſiquidem Indis *Cupay* denominari ſoleat, oſtendit Garcilaſſus p. 7. *Soli* vero tum Sacrificia fieri, tum ipſum feſtis coli, quatuor praeſertim in quatuor diverſis anni tempeſtatibus, in *Solſtitio* Aeſtivo, in *Aequinoctio* Autumnali, poſt Sementes, ac poſt Meſſes declarat cap. 2. p. 17. ſqq., cap. 22. p. 147. ſqq., & cap. 26. p. 181. ſqq. Quod ad eorumdem vero Chronologiam attinet, Peruvianos *Amautas*, ideſt Philoſophos, Aſtronomiae praeſertim operam dare docet Garcilaſſus Hiſt. Incas T. I. cap. 3. p. 33. ſqq., eoſdemque *Veneris*, quae ipſis *Tchaſca*, *Solis*, qui ipſis *Inti*, ac *Lunae*, quae ipſis *Quilla* dicitur, variis quammaxime occupari motibus. Annum vocant *Hovata*, Annoſque Meſſium numero putare veteri Populo in more poſitum refert Garcilaſſus; ſed alteram plane meliorem ab *Incaſiis*, ſive Regulis, & *Amautis*, ſive Philoſophis annos numerandi rationem iniri. Repetitis nempe obſervationibus *Solſtitii* Aeſtivi, & Hyemalis loca ſtatuere illis tandem licuiſſe, indeque Anni ducere initium libuiſse. Atque hiſce porro obſervationibus peragendis ſexdecim olim Turres ab *Incaſiis* fuiſse conſtructas, atque ita quidem, ut octo ad orientem Cuſci, & octo ad ejuſdem Urbis occidentem vergerent: e quibus ſane quatuor minores erant, ac collocata quaelibet media inter duas Majores, quarum ex umbra a Solis ortu, & occaſu dierum utriuſque *Solſtitii* longitudo obſervari ſolebat, fidem abunde faciunt P. Acoſta Hiſt. Ind. lib. 6. cap. 2. ſq., Garcilaſſus Hiſt. Incas T. II. cap. 4. p. 36. ſqq., ac P. Lafitaeus de Mor. Sylv. Amer. T. II. p. 232. Haſce praeter Turres, ante Templorum fores *Aequinoctii* utriuſque punctis, quae ipſis feſtiva quammaxime ſunt, obſervandis, Columnas etiam ingentis in medio Circuli erectas fuiſſe, quem Circulum linea ab Ortu in Occaſum ducta in partes ſecans umbrarum ope *Aequinoctiorum* puncta indicaret, refert eodem loci Garcilaſſus p. 41. ſq. Menſes ad haec duodecim ha-

be-

bebant Peruviani, ut Americani reliqui, dierum 30, quibus ad anni finem *Epagomenae* inſuper aggregari ſolebant. Eiſdem vero Menſibus, non ab Animalibus, ut Orientalibus Indis adhibuiſſe vidimus, ſed magis ab Anni Meſſibus nomina indere Peruviani delectati ſunt, ſunt vero ſequentia e Stephano Moynio in Var. Sacris T.I. p.457. deſcripta, e quibus attamen trium nomina ignorata ſunt, velut etiam Fabricio in Menologio.

PERUVIANORUM MENSES

I.	Rayme	December.	VII.	Aucayeuſqui. Intirnymi	Junius.
II.	Camay	Januarius.	VIII.	Chahua. Huarqui	Julius.
III.	......	Februarius.	IX.	Japaquis	Auguſtus.
IV.	......	Martius.	X.	Cordime	September.
V.	......	Aprilis.	XI.	Homaraymi. Punchaiquis	October.
VI.	Hatuncuſqui Aymoray.	Majus.	XII.	Ayamara	November.

XIII. Menſes quidem Peruvianis mere *Lunares* eſſe, Annumque *Lunationibus* 12. dumtaxat conſtare, diverſiſque *Lunationum* nominibus denominari Menſes; Menſium adhaec dimidium, & Hebdomades, quin tamen Hebdomadis diebus peculiare inditum ſit nomen, tradit Garcilaſſus de Vega Hiſt. Incas T.II.p.4.p.38.ſqq. Sed enim oppido eum falli advertit ejuſdem Annotator, atque Peruvianis Annum fuiſſe *Luni-Solarem* inde ſuadet, quod ipſo Garcilaſſo teſte lib.8. cap.10, Peruvianis Feſta ſtatis celebrari *Lunis* ſolerent, quatuor praeſertim *Solſtitiorum*, *Aequinoctiorum*, *Sementum*, ac *Meſſium* temporibus: quae fixo ita tempore celebrari ſane nequibant, ſi Annus mere *Lunaris* fuiſſet, ſed eadem Feſta per annos 33. circiter totius pervagata fuiſſent Anni tempeſtates. Peruvianis igitur Annus *Lunaris* erat quidem, ſed qui cum *Solari* componebatur, atque ita in *Lunares* diſtribuebatur Menſes XII, ut dies

11. *Intercalares* ad Anni finem aggregarentur. Eiſdem porro Anni exordium faciebat primo Januarius, perindeque December, Hyemale *Solſtitium* ideſt, atque ita deinceps, juxta Kalendarium a quodam Incaſio reformatum, procedebant in anno Menſes: quod indicio eſt, Annum Peruvianis, uti dixi, *Lunarem* fuiſſe, non ſecus atque Mexicanis, ſed *Intercalationis* ope ad *Solis* motum compoſitum. Quibus attamen ea *Lunaris* anni cum *Solari* componendi ratio, admodum rudis certe, iniri ſolebat, ut eadem non ad *Lunae* utique, aut *Solis* curſum exigeretur, bene vero ad *Solſtitii*, & *Aequinoctii* puncta, neque feliciter loco poſita ſemper ſuo, attemperari ſoleret: quae ſane puncta Turrium, & Columnarum, quarum umbras obſervare curabant, ope ſtabilita paullo ante dicebamus. Poſtea denique quam in Europaeorum poteſtatem America devenit, non eſt dubium amplius, quin Europaea longe ubique, lateque per Americam Menſium, Annique forma obtinuerit, ut perinde diutius in ea perſequenda immorari haud praeſtet, interſitque, ſed magis, ut ad Populorum aliorum longe plurium Annos, & Menſes, queis de adhuc nobis agendum ſupereſt, noſtra ſe feſtina transferat Oratio, praeſtituti operis ratio depoſcit, cui ſequenti facere Volumine ſatis, uti Superis placebit, omni ſepoſito morae diſpendio, praeſto jam ſum.

Partis I. Tomus II.

EXPLICIT.

INDEX

Digitized by Google

INDEX
RERUM MEMORABILIUM.

A

ABraxae *Taliſmanici* erant lapides, quos ad malos fugandos Genios, ad propulſandos morbos, ad infauſta praecavenda, variis inſcriptis eharacteribus, atque figuris inſculptos effingere poſitum Gnoſticis, & Baſilidianis ſuperſtitioſo erat in more. Qui mos ab Aegyptio *Cnephi*, Idolo Serpentis effigiem referente, ſive Phoenicio *Agathodaemone*, Latinis *Bono Genio*, derivatus videtur p.96. ſqq. Atque *Cnephis* ſane, alio *Omphis* nomine, deſignatus etiam *Oſiris*, iſtoque *Beneficus* viſus aliquibus eſt p.97. In *Abraxis* porro ſeptem Voeales expreſſae ſaepe, Planetis ſeptem denotandis, eonſpicieudae ſe praebent *ibidem*.

Abraxas, ſive *Abraſar* Baſilidi Deus erat Supremus, Graecis *Nun* adpellatus, e quo alii aliique prognati finguntur p.97. Quot *Abraxas* eomponitur litteris, totidem Anni dies 365. expreſſi leguntur; eodemque itidem Numero apud Aegyptios *Neilus*, & apud Perſas *Meitrus*, ideſt *Sol*, deſignatus eſt p.98. Ex *Abraxis* jam vero ad Pyramidis formam eompoſitis *Amuleta* confici ſuperſtitioſe ſolebant *ibid.* Adhaec in *Abraxis* varia quoque Dei nomina exprimi, figurae item aliquae Taliſmanicae imprimi, atque nomina inſealpi Magica conſuevere p.99. Ludunt vero, illuduntque, qui nomina SS. Trinitatis, ac Chriſti D. myſteria exinde expiſeari eonati ſunt p.100.

Abyſſiniae, ſeu Aethiopiae Imperium queis olim, & queis hodie limitibus definitum eſſet, ae ſit. Quot olim Regna comprehenderet, quotve hodie complectatur. Qui nobiliores eultu, lingua, moribus inter Abyſſinios jure reputari debeant. A quo ſe originem duxiſſe, quot inde Reges habuiſſe, & quam uſque ad aetatem ſuperbe Aethiopes jactent. An originis Arabieae ſint, veluti videtur? an a *Nazaraeis* Religionem aeceperint? an magis ab Aſſyriis genus duxerint p.349. ſq. Qui Menſes iis uſurpati fuerint, & quae Anni forma olim, & hodie apud ipſos obtineat p.350. ſq. Vide-ſis V. *Annus*, & V. *Menſes*.

Abyſſiniis diverſa prorſus, quam quae Romana in Eeeleſia Saera omnino ſunt, Dogmata de Confeſſione Aurieulari, de Tranſubſtantiatione Euchariſtica, de Purgatorio, de SS. Invoeatione, de Sacris Imaginibus, de Primatu Papae &c. tam inique, quam falſo imputare Proteſtantium aliqui haud veriti ſunt p.351. Gemina Aethio-

pibus, praeter *Hegiram*, qua & hodie utuntur, uſu Aera veniſſe, a Caſu *Adami* una, Aera *Gratiae* altera, multis oſtenditur. Vide V. *Aera*.

Achaja a Mycenis occupata, Atticae exemplo, quae in Tribus XII. olim, totidemque Civitates diſpertita fuit, in Urbes XII. pariter, quarum unus tamen eſſet Conventus, diviſa eſt p.124. ſq. Vide-ſis V. *Aegialaeus*.

Adamus duplex a Deo creatus, in Aſia unus, e quo Aſiatici procreati fuerint, alter in America, e quo genus Americani ſortiti fuerint, ſummam per ſtultitiam a Theophraſto Paracelſo commentus eſt: qua plane a ſtultitia ne hilum quidem abfuit Iſaacus Pereyrius in ſyſtemate Praeadamitico, *Adamum* Gentis unius Hebraeae propagatorem fuiſſe, Gentes vero alias a Deo e parentibus aliis propagatas & ipſe commentus p.511. ſq.

Aegialaeus *Inachi* I, namque fuit hujuſce nominis etiam *Inachus* II, filius, ducta olim in Achajam Colonia, atque Sicyone Urbe condita, Sicyonici primus regni fundamenta poſuiſſe fertur p.21. ſq.

Aegyptus unde dicta olim *Aëria* fuerit, *Chemias* deinde, ac item *Aethiopia*, aliàs *Ogygia*, adhaec *Hephaeſtia*, Μελαμβώλας *Aëtia*, altero rurſus *Potamia* nomine, ac demum *Aegyptus*, hodie Arabibus, Syris, & Hebraeis *Mizraim* p.224. ſq. Aegyptii origine, neutiquam Scythae, neque Cretenſes utique fuiſſe Caphtoraei, & Colchi videntur p.110. ſq. Aegypti Reges Animalium, quae *Serapidis*, ideſt *Solis* erant ſymbola, exuviis inſignire ſe delectati leguntur p.69. In inauguratione Sacerdotibus *Iſidis* ſacramento ſe Reges obſtringere oportebat, de Anni ratione non immutanda, diebuſque 365. nuſquam die aggregando, ſed Feſta per Anni tempeſtates impune vagari permittendo p.76.

Aegypti Regum Dynaſtiae tres vulgo jactari ſolent I. *Deorum*, II. *Semideorum*, III. *Hominum*, ſed fabularum omnes refertiſſimae; quaeis de, ipſarumque aetate, durationeque prolixe agitur p.227. ſqq. *Deorum* porro nomine Patriarchae *Antediluviani*, atque pro *Semideis* Patriarchae a *Noacho* uſque ad *Mizraimum* accipiendi fore aliquibus videntur p.230. ſq. Origines ſuas, antiquitateſque Gentes ſuper alias quaslibet efferre ſuperbe delectati Aegyptii ſunt p.232. ſqq. Aegyptiaca vetera Monumenta omnia, una cum Fanis, *Cambyſis* Perſarum Regis juſſu, flammis olim cremata fuiſſe conſtat p.235.

Aegypti Regum Dynaſtiis qua ab aetate fieri demum auſpicia poſſe videatur p.236. ſq. Qui Reges in Aegypto regnaſſe Arabibus a Scriptoribus referantur p.237. ſqq. Qui a Scriptoribus veteribus Graecis, quotve regnaſſe memorentur annis p.241. ſqq. Qui ab Aegyptiis Scriptoribus, qua ab aetate, & quem ad annum uſque p.244. ſqq. Qui a ſequioris aetatis Scriptoribus itidem Graecis p. 248. ſqq. Qui demum a Syncello in Aegypto qua Inferiori, qua Superiori regnaſſe, quo ab anno regnum ii auſpicati, quotve obtinuiſſe annis tradantur p.252.

p.252.ſqq., & p.256. ſqq. Aegypti Regum Anni, tam Regni, quam Aetatis an *Menſtrui*, an *Lunares*, an *Solares* habendi ſint p.241. ſq., & p.245. ſq.

Aegyptii, quibus Annus, dictus ipſis *Horus*, antiquitus *Menſtruus* fuiſſe, deinde *Trimeſtris* factus, atque demum Menſium XII. fertur, de Anno dierum 360. componendo ab *Egregoris* edocti venditantur p.267. ſq. Vide-ſis V. *Egregori*. Anni quae pridem forma, quaeve poſt, & quod exordium apud Aegyptios habuerit p. 279. Vide V. *Annus*.

Aegyptiaci Dies pro *Infauſtis*, uti vulgo fieri ſolet, nequaquam habendi, bene vero pro *Feſtis* Jablonskio viſi ſunt p.287. ſq. Apud Aegyptios Aſtronomicis peragendis obſervationibus Pyramides, & Obeliſci priſco uſu fuere p.288. ſqq. Qui Aegyptiis uſurpati olim, deincepſque Menſes fuerint; quave cum Hebraeis, atque Romanis comparari ratione queant p.338. ſqq. Vide-ſis V. *Menſes*.

Aeolus I. *Hellenis* filius, cognomento *Jupiter*, fuit enim alter cognomento *Neptunus*, in Theſſaliae regno patri ſucceſſit, atque ſuo de Regioni *Aeolidis* indidit nomen. Ab ejus nepote *Endymione* omnium primo *Lunae* curſus agnitus, ac *Numeri* reperti dicuntur; ab ejuſdem vero filiis Coloniae alibi tranſplantatae ſunt p:27. ſq. Ab *Aeolo* III. Colonis eductis aliis in Tyrrheni Maris Inſulas, *Hephaeſtiades* Graecis, Latinis *Vulcaniae* dictae, ſunt occupatae p.28.

Aeolica in Europam ab Aſia celebris Expeditio e quibus conſlata Gentibus fuerit: quo fuerit tempore ſuſcepta: quae ſuſcipiendae cauſa: qui Coloniae Duces; quas in Regiones invecti Coloni: quot in Aeolide Urbes olim extiterint p. 132. ſq.

Aera uſurpari ab Aethiopibus tergemina ſolet: I. a Caſu *Adami*, qua ſcilicet a Mundi Creatione ad vulgarem Chriſti natalem annos 5500 computandos ducunt, annos 7. ideſt amplius, quam Alexandrini, annos 8. minus, quam Conſtantinopolitani, & anno 1. ante, quam Antiocheni. II. Aera *Gratiae*, quae cum *Diocletiani*, tum Aera *SS. Martyrum* adpellari conſuevit. III. *Hegira*, ita ſe Mohammedanorum, Commercii gratia, mori aliquando ſe ſe attemperare adacti p.353. ſq.

Aera Siamenſibus adhibita, *Soncarad*, hoc eſt *Eccleſiaſtica*, nuncupata, a *Sammonae*, vulgo *Xekiae*, obitu iniri ſolet p.372. Indis aliis a *Julio* Caeſare in annis numerandis Aeram incipere adlibuit. Aera adhaec altera ab Urbe *Coulam* aedificata, alteraque a *Calicuti* Urbis fundatione pariter apud Indos inducta eſt: quo ab anno utraque Aera iſthaec exordienda ſit p. 384. ſqq., & p.477.

Aera computandis annis ex *Brahmae*, *Viſtnou*, ac *Iſuren*, pro Diis habitorum, aetate deſumi a Brachmanibus inſigni pro ſuperſtitione aſſolet. Inſignior eſt, quae a *Sarbani* regno ab Indoſtanis deduci Aera ſolet, eaque Faſti, Acta publica, Ephemerides &c. obſignari non deſinunt p.399. ſq.

Aera

Aera Syro-Macedonum a Syro-Neſtorianis in Sinas inlata legitur p. 488. Apud Japonios Annis computandis duplex adhiberi ſolet, una ab Imperii *Sin-Mu* initio, Chriſti hoc eſt ante natalem anno 660, ducta, altera ab initio cujuſque Imperatoris p. 503. Vide V. *Nengo*.

Aethiopes alii in Aſia, in Africa alii degunt. Vide ſis V. *Abyſſinia*. Aethiopum in Aegyptum Colonia alia olim a *Mizraimo*, ſeu *Oſiride*, alia poſt ab *Actiſane* haud multo poſt Exodum deducta eſt, indeque Dynaſtia 11. Paſtorum Regum injiiſſe videtur p. 85. ſq. Aethiopes, ſicut Arabes, *Solis*, ac *Lunae* cultum a Chaldaeis fuiſſe mutuati feruntur p. 87.

Agenor *Neptuni* filius, *Beli* frater, ex *Europa* Conjuge filios genuiſſe *Cadmum*, *Phoenicem*, ac *Cilicem*, tres ad unum omnes Characterum inventione, & Coloniarum deportatione celebres, fertur p. 33. A *Belo* vero procreati *Aegyptus*, ſive *Seſoſtris*, & *Armaeus*, ſive *Danaus* Expeditionibus & ipſi celebratiſſimi fuere p. 50.

Amazones ab *Am*, & *Mait*, quaſi nempe *Maeotis* accolae, dictae Gundlingio videntur. In Jonia prius, ac Paphlagonia, deindeque ad Paludem Maeotidem inhabitarunt. Profectiones alias eaedem adornaſſe, ac veluti Reginae in Cappadocia diu imperaſſe leguntur: donec poſt Trojanam haloſim a Graecis in Paludem ſecedere Maeotidem adactae, ſub *Alexandro M.* deletae fuere p. 101. ſq., & p. 114. ſq.

America Chriſtianam ante Aeram Incolis omnino vacua inſcite Urſino cenſita eſt. Longe pejus ante *Adamum*, quem unius Gentis Judaicae propagatorem exiſtimant, Americani a Deo procreati fuiſſe dicti ſunt Paracelſo, ac Pereyrio p. 511. ſq. Americanos e converſo originem duxiſſe a Mauris quidam, a Chaldaeis alii, a Poenis plerique, a Celtis nonnulli, a Romanis, aut a Gallis aliqui, a Friſiis nonnemo, a *Jectanis* poſteris quidam, ab Aegyptiis alii, a Judaeis plerique, a Scythis, a Tartaris, a Sinenſibus, longe plures exiſtimant p. 512. ſqq. Ritus plerique, Religioniſque capita quaedam tam Judaicae, quam Chriſtianae Americanis cum uſu, tum notitia veniſſe videntur p. 513. ſqq. Quo ab Europaeis occupari America ceperit anno p. 520, & p. 527.

Americanis qui priores Regio praeeſſe jure ceperint, quique ab anno perinde Chriſtianae Aerae 1200, ac deinceps regnare perrexerint p. 519. ſq. De rebus Americanis tam Civilibus, quam Sacris cum inepte, tum inique diſſerens *Hontanus*, multa graviſſime in Religionem ipſam Chriſtianam peccavit, graviſſima correptione propterea dignus p. 521. ſq. Quaedam *Jubilaei* ſpecies ex quatuor Hebdomadibus, dierum 13. ſingulis, efformata, variiſque figuris, atque notis expreſſa religioſe ipſis obſervatur p. 525. ſq. Numeri adhaec viginti apud ipſos ſingulari gaudent nomine, ac Zeris o totidem exprimi ſolent p. 526. *Dei* unius, Caeli, & Terrae conditoris notitia ipſos haud latuit; Idololatria

tria

Digitized by Google

tria tamen a *Manco-Capac* Mexicani Imperii fundatore infecti Mexicani fuere p.527. ſq.

Ammon Libyae Rex in Cretam Inſulam Colonia inlata regnum ibi fundaſſe traditur. *Jovis* fuiſſe pater, a quo *Io* filia *Inachi* II, aliàs *Jaſi*, deinde *Iſis* dicta, rapta eſt, ex ipſaque genitus *Epaphus*, Aegyptiis *Apis*, ex iſtiuſque filia *Libya* progeniti deinde a *Neptuno* filii *Belus* ab Aſſyrio diverſus, & *Agenor* referuntur p.33.

Amphictyon *Deucalionis*, qui celeberrimae ductor Coloniae fuit, filius celebratiſſimi Delphici *Amphictyonum* Conventus, cui ſuo de nomen & indidit, inſtitutor habetur p.27.

Annus apud Aegyptios, *Horus* antiquitus dictus, qua ratione compoſitus olim eſſet p.267. ſq. *Menſtruus* primo fuiſſe, poſtea *Trimeſtris* factus legitur. Quin antea diebus tantummodo, Menſibus deinde tribus, perindeque quatuor a *Piſone* Rege conſtitutus fuiſſe traditur p.274. Anni forma primum a *Thoth* apud Aegyptios inducta fertur p.277. ſq., a quo ſeptem Hebdomadae diebus factum pariter ex ſeptem *Planetis* nomen fuiſſe perhibetur p.278. ſq. Prima ab aetate Anni apud Aegyptios exordium a *Caniculae* ortu ductum, in eoque dies 360. computatos aliqui cenſent; alii dies 365. Quae vero apud Aegyptios obtinebat Anni forma, eadem apud Arabes, & Aethiopes diu invaluit p.279. ſq. Diverſis Hieroglyphicis, atque *Serapidis*, & *Oſiridis* figuris exprimi ab Aegyptiis annua *Solis* periodus per *Zodiaci* ſigna XII, & ad ſeptem *Planetas* acceſſus, ac receſſus ſolebat p.281. ſq. In Tabula *Iſiaca* adhaec tam Anni tempeſtates 3, atque Menſes 12, quam totidem *Zodiaci* ſigna, ac *Solis* per eadem diſcurſus exhiberi Viris eruditis obſervatum eſt p.282. ſqq. Annus rurſus in *Iſiaca* Menſa expreſſus ad Juliani anni formam digeſtus adparet p.287. Anno mediis Aſtronomicis obſervationibus dirigendo apud Aegyptios Obeliſci, ac Pyramides olim inſerviebant p.288. ſqq.

Annus apud Agyptios ab *Aſetho* Heliopolis Rege omnium primo, veteri reformato Kalendario, emendatus fuiſſe, ac dierum 365. factus legitur p.292. ſqq. In *Siphoeam* Thebis Regem viciſſim, quo de nomine pleraque, reformati Anni gloria ab aliis refunditur p.295. ſq. Aegyptiaco anno vago a *Caniculae* ortu heliaco factum exordium, quem in diem incideret, qnot elapſis annis ad idem rediret caput p.302. ſq. In Anno, & Cyclo Aegyptiaco defigendo, definiendoque multa peccaſſe *Nevvtonus* exponitur p.304. ſqq. Aegyptiis adhaec duplex uſu Annus erat, *Sacer* alius, alius *Civilis* p.305. ſq. Quo tempore apud Aegyptios Annus dierum 365. fieri ceperit; quo a capite exordiri conſueverit; & an ab Hebraeis in Aegypto itidem uſurpatus fuerit p.306. ſq. Ab ortu *Sothiaco* Civilis inibat Annus: quo die *Sothiacus* ortus hic olim fieret, quove hodie contingat p.308. ſq. Ad finem anni *Epagomenae* apud Aegyptios aggregari ſolebant p. 312.

Digitized by Google

312. ſqq. Quo tempore Annus ſupra dies 365. conſtare quarta fere diei parte Aegyptiis innotuerit p. 314. ſq. Quo inſuper tempore ab Aegyptiis quadriennio quolibet intercalaris dies dinumerari ceperit p. 316. ſq. Longe tardius Anno quarta fere diei pars adjungi cepiſſe videtur p.317.ſq. Vagus Aegyptiacus annus a Ptolomaeo, ac Theone diu poſt adhuc uſurpatus multis oſtenditur p.318. ſqq.

Annus *Solaris* quot diebus, horiſque Aegyptiacum excedat Annum, quotve gradibus, ac minutis *Sol* deficiat ab integris Periodis in Anno Aegyptiaco p.321. Apud Aegyptios geminus diſtinguendus Annus viſus eſt aliquibus, *Sacer*, & vagus, *Naturalis*, & fixus *ibidem*. Anni fixi ratio ſub *Auguſto* inducta videtur; *Maffaei* vero contrafacientis conjecturis abunde fit ſatis p.322. ſqq. Ethnicis tamen Aegyptiis longe poſt adhuc Vagi anni forma retenta in Aegypto quidem, non Romae quoque degentibus, eſt p.327. ſqq. Judaeos in Africa Cyrenaica anno vago Aegyptiaco uſos falſo putarunt Buntingus, ac De Vignolius p.331. ſq. Anno vago diu Aegyptii Sacerdotes uti perrexere, ut Feſta per omnes anni tempeſtates impune vagarentur p.332. ſq. Anni fixi ratio denique, ab Auguſti die 29. capite ducto, anno 5. a capta *Alexandria*, ac deinceps Aegyptiis recepta univerſim eſt, conſtanterque ſervata p.333. ſq. Ab Aegyptiis Anni formam Hebraeos fuiſſe mutuatos falſo ſcripſere plerique: ab Aegyptiaco namque Anno tam *Sacro*, quam *Civili* plurimum, & tempore, & uſu, & myſterio differebat Judaicus p.336. ſqq. Qua ratione Vagus Aegyptiorum Annus tum ad Annum *Julianum*, tum ad *Julianae* Periodi, ac *Nabonaſſaraeae* Epochae annum redigi queat p.339. ſq. In quo tam a *Nabonaſſaraeo*, quam a *Juliano* Aegyptiacus differat Annus Vagus p.342. ſq. Quo denique modo in dato anno Aegyptiaco reperiri dies anni *Juliani* queat p.343.

Annus apud Coptos adhibitus haud ab Agyptiaco *Fixo* differt p.343. ſqq. Ad finem anni, ſicut olim apud Aegyptios, ſic hodie apud Coptos *Epagomenae*, ipſis *Meiſs* dictae, aggregari ſolent p.345.ſq. Stylo veteri apud Coptos Annus a die 29. Auguſti, Stylo novo a die 9. Septembris incipit p.346. Apud Aethiopes quae olim obtinuerit Anni ratio in obſcuro latet. Sequiori ſub aetate ab Aegyptiis eam accepiſſe videntur p.350.ſq. Ad finem anni die 5, *Paguemen* ipſis dicti, aggregari & ab ipſis conſuevere, eodemque, quo a Coptis, a die 29. Auguſti exordiri annum mos ipſis receptus eſt p.352. Apud Congenſes, & Angolonos quo Annus a capite duci, quot diſpeſci in tempeſtates, quot Menſibus componi, quot tam feriatos, quam feſtivos complecti dies ſoleat p.354.ſq.

Annus apud Indos *Lunaris* eſt, apud Brachmanes Menſibus 24. conſtat, dierum 15. ſingulis; quorum 1. a primo *Lunae* quadrante, 2. a tertio &c. incipit p.369. ſq. *Solarem* adhibere Gymnoſophiſtis Annum magis adlibuit p. 370. Forma ab Aegyp-

Aegyptio haud procul Indus aberat Annus p. 371. Duplex adhaec Indis Annus diſtingui primo ſolet, *Caeleſtis* ab Ariete, ac *Civilis* ab Aprili inceptus. *Civilis* iterum quadruplex uſurpatur, *Lunaris* dierum 355, *Solaris* dierum 365, *Ephemerius* dierum 360, & *Aſtrothetus* dierum 324. p.379. ſq. Indis etiam aliis *Jovialis* adhiberi ſolet Annus dierum 360, Menſium 10. Hodie *Julianus* univerſim Indis uſu eſt, iſque ab Hipparchaeo, ac Ptolemaico haud multum abformis. Indoſtanis tamen Annus ab ingreſſu *Solis* in Arietem inceptus diebus 365, horis 6, ac minutis inſuper componitur. Quae differentia inter Annum Indicum, Europaeum, & Indoſtanum intercedat p.380. Indi non ab *Octavio*, bene vero a *Julio* Caeſare Annos computare deinde ſuos occepiſſe videntur p.384.

Annus apud Thibetanos, Nepalenſes, Tangutanos &c. a Brachmanibus, ſecta *Giotichis*, in Ephemerides digeri, in hiſque *Planetarum* aſpectus, *Solis*, ac *Lunae* Eclipſes, ac Phaſes &c. exponi ex officio ſolet p. 390. Ex Menſibus XII. *Lunaribus* Annus hiſce conflatur, qui triplex eſt, *Solaris*, atque ab Aprili, *Civilis*, atque a Februario aliis, aliis a Martio, & *Sacer*, atque ab Octobri inchoatur. Quolibet etiam quadriennio *Embolimaeam* interſerere *Lunam* uſu receptum eſt p.393.

Annus apud Siamenſes a *Novilunio*, quod Verno proximius *Aequinoctio* eſt, exordium ducit: unde ſuam a Judaeis Anni Siamenſes accepiſſe formam aliquibus videntur p. 403. ſq. In Anno Feſta pleraque, Anni praeſertim ſub initio peragere Siamenſibus placet p.404. Duplex inſuper Annus ipſis eſt, *Luni-Solaris*, qui ab *Aequinoctio* incipit Verno, ac *Civilis*, qui a Menſe quinto anni *Luni-Solaris* init, modo ideſt a Novembri, modo a Decembri, prout Annus *Communis* eſt, aut *Embolimaeus* p. 405. ſq. *Tropicum* itidem Annum ex diebus 365, & horis 6. circiter compoſitum; *Anomaliſticum* inſuper, & *Aſtralem* diebus 365, horis 6, ac minutis aliquot definitum Annum Siamenſes habent p.406. ſq.

Annus apud Sinenſes a *Fo-hi* aliis, aliis ab *Hoam-ti* omnium primo formam habuiſſe falſo traditur p. 426. Anni forma verius a *Yao* omnium primo inducta fertur p. 439. Anni cardo a *Chuen-hiou* Chriſti ante natalem anno 2510. a *Novilunio* Verno ductus, qui ad duos perinde Menſes retroductus fuiſſe traditur p. 452. Aſt enim apud Sinenſes olim Anni formam admodum rudem fuiſſe multis oſtenditur p. 453. Sub *Yao* Annus *Luni-Solaris* effectus fertur *ibidem*. Annus *Solaris*, iſque diebus 365, ac horis 6. circiter conſtare ſub Dynaſtia I. *Hia* Sinenſibus innotuit. A *Solſtitio* Hyberno incipiebat *Solaris*, ab Aeſtivo *Aſtronomicus* p.471. Ante *Hia* Annus dicebatur *Tſay*; ſub *Hia* dictus eſt *Souy*; ſub *Chang* dictus *Se*, ſub *Tcheou* dici *Nien* cepit. Anno vero cuilibet proprius inditus Character eſt p. 472. ſq. Olim Anno exordium a *Luna* hodie x.

ab ingreſſu *Solis* in gradum 15. *Piſcium* fiebat, deinde a *Luna* 1, ab *Solis* ingreſſu in *Aquarii* gradum 15. factum eſt p.473.

Annus *Civilis* apud Sinenſes poſt Dynaſtiam V. *Han* ad hanc uſque diem exordium a *Luna* proximiori *Solis* ingreſſui in *Piſcium* gradum 15. capere jam ſolet p. 475. Ab anno 104. ante Chriſtianam Aeram uſque ad Aerae Chriſtianae annum 1280. apud Sinenſes Annus vicibus duabus ſupra viginti variaſſe legitur p. 476. Quo temporis ſpatio denique is definitus fuerit *ibidem*. Annis XII. Animalium totidem impoſita apud Sinenſes nomina conſtat p.480. ſqq. In Partes. XXIV. ita dividi Annus itidem cepit, ut Pars quaelibet diebus 15. conſtet p.483. ſq. Sinici Anni forma rurſus ab *Hia-vu-ti* Dynaſtiae V. *Han* Imperatore V. anno circiter ante Chriſti natalem 140. emendata legitur p. 484. Anni quoque Syro Macedonici forma a Syro-Neſtorianis in Sinas inlata legitur p.488. ſq.

Annus apud Concinſinios, atque Tunchinenſes idem prorſus obtinet, qui jamdiu Sinenſibus acceptus eſt; eadem Anni ratio, exordiumque idem tam his, quam illis p.491. Apud Japonios vero Annus a *Novilunio* Februarii diei 5. proximiori auſpicia capit p. 501. Intercalari etiam Annus, & ad *Zodiaci* ſigna XII. dirigi apud eoſdem ſolet p.502.

Annus apud Americanos *Solaris* eſt, ad *Lunae* tamen rationes etiam accommodatus. Annis enumerandis *Hyemum* uti & nomine, & numero Indis hiſce magis adlibuit p.520. ſq. Qui *Lunarem* omnino Americanis uſurpari Annum ſcripturiit, Hontanus vapulat p.521. ſq. Quo a cardine initium Annus olim duceret; quot conſtaret diebus p. 523. *Biſſextum* etiam quadriennio interponere cuilibet in more poſitum ipſis eſt p. 527. Meſſium numero Anni Peruvianis rudioribus computari ſolebant: a politiorious aſt enim obſervatis, umbrarum ope, *Solſtitiis*, & *Aequinoctiis*, aliter definiri Annus occepit p. 528. ſq. Annus ipſis *Lunaris* erat, ad *Solis* attamen rationes etiam attemperatus ita, ut ad finem Anni dies 11. aggregari ſolerent, atque a *Solſtitio* Hyemali exordium capiebat p.529. ſq.

Apis idem Aegyptiis, ac *Iſis*, hoc eſt *Luna*, fuiſſe videtur p.66. Ab Aegyptiaca voce *Hebi*, qua *Luctus* ſignificatur, aut a Graeca *Ἐπι Epi*, ſive Coptica *Oipi*, unde Hebraica *Epha*, qua *Menſura* deſignatur, derivata videtur p.66. Vide-ſis V. *Serapis*. Ab Hebraea rurſus *Habir*, qua *Fortis* ſignificatur, unde *Bos* etiam denominatus, nomen *Apis* tuliſſe videtur p. 70. *Apis* iterum idem, ac *Epaphus* conjici facile poteſt, ita dictus, quod primus Annum *Solarem* etiam ad *Lunae* curſum dirigere Aegyptios edocuerit &c. p. 80. ſq. Quo demum tempore *Apis*, ſeu *Epaphus* inter Deos fuerit relatus p. 81. ſqq. Quam ob cauſſam, & quando e Graecia ab *Epapho* ſuſcepta in Aegyptum Expeditio fuerit p.83.

Apodaſmus, nequaquam Judaeae Urbs,

Digitized by Google

Urbs fuit, veluti S. Hieronymo perſuaſum fuiſſe videtur, bene vero Judaeorum Colonia, ſive parva collecta manus aliò tranſplantata p. 204. ſq.

Apoſtoli *Circumciſionis* tres utique recenſentur SS. *Petrus*, *Jacobus*, ac *Johannes*: ab his attamen Orbis univerſus tres velut in Diœceſes ita fuiſſe diviſus, ut *Johanni* Aſia, *Jacobo* Palaeſtina, & Syria, *Petro* Aſſyria, & Babylonia, unde ideo exarata fuerit Epiſtola I, minus vere Lightfooto, ac Witſio dicitur p.203.

Arabes in Babyloniam educta Colonia, eo potiti Regno per annos 45. tenuiſſe leguntur. Quis ex hiſce Babylone primus imperare ceperit; qui perinde eodem in Imperio, quave ſub aetate ſibi invicem ſucceſſerint p.103.

Arcades ſe ante *Lunam* extitiſſe, ſicut Athenienſes *Soli* ſe coaevos, ac Lacedaemonii ſe de *Terra* genitos, olim tam inepte, quam ſuperbe jactabant. Sedes mutare ſaepius Arcades coacti ſunt, unde diverſa ſaepe diverſis a Regionibus ſortiti nomina ſunt. Ab iis *Saliaria* inſtituta feruntur, quae poſt in Italiam traducta fuere p.118.ſq. Unde Arcadibus nomen adhaeſerit: qui Regis nomine in Arcadia olim imperarint; quove tempore Regno huicce finis impoſitus fuerit p.119. ſq.

Argivi Regni qui fundamenta poſuiſſe feratur: quae Regum in eo ſucceſſio, atque ſeries fuerit; quaeque fata diverſis ſub Regibus, aetatibuſque Regnum illud ſubjerit p.14.ſqq.

Argonautica Expeditio quo conſignanda ſit anno, haud convenit inter Chronologos, quorum ea de opiniones attinguntur obiter diverſae p.126. ſq.

Aſchenaz *Noachi* pronepos in diſperſione Gentium ſub *Phalego* e BabyloneColonos in Germaniam intuliſſe fertur, parum veri tamen ſimiliter: Germani namque potius e *Magogo* filio *Japheti* prognati, Scytharum poſtea fuiſſe propagines aeſtimandi ſunt p.116. Vide-ſis V. *Germani*.

Aſethus Aegypti Rex celebris qua ſub aetate in vivis egerit. Ab eo Aegyptiacum reformatum fuiſſe Kalendarium, certaque Anno indita forma traditur p.293. ſqq. Vide-ſis V. *Annus* apud Aegyptios. Diverſa idem *Aſethus* tuliſſe nomina legitur; ſub eoque Cyclus II. *Sothiacus* incepiſſe DeVignolio videtur p. 294.ſq. Vide V. *Cyclus*, & V. *Periodus*.

Aſiae nomen ab *Aſio* filio *Cotys* Lydiae Regis factum eſt, ſi fides Herodoto danda. Dividi Aſia in *Superiorem*, & *Inferiorem*; in Aſiam etiam citra *Taurum*, & ultra *Taurum* olim ſolebat; hodie in *Majorem*, atque *Minorem* dividi vulgo ſolet p.1.ſq.

Aſtronomiae ſtudium quatenus a Chaldaeis, ab Aegyptiis, a Graecis &c. excultum fuerit. Aſtronomicis peragendis obſervationibus planities *Senaar*, ubi olim Babylon aedificata, ſaepius deſtinata legitur p.314.ſq. Aſtronomiae tamen admodum rudes Chaldaei, Aegyptii, Graeci &c. ante Hipparchum fuiſſe videntur p.317. ſq. A Chal-

daeis Aſtronomicas diſciplinas Aethiopes didiciſſe, eaſque ad Aegyptios transfudiſſe aeſtimandi ſunt p.350. ſq.

Aſtronomiae olim, ac diu admodum rudes fuiſſe Sinenſes multis oppido ſit manifeſtum p. 453. ſqq., 459. ſqq., & 461. ſqq. Atque ſane Aſtronomiae ſtudium apud ipſos admodum imperfectum uſque ad Europaeorum in Sinas adventum longa jacuiſſe aetate planum abunde ſit p.469. ſq., & p.475. ſq.

Atlas quis fuerit, quo genitus parente, cum quove ſaepe confuſus p.7. ſq. Ab eo Colonia ducta fertur in Mauritaniam aliquibus, in Italiam aliis. Unus hoc audiviſſe vocabulo *Atlas* quibuſdam dicitur, quatuor vero pleriſque diſtincti ſunt p.8. ſq. Eum cum *Lotho* quidam, cum *Enocho* alii, aliqui cum *Jano* eumdem facere haud dubitarunt *ibidem*. Idem aliis *Deucalionis* ſit filius p.30. Aliis e *Tyrrheni* Lydi ſtirpe gnatus, *Heſperi* frater, ortuque Italus creditus eſt p. 160.

Auſon filius *Atlantis* Coloniam in Italiam ante Trojanam haloſim anno 384. deduxiſſe Ryckio traditur p. 9. Auſones ab eo in Italiam ducti, qui fuerint, quo fati genere, quive ex ipſo procreati p.151. ſqq. Vide-ſis V. *Italia*.

B

BAbylonia alia in Aſſyria, alia in Aegypto, ſic a *Cambyſe* adpellata; e neutra vero ſcripta a *S. Petro* Epiſtola I. fuit, bene vero Roma, tum ab Idololatriae ſede ita denominata p.303. ſq.

Bacchus idem cum *Nimbrodo* habitus eſt Cl. Mazochio p. 7. Quo is tempore in Atticam advenerit. Cum eo adveniſſe *Ceres*, ac *Triptolemus*, frugeſque ſerendi modum docuiſſe feruntur p.31. Idem rurſus ab *Oſiride* indiſtinctus, iſteque *Agenoris* pater, *Cadmi* avus viſus aliis eſt p. 46. Vide-ſis V. *Cadmus*.

Bacchus alter *Cadmi* nepos diſtinctus aliquibus eſt p.54. Is expeditionem in Hiſpaniam adornaſſe, ſociis adſumptis *Hercule*, ac *Pane*, huncque Hiſpaniae praefeciſſe, a *Luſo* vero, *Bacchi* ſocio altero, ſuo de Luſitaniae factum nomen fertur p. 139. Ab eodem *Baccho* expeditio in Indias haud altera eſt ab ea, quae a *Seſoſtri* adornata legitur p.359. A *Baccho* porro ſe originem ducere jactant Baniani in Indoſtania, multas oppido in Sectas diviſi p. 397. Idem ac *Chuzi* filius viſus quibuſdam eſt p.417. ſq:

Battus e *Cadmi* ſtirpe Cyrenes in Africa Urbis conditor, Regnique fundator habetur p. 53. Ab eodem *Batto* in Libya aedificata *Zoa*, in S. Scriptura *Taneos* dicta, Cyrenes etiam in majore Syrti, diſtinguenda ſane a Cyrene altera in Libya Urbe, Olympiade 41. condita fertur p. 146. Qui *Batto* in Cyrenaico ſucceſſerit Regno: quot illud duraverit annis: quos deinde paſſum Dominos ſit p.147. Sub *Batto* II. ingens e Graecia Colonia tranſplantata legitur *ibidem*.

Belus idem cum *Saturno* aliquibus, cum *Nimbrodo* aliis, aliiſque cum

Chu-

Chuzo habitus eſt. A *Belo* Aegyptio ducta in Aſſyriam Colonia, genuſque duxiſſe *Belus* Aſſyrius traditur p. 13, quo de utroque agitur. *Bel* tempus ſignificat, unde Ἀρχαῖος, Χρονιαῖος p. 14.

Belus Aegyptius, a *Neptuno* genitus ex *Libya* filia *Epaphi*, genuiſſe & ipſe *Aegyptum*, atque *Danaum* fertur p. 33. *Beli* nomine principio *Deus* O. M. deſignari Aſſyriis ſolebat: quod Sacrum poſtea nomen ad Gentium Idola traductum fuit p. 60.

Betyli Lapides erant *Soli* ab Ethnicis dedicati, atque in iis *Jovis*, aut *Saturni*, aut *Solis* effigies imprimi ſolebant. Ejuſdem generis fuiſſe Lapides *Synoditae*, in quibus expreſſa *Solis*, ac *Lunae* comparebat imago, videntur. A quo primum inventi Lapides Idololatrici hi fuerint p. 87. ſq. Ejuſdem genus erant *Cerauniae*, e quibus aliae rubeae, aliae nigrae. Columnae *Marti* dicatae apud Aſſyrios, *Baal* dictae; apud Arabes *Dyſares*, Lapis ideſt Niger, & quadratus; Niger, & informis Lapis alter apud Amazones; apud Indos *Mabadeu*, Niger hoc eſt Lapis; *Elagabalus* apud Syros; apud LaconicosColumnae ſeptem *Planetis* erectae; apud Achaeos Lapides xxx. *Mercurio* dedicati; Pyramides *Veneri* ſacrae apud Paphios p. 87. ſq. Vide-ſis V. *Pyramis*.

Betylos hoſce, ſive Lapides *Soli* dedicandi ritum Aegyptii a Chaldaeis, hique ab Hebraeis fuiſſe mutuati, atque in Idololatricum tranſmutaſſe videntur. An vero a *Batuele*, apud quem erant *Teraphim*, an verius a *Jacobo*, a quo Lapis in *Bethel* Deo O. M. dedicatus legitur, derivati ab Ethnicis hujuſmodi Lapides fuerint, dubium eſt p. 89. Lapides hi porrò *Sacri* etiam, & *Animati*, Lapides item *Sphaerici*, ac *Uncti* denominati ſunt *ibidem*. Diſtingui ſed enim *Betyli* accurate ab *Hermis* debent p. 90. Vide-ſis V. *Hermae*.

Brachmanes in India celebres unde originem & generis, atque nominis nacti ſint. An ab *Abrahamo*, ut inepte quidam exiſtimant, an a *Brahma* Rege ob praeclaras dotes inter Deos poſt obitum collocato, ut ipſi met jactant! Quid *Bed* dicti, libri ab eo ſcripti, rei praeferant? Quid hocce ipſo *Brahmae* nomine importetur? Qua figura idem effingi ſoleat? An a *Pirouni* voce Aegyptia, Indice *Pirimba*, Latine *Homo* derivetur p. 362. ſqq. Qui praeter *Brahmam* alii apud Indos Dii in honore habeantur! Qualis eorum genealogia texi, quanta tribui eiſdem aetas, quaeve in res creatas adſcribi poteſtas ab Indis ſoleat p. 363. ſq.

Brachmanes apud Indos Dii an iidem cum Aegyptiis habendi ſint! An in eiſdem adumbratae *SS. Trinitatis* Perſonae! An a Perſarum Diis iidem ſint derivati p. 364. ſq. An *Dei* ſupremi pro Imaginibus, an pro Diis inferioribus, an pro *Dei* Miniſtris reputandi ſint! Quot in Sectas diviſi *Brachmanes* abeant. p. 367. ſqq. Vide-ſis V. *Xaca*. Eorum inſtitutum parum a Veterum *Therapeutarum* diſciplinis abſuiſſe notatur p. 373. *Brahmae* variis aetatis momentis obſignari, computari-

tariſque a Brachmanibus Ephemerides, Anni, Kalendaria, Faſti &c. ſolent p.399.

Britanniae Inſulae Colonis a Phoenicibus omnium primis inhabitatae fuiſſe aliquibus memorantur. Eò *Cereris*, *Bacchi*, ac *Proſerpinae* Sacra, eodem, quo a *Cabyris* in Samothracia, ritu celebranda, a Phœnicibus fuiſſe translata feruntur p.141. In Hiberniam, & Orcades Inſulas etiam Coloniae a Phœnicibus tranſplantatae traduntur *ibidem*. Vide-ſis V. *Coloniae*.

C

CAbyri, alio *Corybantes* nomine, *Curetes* item, *Dactyli* alio, *Idaei*, alioque *Talchinii* &c. dicti, qui fuerint, a quove genus hauſerint. Ab ipſis in Creta Inſula tum *Jovis* primum, tum *Cybelis* Sacra curari ſolebant. E *Curetis* hiſce porro, ſive Cretenſibus celebres *Cerethi*, ac *Phelethi* cohortes ſub *Davide* coaluiſſe Mazochio Viro Cl. viſae ſunt p. 34. Iidem primi Troadis Incolae, atque *Jovis* Sacrificuli fuiſſe leguntur: quot ii fuerint numero, quove prognati genere p.55. ſq.

Cadmus cujatis fuerit genus, quove genitus patre p. 43. Ab eo Litterae, non Aegyptiacae utique, ſed Phœniciae, ſive Syriacae, haud a Samaritanis diverſae, in Graeciam adlatae ſunt; queis aliae poſtea cum a Graecis, tum a Latinis adjunctae fuere p.44.ſq. Idem *Bacchi*, ſeu *Oſiridis* filius habitus eſt; ab Aegypto Colonos in Phœnicem, in Rhodum Inſulam, ubi *Neptuni* cultus inlatus eſt, in Boeotiam, Euboeam Inſulam, Corcyram, Melitam, Inſulas alias, Illyricum &c. invexiſſe legitur p.45. ſqq.

Cadmaeae quae fuerint litterae, obiter diſquiritur p.47. ſq. Quinam in Thebaeo *Cadmum* exceperint regno p.49. ſq. E *Cadmi* familia porro aliae pleraeque alias in Regiones longe plures tranſplantatae Coloniae referuntur p.51. ſqq.

Calicuti, & Coulam Urbium in Malabaria celebrium fundatio duplici apud Indos Epochae, uſu ad hanc uſque diem frequentatae, locum fecere, qua de utraque diſputatur p.384. ſqq. Vide-ſis V. *Aera*.

Cecrops ab Aegypto celebris in Atticam Coloniae ductor traditur: quo vero factum id tempore, fuſe diſputatur p.23.ſq. A *Cecrope*, Urbibus XII. aedificatis, Athenienſe conditum eſt regnum. Διφυὴς cognomen unde hauſerit, non una Doctorum opinio eſt p.24. A *Cecrope* II. Athenienſes vicatim habitantes in Civitatem fuiſſe coacti leguntur. Qui eum in regno exceperint, queis ab ipſius filiis aliò ductae Coloniae fuerint p. 32. ſq. De *Cecropis* iterum, *Myſis*, atque *Inachi* aetate diſputatur p.81. ſq. In Cypro *Agrauli* conjugi, aut filiae Sacrificia ex vivis hominibus *Cecrops* inſtituiſſe traditur p. 130. Poſt *Cecropem*, quae Athenis regiminis forma inducta fuerit: quae pleraſque in Regiones Coloniae, quave ſub aetate fuerint inlatae p.178. ſqq.

Celtae Scythicae fuiſſe propaginis aliquibus videntur p. 144. Celtica lin-

Digitized by Google

lingua a *Merc* Magiſtro dictus *Mercurius* eſt; a *Tent* Patre Populi *Teutates* nomen tulere; a *Ker* Urbs; a *Sador* Forti *Saturnus*; a *Koch* Rubrum; a *Jou* Deus *Jupiter*; a *Guin* Pulcra *Juno*, Veteribus *Jolinta* dicta; a *Dhevu* Splendido *Dieſpiter* eſt adpellatus &c. p. 145.

Chriſti D. Natalis, Baptiſmus, & Obitus quibus Annis, Menſibus, ac diebus fuerit conſignatus a Clemente Alexan., ab Anatolio, a Tertulliano, ab Auctore Conſtit. Apoſt., a S. Epiphanio, a Baſilidianis, ab Euthymio, a Paulo Emiſſeno, ab Anaſtaſio Nicaeno, a Chronographo Alex., a Kalendariſtis aliis p. 324. ſqq. A Coptis item, ab Auctore Conſt. Apoſt. tam Arabe, quam Graeco, a S. Nicephoro Conſtantinopolit., a Georgio Arbelae Metropolita, ab Eutychio Alex., ab Aethiopibus, a Syris, a Graecis, a Mohammedo ipſo p. 346. ſq.

Chriſtum D. S. Mariae filium haud revera, ſed ipſi ſimilem alterum Cruci adfixum fuiſſe tam impie, quam ſummam per inſaniam blaſphemavit impoſtor *Mohammedus*, qui ſecta ideo Manichaeus jure, optimeque reputatus nonnullis eſt. p. 348.

Chronologia Textus Hebraici, atque Vulgatae Latinae nullo componi cum Sinenſi Chronologia, uti apud pleroſque jacet, modo poteſt p. 424. ſq. Sed & a Chronologia Samaritani Codicis, & a Graeca LXX. Virali longo Sinenſis diſcrepat intervallo p. 425. ſq. Juxta computos attamen a Sinenſi Chronographo *Tſou-chou*, e Bibliis Hebraicis, ut aeſtimare fas eſt, decerptos, cum Hebraico Textu, Latinaque Vulgata optime Chronologia Sinenſis componitur p. 432.

Chronologia Sinenſis annos infra 304. detrudenda, quin imo annis 500. retardanda videtur p. 433. ſq., 435. ſqq. Ab anno 400. dumtaxat ante Chriſtianam Aeram Chrononologia Sinenſis recta incedere nonnullis demonſtrata eſt p. 436. ſqq., 438. ſqq., & 450. ſq. Ejuſdem Chronologiae cardo maxime ab *Eclipſi* Solari eadem die, qua & *Planetarum* quinque conjunctio facta legitur, dependet: qua de Eclipſi multa in utramque partem a Viris doctis diſputantur p. 454. ſqq.

Chronologia de veteri Sinenſi judicium ex ſex Kalendariis anno Chriſti ante natalem 99. circiter a Sinenſibus Aſtronomis elaboratis ferre licet p. 457. ſq. Multum etiam Chronologia iſthaec dependet a loco, in quo *Solſtitium Hybernum* olim defixum fuit: quo de prolixe agitur p. 459. ſqq., & p. 461. ſqq. Cardini denique Chronologiae Sinenſi defigendo inſerviunt *Eclipſes*, inter quas de celebri *Solari* Eclipſi anno Chriſti ante natalem 2158. notata fuſe diſputatur p. 465. ſqq.

Coloniae omnium primae, Gentium poſt diſperſionem ſub *Phalego* factam, eductae, a *Chami* filiis una, alteraque a filiis *Japheti* leguntur p. 3. ſq. Poſt haſce prima ab Aſia in Europam inlata *Titanum* Colonia fertur p. 4. ſq. Vide-ſis V. *Titanes*. Ab *Eſau* poſteris ex Idu-

Idumaea, & Arabia in Indias, Aegyptum, Africam, Aethiopiam, Scythiam, Thraciam, Inſulaſque Mediterranei Maris emiſſae Coloniae traduntur p. 6. Unius, & alterius duces *Atlas*, & *Hercules* jactari ſolent p. 7. ſqq. Vide V. *Atlas*, & V. *Hercules*. Ex Aegypto primae omnium in Aſſyriam, & Africam eductae Coloniae, a *Belo* nempe, memorantur p. 13. ſqq. Omnium illuſtrior ab *Inacho* I, non e Phoenice, ſed ex Aegypto ducta in Peloponneſum Colonia legitur p. 14. ſqq. Vide-ſis V. *Inachus*. In Corinthi regionem altera ab *Ephyra* Inachi I. ſorore inlata eſt p. 18. Celebrior illa fuit, quae in Boeotiam, & Atticam ab *Ogyge* deducta traditur p. 18. ſqq. Altera a *Care* Phoronei filio in Megaridem tranſmiſſa Colonia fuit, poſt quam alia a *Lelege* eò ab Aegypto inlata quoque fertur p. 21. ſq. Ab *Aegialeo* Inachi I. filio ducta in Achajam Colonia, Sicyonio ibi regno factum exordium eſt p. 21. ſqq. Vide V. *Aegialaeus*.

Coloniae aliae plures ſequiori ſub aetate ab Aſia deductae in Europam leguntur. A *Lycaonis* II. filiis in Graeciam; a *Calliſto*, ejuſque filiis in Arcadiam, Phrygiam, Tegeam, Phocidem &c. p. 22. Inſignis prae his a *Cecrope* ex Aegypto in Atticam educta Colonia eſt p. 23. ſqq. Vide-ſis V. *Cecrops*. Celebris item altera ex Aegypto quoque in Theſſaliam a *Deucalione* p. 25. ſq. Ab hujuſce vero filiis, atque poſteris *Amphictyone*, & *Hellene*; itiuſque a filiis *Aeolo*, *Doro*, ac *Xutho*; Aeoli filiis item *Magnete*, *Siſypho*, & *Macedone*; atque Xuthi rurſus a filiis *Achaeo*, ac *Jone* in diverſas Graeciae Regiones Colonis eductis, diverſa eiſdem indita ſunt nomina p. 26. ſqq. Illuſtris alia ex Aegypto in Atticam ab *Erecthaeo* inlata Colonia traditur, aliaeque ſubinde ab ipſius filiis alias tranſplantatae ſunt in Regiones p. 31. ſqq. Vide-ſis V. *Erecthaeus*. Locum heic habent, quae primo ab *Ammone* Libyae Rege, quaeque perinde in Cretam Inſulam Coloniae inlatae leguntur, ubi cum ille prius, tum alii poſtea diu regnaſſe traduntur p. 33. ſqq. Vide V. *Ammon*. Ab Aegypto rurſus tam in Laconicam a *Lelege*, quam ab ejus deinde filiis, ac poſteris aliò transfuſae Coloniae aliae fuere p. 35. ſqq. Vide-ſis V. *Lelex*. Coloniae adhaec aliae multae alias in Regiones deductae leguntur, Aeginam ab *Aeaco*; Canobum a *Canobo*; Tenedum a *Tiſandro*, & *Oreſte*; Phocidem a *Dejone*, ac *Phoco*; Byzantium a *Pauſania*; Cretam a *Tolide* &c.; Melium ab *Apodaſmo*; Cnidum a *Xenare*; Phrygiam a *Piſiſtrato*; Theſſaliam a *Lacedaemoniis*; Theram a *Theraeo*; Selgam a *Calchante*; Lesbum a *Piſandro*, *Oreſte*, & *Lesbo*; Boſphorum a *Rheca*, & *Amphiſtrato*; Crotonam, & Locros a *Polydoro*; Campaniam, Brutios, Samnium, Sabinam &c. a *Sabo*, *Phalanto*, *Taranta*, *Glauco* &c.; Arpim a *Diomede*; Venetias ab *Antenore*; Metapontum ab *Epeo*, Trojani Equi fabricatore &c. p. 39. ſqq.

Colonia e Chananaeis, a *Joſue*, ac Iſrae-

Digitized by Google

Iſraelitis loco ejectis, uti Jebuzaeis, Gergeſaeis &c., Ammonitis, Madianitis, Ammoraeis &c. in Africam tranſplantata legitur; quae in Graeciam potius fuiſſe advecta pleriſque videtur p.41.ſq. E Caphtoraeis, Caslucis &c. alia, *Cilice* duce, in Colchidem, Cappadociam, ac Ciliciam, unde Regioni nomen inditum, Colonia transducta traditur; aliaeque longe plures aliò a *Cadmi*, ac *Cilicis* filiis, ac poſteris invectae leguntur p. 43. Celebriores prae hiſce fuere, tum quae a *Cadmo* ex Aegypto in Boeotiam, tum quae a *Danao* in Graeciam ex Aegypto ſimiliter educta fuit p. 44. ſqq., & p.50. ſqq. Vide-ſis V. *Cadmus*, & V. *Danaus*. Poſt quas ex utriuſque generis a poſteris alias in Regiones Aſiae minoris, Graeciae, & Africae Coloniae inlatae aliae ſunt p. 51. ſqq. Memoratu vero dignae tam quae a *Dardano* in Troadem p. 54. ſq., quam quae ab *Apide* e Graecia in Aegyptum tranſplantata legitur, qua de poſteriori multa oppido p. 64. ſqq. Vide-ſis V. *Dardanus*, & V. *Serapis*.

Colonia duplex etiam celebris a Chaldaeis, ſive a Scythis in Joniam una, pridem *Alybam* dictam, in Phoenicem altera deducta memoratur p. 100. ſqq. Sed & altera Babyloniam ab Arabibus deportata legitur p.103. Jungendae geminae aliae qua a Scythis in Parthiam, qua ab Aegyptiis in Colchidem adornatae Coloniae fuere p. 104. ſqq. Quin & a *Seſoſtri* ex Aegypto in Indias transfuſa Colonia fertur, p. 111. Vide-ſis V. *Seſoſtris*. E Scythia vero Colonia, nec una, neque ſemel in Indias educta videtur p.113. ſq. Nobiliorem inter Colonias locum occupant, quae a Graecis varia ſub aetate in Meſſeniam, Arcadiam, Phrygiam, Lydiam, Phocidem, ac Mycenem inlatae ſunt p. 116. ſqq. Vide ſub hiſce VV. Ex Aegypto adhaec Colonia altera in Cyprum educta legitur p.129. ſqq. Vide-ſis V. *Cyprus*. Longe ſed enim Scriptorum celebratae ſermone ſunt Coloniae *Aeolica*, *Dorica*, ac *Jonica*, queis de, earumque ducibus copioſe p.132. ſqq. Vide ſub hiſce VV. Sequiori ſub aetate Coloniae aliae longe plures e Graecia in Aegyptum, Africam, & Europam tranſductae leguntur p. 135. ſqq., atque a Phoenicibus inlatae praeſertim in Hiſpanias, Britanniam, Hiberniam, Gallias &c. p.137.ſqq. Vide-ſis V. *Phoenices*.

Coloniae aliae celebres e Graecia in Aegyptum, ac Libyam eductae memorantur p.145.ſqq. Memoratu altera perquam digna, quae e Peloponneſo, & Creta Inſula ſub *Batto* II. in Libyam ducta eſt p. 146. ſq. Multo plures aſt enim in Italiam e Graecia tranſplantatae Coloniae fuere p. 147. ſq. A Pelaſgis occupata Peloponneſo, inde poſtea Coloniae longe, lateque per Graeciam univerſam diſperſae ſunt p.156. ſq.; aliaeque inde pleraeque in Italiam diffuſae p. 158. ſqq., & p. 163. ſqq. Vide-ſis V. *Italia*. A Lacedaemoniis etiam Coloniae aliae in alias Regiones ſaepe, multaeque tranſplantatae leguntur p. 166. ſqq. In Sardiniam ab *Herculis* filio *Jolao*, inque partes Italiae alias aliae ductae

Coloniae traduntur ducibus ab aliis p. 167. ſqq.

Coloniae ab *Heraclidis* in Corcyram Inſulam, indeque e Corinthiis in Illyricum, ac in Thraciam emiſſae fuit p. 170. In Thraciam aſt enim longe antea ducta Colonia traditur p. 174. In Maeſiam Colonia a *Megaro* ducta eſt p. 175. ſq. Coloniae item in Pontum, Myſiam, Helleſpontum, & Cherſoneſum invectae. In Lydiam item, Aeolidem, Myſiam iterum, Thaſum, Lesbum, Tenedum, Parium, Inſulaſque alias p. 176. ſqq. Ex Attica in Regiones pleraſque alias longe plurimae p. 178. ſqq. E Graecia in Joniam, Regiones, aliaſque Inſulas multae ſaepe translatae ſunt, atque Urbes aedificatae p. 180. ſqq. Hebraeorum denique Coloniae quae, & quando, quòve gentium tranſmigrare ſaepe coactae fuerint p. 185. ſqq. Vide-ſis V. *Hebraei*.

Concinſina una olim Tunchini Provincia erat, a quo Aerae Chriſtianae anno 960. circiter ſeparata proprium habere Regem, Sinenſi tamen Imperatori vectigalem, occepit. A *Koblajo*, una cum Tunchino, ſubacta, in libertatem denuo ſe vindicavit, Regeſque ad hanc uſque diem habere non deſtitit, ita tamen, ut totius rei ſumma *Bovam* inter, & *Chovam* diſpertita ſit, illi in res *Sacras*, illi in *Civiles* poteſtate integra facta. Menſium, Annique ratio eadem, quae Sinenſibus, adhiberi Concinſiniis ſolet p. 490. ſqq.

Confucius celebris apud Sinenſes Philoſophus ab Aegyptio *Chon*, ſive *Cnuphi*, ſeu *Hercule* indiſtinctus aliquibus viſus eſt p. 419. Idem a Philoſopho alio cognomine, Indo *Roofi* dicto, Secta Epicurraeo, diſtinguendus eſt. E *Fo-bi* vero libris ſua defloraſſe fertur p. 444. ſq. Pro Deo Caeli, & Terrae *Spiritum*, ſive *Vim* inſitam, ac Ingenitam habuit p. 446. Confucius, Mencius, atque Scriptores alii Sinenſes quam immaniter inter ſe Sinicis de rebus ſcribentes diſcrepent p. 431. ſqq.

Copti unde ſic dicti ſint, an ab Urbe *Copto*, an a Graeco verbo *Κόπτω*, quod eſt *Scindo*, ideſt a *Circumciſione*, an a voce *Chibth*, Aegyptio olim Rege, an a *Mizraimi* patre *Chus*, an a vocabulo *Kibthi*, aut *Gypti* &c. p. 343. ſq. Copti tarde ita denominati videntur; eorumque lingua haud vetus Aegyptio-Pharaonica eſt, neque Liby-Aegyptia, neque Aegyptio-Arabica, ſed magis vetus Aegyptiaca; poſt Moslemorum expeditiones tamen depravata p. 344. Coptis in Biſſexto bis celebrari dies Natalis Chriſti D. ſolet, iſque die Veneris abſque ciborum delectu p. 346. Quae Feſta, queiſve Anni temporibus celebrare religioni Coptis cedat p. 346, & p. 348. Aera *Diocletianaea* pridem, hodie *SS. Martyrum* dicta, uſu Coptis venire multis oſtenditur p. 348. ſq. Vide-ſis V. *Aera*.

Coraea Peninſula, ad latus Japoniae Septentrionale poſita, tria olim in Regna partita erat, ibique totidem imperium tenebant Reges, quorum origo, ſeries, ac familiae exponuntur p. 508. ſq. Origine porro Si-

Sinenſes fuiſſe Coraei videntur, quaeis utpote cum communis ipſis eſt Idololatria, ideoque temporibus etiam putandis eadem ratio ineſt p. 509.

Corinthus primos ab *Ephyra*, quae *Oceani* filia, atque *Inachi* 1. ſoror fertur, Colonos accepiſſe legitur p. 18. Eò poſtea deducta a *Siſypho* Colonia altera, mire amplificatum regnum ;eſt p. 28. Vide-ſis V. *Siſyphus*.

Cyclus Aegyptiis olim *Cynicus* dictus, unde nomen tulerit, & quot annis conſtaret p. 229. Cyclus hic apud Aegyptios alius *Minor* annorum 70, alter *Major* annorum 487, alius *Maximus* annorum 1183. diſtinguendus viſus De Vignolio eſt p.231. Cycli *Lunaris* xxv. in annis Vagis eadem revolutio eſt, ac Cycli *Lunaris* xix. in annis Fixis p. 232. Quo ſane Cyclo evoluto, *Magno Anno* ideo adpellato, totius Orbis fieri revolutionem, eoque ſpatio Veteres Dynaſtias xxx. Regum fuiſſe abſolutas perſuaſum, Aegyptiis erat. Qui tamen Cyclo Majori *Sothiaco* annorum 1460. de induſtria fuiſse inſertus videtur p. 300. ſq. Vide-ſis V. *Periodus*.

Cyclus I. *Sothiacus* a *Mene* inceptus annis conſtitiſse dierum 360, finjiſſeque cum anno 960, indeque Cyclus II. ab *Aſetho* incepiſſe annorum 1460. De Vignolio, ac Jablonskio perperam videtur p. 294. ſq. Ab *Aſetho* novum inductum fuiſſe Cyclum *Sothiacum* iidem Duumviri docti perſuaſum habent. p. 296. Quo demum anno novus hic inductus fuerit Cyclus, lis eſt inter Chronologos ingens, necdum definita, qua de multis diſputatur a luogo p.297.ſqq. Quae veri propior videri, ſimiliorque poſſit opinio de Cycli *Sothiaci* exordio, exponitur p.299. ſqq., & p.302. ſqq. Quo in Cyclo figendo, exponendoque multa a Nevvtono peccari fit denuo planum p. 304. ſqq.

Cyclus annis 60. conſtans, ſingulis annis ſingulari indito nomine, Indis, Malabaris, Coromandeliis, Maratis&c.frequentari ſolet p.380. Indis adhaec, Tartaris, Indoſtanis, Thibetanis, Sinenſibus, Japoniis &c. Cyclus annorum xII. a totidem Animalibus deſumpto nomine; Cyclus annorum x, nomine a totidem Elementis accepto, & Cyclus annorum LX. ex hiſce conflatus uſu jamdiu venit p.394. ſq. Vide-ſis V. *Periodus*. Iidem etiam Cycli apud Siamenſes, alioſque Indos, certis adfecti nominibus, obtinent, atque rebus memoria dignis obſignandis inſerviunt p. 407. ſqq.

Cyclus apud Sinenſes primus quo Chriſti ante natalem anno incepiſſe feratur p.420. ſqq. Cyclus hicce recentioris inventum aetatis eſse, deque induſtria ad veterum Imperatorum annos retroductus fuiſse multis oppido ſuadetur p. 425. ſq. Cyclus xix. Sinenſibus paullo poſt Diluvium uſurpatus fertur p. 434. ſq. Cyclus LX. itidem eadem ferme ſub aetate inductus jactatur: qui verius longe poſt uterque obtinuiſſe videtur p. 435. ſq. Quo ab anno Cycli LX. Sinenſis aerae Chriſtianae annus primus inceperit p. 437.

Cyclus ad tempora ſupputanda mul-

tiplex apud Sinenſes adhiberi jamdiu conſuevit. Nempe dierum 60, & Annorum 60, ſingulisque proprium nomen, atque ſingularis inditus Character eſt p. 472. Cyclus item annorum 19, annorum 1539, & annorum 4617. p.473. ſq. Cyclus XIX. adhaec ab iis demum emendatus legitur, ex ipſoque quater repetito Cyclus LXXVI. *Calippicus* efformatus eſt, ex illoque Periodi effictae aliae p.474. Vide-ſis V. *Periodus*. Cyclus XXVIII. *Solaris* etiam a Syro-Neſtorianis in Sinas inlatus legitur p. 476.

Cyclus ex *Kan* X. effictus, dierum 60. cum ſuis Characteribus exhibetur, ejuſque initium, & uſus explicatur p. 478. ſq. Cycli alii Sinenſibus uſurpati leguntur, veluti *Tchi* XII, Animalium XII. nominibus inſigniti, qui numerandis Horis 12, ſignis *Zodiaci* 12, Diebus 12, *Lunis* 12, Annis 12. inſervit, queis de laterculus exhibetur p.480. ſqq. Cyclus XIX. *Lunaris* iterum in Sinas poſt Indicam *Alexandri M.* expeditionem anno Chriſti ante natalem 140. circiter inductus videtur p.484.

Cyclus etiam *Solaris* XXVIII. in Sinas ab Europaeis inlatus eſt, totidem Characteribus 28. inſignitus; juxta quem totidem Conſtellationes 28. deſignantur p. 484. Ex Cyclo *Tchi* XII, & *Kan* X. fit Cyclus *Ki-fa* annorum 60, & Cyclus *Sun-fa* dierum 60, propriis uterque Characteribus etiam inſignitus p. 485. ſqq. Ejus initium, & uſus exponitur p.487.

Cyclus a Japoniis adhiberi etiam Horarum XII, Animalium XII, Menſium XII, *Zodiaci* ſignorum XII, conſueſcit p. 502. Cyclus LX. annorum itidem, ex combinatione Cycli XII. ſignorum *Zodiaci* cum Cyclo X. Elementorum efformatus, uſu Japoniis venit p.503. Cyclus inſuper ſingularis Imperatorum arbitrio indictus. Vide-ſis V. *Nengo*.

Cyprus Inſula varia olim nòmina obtinuit. A *Cetthim* Javanis filio eò primum inducta Colonia fertur p. 129. ſq. Regnorum IX. ſedes ibi diverſis in Urbibus conſtituta legitur. A *Cecrope* I. ex Aegypto Colonia ducta, & *Agrauli* ſive Uxori, ſive filiae vivis ex hominibus Sacrificia fuiſſe inſtituta traduntur *ibidem*. Unde Cypri Urbibus inditum fuerit nomen: a quibus perinde Cyprus occupata fuerit: qui regnare ibi perrexerint: quove tempore finem regnandi fecerint p.130. ſqq. Inter Cypri Reges *Cyniras* cum Rex, tum *Veneris* Sacerdos fuiſſe legitur p.131.

Cyrenes in Libya Regnum a quo fundatum, & quando, fuerit. Quot duraverit annis, & in quo Rege finem acceperit p. 146. ſq. Vide-ſis V. *Battus*.

D

Danaus, alio dictus *Armaeus* nomine, *Beli* Aegyptii filius, *Seſoſtris* frater, anno 300. circiter ante Trojanam haloſim Aegyptiae in Graeciam Coloniae traductor habetur p.50. ſq. A *Danai* poſteris aliae in Regiones perinde alias.

alias Graeciae, Aſiae minoris, & Africae expeditiones ſuſceptae leguntur p.51. ſqq.

Dardanus in Troadem educta Colonia ſuo de Regioni fecit nomen, regnique fundamenta ibi poſuit p. 54. ſqq. An idem ac *Dodanim* fuerit, veluti Mazochio viſum, anque prius, quam *Teucer*, ibi regnaverit p. 55. An genere Aegyptius fuerit, quique ipſum in Trojano exceperint regno p.56.ſq.

Deucalion ab Aegypto Colonia in Theſſaliam inlata, regno ibidem auſpicia feciſſe traditur p. 24. ſqq. Ejus de genere, aetateque diverſa fertur opinio. *Dodonaeum* Oraculum ex Aegypto ab eo delatum, atque Fanum *Dodonae* in Moloſſis, & Arae XII. aedificatae memorantur p. 25. Quid ipſius decantatiſſimo de Diluvio putandum ſit *ibidem*.

Deus ſupremus impio Baſilidi *Abraſax* erat, Graece *Nun* dictus, e quo *Logon*, ſive Mens, ab iſta *Phroneſis*, ſive Verbum, hinc *Sophia*, ſive Prudentia, e qua *Dynamis*, ſive Virtus, indeque *Angeli* prodiiſſe, ab iiſque Caeli 365. procreati fingebantur p. 97. Videſis V. *Abraxas*. Varia Dei nomina in *Abraxis* expreſſa, qua Graecis, qua Hebraicis leguntur litteris p.98. ſq.

Deus unus, Supremus, ac Mundi Creator ab Indis, ab Hottentotis, a Ceylanis &c. agnitus eſt p. 366. ſq. Agnita etiam indubie olim Dei unius exiſtentia Sinenſibus eſt, quin etiam *Mediatoris* incarnatio aliquo comperta modo fuiſſe videtur p.449. ſq. Japoniis quoque Dei unius ſupremi exiſtentia haud ignorata eſt p. 493. ſq. Dei ſupremi diverſis praedicari adtributa vocabulis ab Indis haud deſinunt p.367. ſq. Deus O. M. queis Indis Americanis, uti Mundi conditor, adpellari nominibus ſoleat p. 518.

Diis Sacrificia prius in Aegypto, & Creta Inſula ex rebus inanimatis fieri ſolebant, ex Infantibus deinde mactatis fieri cepere p. 33. ſq. Ex vivis Hominibus etiam in Cypro Inſula ex *Cecropis* inſtituto facta leguntur p.130. Deorum primo, Aſtrorum poſtinde, Hominum poſtremo Imagines hieroglyphicis, ac ſymbolis deſignari apud Aegyptios, & Graecos ſolebant p.59. Dii ipſi apud Ethnicos diverſis ſub Animalium figuris deſignati paſſim leguntur p. 59. ſq. Diverſis item expreſſi ſymbolis p. 60. ſq. Diverſa hinc Diis Animalia, Plantae, herbaeque diverſae Sacrae erant p. 61. ſq. Vide-ſis V. *Idololatria*.

Diis, atque ſemidiis immanis annorum aetas tributa ab Aegyptiis eſt p.230. ſq., longe vero major adhuc a Brachmanibus adſcribi ſolet p. 363. ſq., & p.397. ſq. Dii ſoli Aegyptiis olim univerſis *Iſis*, & *Oſiris* erant, alii vero inſuper in Aegypto Superiori, aliique in Inferiori divino in honore ſunt habiti p. 65. Ex Aegypto in Graeciam, alii, aliique viciſſim e Graecia in Aegyptum tranſlati Dii fuere p. 66. Diis univerſim ex derivatis Animalium indita ſunt nomina p. 70.

Dii veteres apud Gallos e Phoenice accepti, ex Phoenicia apud Gallos

los nomenclatione retenta, conjectura ducta, viſi aliquibus ſunt. Ejuſmodi vero erant *Taramis* Jupiter Tonans; *Heſus* Mars; *Teutates* Mercurius; *Belenus* Apollo; *Onuana* Minerva; *Beliſana* Luna; *Adraſte* Venus; *Diſpater* Jupiter; *Ogmius* Hercules; *Dios* &c. p.142. Veteres apud Celtas e Scythicis potius vocibus derivata videntur Deorum nomina p.145. Vide-ſis V. *Celtae*. Diis patriis *Jovi*, *Junoni*, *Apollini* &c. a Graecis in Aegypto, patriiſque Diis *Pani*, *Hermeti*, *Aeſculapio* &c. ab Aegyptiis ipſis cum fanis aedificatae Urbes, dedicataeque leguntur p.145, & p. 162. ſq.

Dii *Magni* apud Aegyptios duodecim erant, *Vulcanus*, *Ammon*, *Agathodaemon*, *Oſiris*, *Horus*, *Anubis*, *Iſis*, *Typhon*, *Mendes*, *Saturnus*, *Pan*, *Athor*. Sub horum quolibet *Decani* tres, atque ſub quolibet iſtorum tres *Aſſeſſores* collocari ſolebant, ex hiſque Conſtellationibus 156. inditum fuiſſe nomen traditur p. 280. In Aegyptiorum fanis olim aut nullae Deorum extabant imagines, aut nullae humana facie (*Horo* excepto ſub pueri effigie efficto), bene vero belluina expreſſae p. 285. ſq. Deorum quinque nomina Epagomenis ad finem anni aggregari ſolitis apud Aegyptios indita ſunt p. 313. Vide-ſis V. *Epagomenae*.

Dies Indis, Malabaris, Coromandeliis &c. quas dividi in partes ſoleat. Dies, ac Nox in partes 30, haeque in partes 68. ita diſtribuuntur, ut *Conſtellationum* ſignis diſtingui, rudi tamen admodum ratione, ſciant p.376. ſq. Ab ortu *Solis* incipit Dies, ex hiſque ſeptem, e *Planetis* indito pariter nomine, Hebdomas Indis componitur p.378.

Dies *Fauſti*, & *Infauſti* Thibetanis, atque Indis aliis ſuperſtitioſe obſervari, ſicut Aegyptiis, ſolent p.390. ſq. Hiſce dies in horas 64, haeque in partes 8. diſpeſcere placuit, ita tamen, ut dies initium a duabus ante *Solis* ortum horis capiat, finiatque hora una cum dimidio ante *Solis* occaſum: atque ita ſimiliter dividi Nox conſuevit p. 391. De *Planetarum* vero nomine Hebdomadae dies adpellare veteri pariter in more Indis hiſce poſitum eſt p.392.

Dies Noctis uno adpellare nomine Siamenſes Indi delectati ſunt. Hos in partes 4, iſtaſque in horas 3, dividere ſingulas, ab ortu *Solis* initio diei facto, adlibuit. *Fauſtos* etiam, & *Infauſtos* obſervare dies, diebuſque 7, ſingulari cuilibet indito nomine, Hebdomadam conficere ſolent p.402. ſq.

Dies, ac Nox aequas in partes apud Sinenſes diſpeſci ab initio, ac deinceps conſuevere. Hodiedum a media Nocte ad mediam Noctem dies incipit, definitque. Dies adhaec in *Kè* 100, & *Kè* quodlibet in ſecunda &c. dividitur p.470. ſq. Japoniis dies integer in horas 12. ita diſtribuitur, ut dies horis 6, Noxque totidem conſtet p.502.

Dies a Nocte auſpicari magis Americanis adlibuit. Noctium vero & nomine, & numero res geſtas, memoratuque dignas notare ſolent. Diem adhaec in quatuor par-

partes, partitione Horarum ulteriori neglecta, diſpeſcere malunt p.520. ſq.

Diluvium Univerſale, *Sole* in Arietis gradu 1, & *Regulo* in Coluro Solſtitii exiſtentibus, contigiſſe, ex antiquiſſimis Aegyptiorum libris traditur. Quo ſane fit, ut illud ante Chriſtianam Aeram anno 3463. contigiſſe Frereto viſum ſit p.308. *Diluvii* notitia Chaldaeos, Aegyptios, Aſſyrios, Phoenices, Indos, Sinenſes, Japonios, Americanos &c. haud certe latuit p.418, 518, & 527. ſq. Quo porro Diluvium anno contigiſſe diverſas juxta opiniones feratur, obiter diſquiritur p.422. ſq., p. 425. ſq., & p.431. ſq.

Dorus *Hellenis* filius de ſuo *Doridi* nomen indidit. *Doris* aſt enim duplex fuit, *Tetrapolis* una, *Hexapolis* altera. Qui *Dori* filii, quae Coloniae, quòve gentium ab ipſis eductae fuerint p.29. ſq. Dorica ab *Heraclidis* in Peloponneſum expeditio queis e gentibus, qua ſub aetate, quove exitu adornata fuerit: quae ab illis occupatae Regiones, in quoſve partitae fuerint p.134.

E

Eclipſes ſuis in Annalibus a Sinenſibus notatae perſaepe ſuis neque locis, neque temporibus reſpondent. Neque imo longitudines, neque latitudines, neque declinationes, neque menſurae, neque durationes notatae leguntur p.453, & p.469. De celebri *Solis* Eclipſi, ac quinque *Planetarum* eodem anno, Menſe, dieque facta conjunctione, multa in partem utramque a multis diſputantur, ea veluti de rè, unde totius fere Chronologiae cardo dependere videtur p.454. ſqq.

Eclipſis *Solis* altera celebrari ſolet in Annalibus Sinenſibus anno Chriſti ante natalem 2158. notata: e qua utpote Chronologiae Sinenſis cardo valide ſtabiliri videatur, ea de proinde copioſe agitur p.465. ſqq. *Solis* adhaec Eclipſis altera Sinenſibus in Annalibus relata legitur, quae eadem, quae in Chriſti D. obitu contigit, pleriſque viſa eſt: ſed enim fuiſſe diverſam a multis liquido, luculenterque, oſtenſum eſt p.466. ſqq.

Egregori e Caelo pulſi, in Aegyptum profugiſſe, Aegyptioſque omnium primi de *Solis*, atque *Lunae* periodis qua Menſtruis, qua Annuis, de *Zodiaci* ſignis, deque Anni forma edocuiſſe finguntur p.267. ſq. *Henochi* liber, ubi de Egregoris ſermo fit, quo habendus fidei loco ſit *ibidem*. Vide-ſis V. *Henochus*. Ex Egregoris unum effingendi *Azalzelem* unde anſam Verpi arripuerint plerique. De Egregoris mentio fit etiam in Patriarcharum XII. Teſtamento, ac in *Henochi* Apocalypſi: queis de pſeudepigraphis quale ferendum judicium, quiſve fictor putandus ſit p.268. ſq.

Egregori, Hebraice *Benei-Elohim*, adpellati, Vulgato Interpreti *Filii Dei*, a Kabbaliſtis Judaeis in *Sephirotos*, ac *Iſchimos* diſtingui ſuperſtitioſo pro ipſorum ingenio ſolent.

lent. Chaldaeis *Annedoti* denominati ſunt, Graecis *Aeones*, *Ginni*, ac *Titanes*, Latinis vero *Semidei*. Viginti fuiſſe, atque homines artibus, & ſcientiis imbuiſſe fabulantur. Ex iis gnati *Enakim*, inde *Nephilim*, ex iiſiſque *Eliudaei* finguntur. Pro *Angelis*, ſive *Daemonibus* aliquibus habiti ſunt; aliis pro filiis *Sethi*; verius pro Viris *Potentibus* aliis pleriſque reputati ſunt p.271. ſqq. Vide-ſis V. *El*.

El Dei ſcilicet ex nomine pleraque *Angelorum* nomina fuiſſe conſlata videntur. Ab *El*, qua Hebraice *Potens*, ſive *Fortis* ſignificatur, fabula de Ἀλωεὺς derivata aeſtimari ſane debet. Inde *Elohim* nomen etiam in *Angelos* derivatum, ac in Viros *Potentes*. Atque *El* nomine quidem haud proprie *Deus*, bene vero *Potens* Hebraice ſignificatur p.272. ſq.

Elementa quinque Perſis, & Indis dinumerare veteri poſitum in more eſt p.375. Elementa x. quin etiam, Maſculina nempe quinque, totidemque foeminina uſu Tartaris, Indis, Thibetanis, Sinenſibus, Japoniis &c. venere p. 334, & p.502.

Elephas albus magno apud Japonios in honore, curaque habetur, ideo quod in eum tranformatus olim *Xaca* inſanae Genti credatur p.499.

Eleuſinia quo tempore, cujus in honorem, quove auctore olim Athenis inſtituta fuerint, indeque aliò ſaepius inducta p.31. ſq.

Epagomenae, Coptice *Meiſi* de Serpentis nomine dictae, Aegyptiace *Rei finis*, ad finem Anni, Menſi poſtremo ſcilicet expleto, aggregari ab Aegyptiis olim ſolebant, eiſque de quinque Diis *Oſiride*, *Anubi*, *Typhone*, *Iſide*, ac *Nephte* factum eſt nomen ideo, quod hiſce illi diebus, idcirco pro feſtis ſacriſque habitis, in lucem prodiiſſe inſanae Genti crederentur p.313. ſq. Ad finem anni quoque apud Coptos inſeri Epagomenae adhuc ſolent p.345. ſq. Apud Americanos item, quas veluti feriatas habent p.523, & p.529.

Epaphus Graecis idem, ac Aegyptiis *Apis* aeſtimari tam facile poteſt, quam rite debet p. 80. ſqq. Vide-ſis V. *Apis*.

Ephyra *Oceani* filia, *Inachi* I. ſoror habita, primos in Corinthum deduxiſſe Colonos, ſuoque de Urbi ac Regioni *Ephyraeae* feciſſe nomen fertur p.18. Vide-ſis V. *Corinthus*.

Equirii Ludi funebres *Azani* omnium primo, *Arcadis* filio, ab *Inacho* I. in Arcadia Regi quinto, celebrati feruntur p.119.

Erecthaeus *Vulcani* filius, ab Aegypto inlata in Atticam Colonia, quartus ibi poſt *Cecropem* imperaſſe, *Minervae* ſignum in Arce ibi dedicaſſe; *Panathenaea* itidem inſtituiſſe; atque quatuor Tribubus nova indidiſſe nomina traditur p.31. Qui Attico ipſum in regno exceperint *ibidem*.

Eſmun apud Aegyptios idem prorſus, qui *Aeſculapius* apud Graecos, poſt ſeptem *Planetas*, octavo inter Deos loco reputatus eſt; idemque a *Sole* indiſtinctus haberi debet p.162. ſq.

Evangeliſtae S. *Matthaeus* pro Hebraeis

braeis extra Iſraelis terram, pro decem Iſraelis Tribubus S. *Marcus*, pro Helleniſtis S. *Johannes*, pro Gentilibus S. *Lucas* ſcripſiſſe videntur p.203.

Exodus quo juxta Clementem Alex., quo juxta DeVignolium, quove juxta Freretum anno contigerit p.309. ſq. Ante Exodum quot annis Iſraelitae in Chanaam, ac deinde in Aegypto demorati fuerint, quotve ab Exodo ad Salomonici Templi aedificationem elapſi ſint Anni p.311.

F

FAn-Chin *Foeanae* ſectae Philoſophus *Epicurriſmum* in Sinas primus invexit. *Quietiſtarum* etiam ſecta in Sinis obtinuit. *Atheiſmus* deinde, ſive *Pantheiſmus* longe ubique, lateque Aerae Chriſtianae Seculo x, aut xi. a duobus Philoſophis *Cheu-cu*, atque *Chin-ci* diſſeminatus in Sinas eſt p.446. ſq.

Feſta totum per anni curſum impune vagari delectati Sacerdotes Aegyptii ſunt p.332. ſq. Qui vulgo pro *Infauſtis*, iidem apud Aegyptios habendi pro *Feſtis* dies Jablonskio viſi ſunt p. 287. ſq. Feſta Coptis *Majora* ſeptem, totidemque *Minora* celebrari ſolent p.346. ſq. Apud Congenſes ex quatuor Hebdomadae diebus unus Feſtus eſt p.355. *Faſti*, & *Nefaſti* dies Indis etiam ſuperſtitioſe obſervantur p. 365. Thibetanis itidem p. 390. Feſtivi dies alii etiam Indoſtanis religioſe ſervari conſuevere p.392. ſq. Siamenſes item ſuos & *Fauſtos*, & *Infauſtos* dies habent p.402. Feſtivos quoque ſcrupuloſe obſervant p.404. *Faſti*, & *Nefaſti* ſimiliter, atque Feſtivi cum Annui, tum Menſtrui magna Japoniis religione coluntur p.494, 498, & 500. ſq.

Feſtivi dies Americanis itidem haberi ſolent cujuſque Neomenia Menſis p.520; ſeptimus quiſque Hebdomadae dies, atque ad finem Anni Epagomenae p. 523. Dies inſuper primus Seculi cujuſque ineuntis p.527, atque dies quatuor item in quatuor diverſis anni tempeſtatibus ſolemnes obſervari ſolent p.528. Ita praeſertim Peruvianis in quatuor praecipuis anni temporibus dies *Feſtivi* quatuor religioſe peragi conſuevere p.529.

Foë, alio *Fotoke* nomine dictus, Idololatriam longe, lateque per Indias, Sinas, ac Japoniam diſſeminaſſe fertur. Aliis idem peſtilentiſſimus vir apud alios efferri nominibus ſolet: Tartaris, ac Mogolis *La*, Indoſtanis aliis *Budda*, ſive *Omitoſa*, Japoniis *Xaca*, & *Amida* &c. dictus. Qua ſub aetate vixerit, quo loco in lucem editus, cui ſectae fecerit nomen, quae nefaria evulgaverit dogmata p.444. ſq. Videſis V. *Xaca*.

Foë porro nomine Chriſtum D. a Sinenſibus fuiſſe deſignatum De Guigneſius ſuſpicatus eſt p.444. ſq. Praeter *Foeanam* duo celebres aliae ſectae in Sinis graſſatae ſunt, *Lao-Kiun*, cujuſce ſectae *Bonſi* ſunt, & *Confuciana*, quae *Litteratis* hodie communis eſt *ibidem*. Impia inter alia dogmata capitale iſtud *Nihil rerum principium*, *Nihil* rerum

rerum finem eſſe perditiſſimus Impoſtor hic edocuit p. 448. Anno Chriſtianae Aerae 552. circiter ejuſdem *Foe*, ſive *Xekiae* impia dogmata in Japoniam etiam inlata ſunt p.497. ſq.

Fo-hi Sinenſis imperii fundator toties a Sinenſibus jactatus Scriptoribus, cum *Adamo* quibuſdam, cum *Noacho* aliis confunditur. Longe ante Diluvium pleriſque, haud longe poſt Diluvium aliis imperium fundaſſe dicitur. Ab eo Artes, & Scientias edocti Sinenſes, ac moribus informati; *Zodiacus* in gradus fuiſſe diviſus; Cyclus LX. inſtitutus; Anni forma definita; ſcribendi ratio, etſi admodum rudis, inventa; aliaque horum ſimilia multa, fabularum refertiſſima, jactari ſolent p.414.ſq., 420. ſq., 422. ſqq., & 426. ſqq. Idem *Fo-hi*, alio ipſis *Tai-Ko-Juki* nomine dictus, in Japonia primus etiam imperaſſe fingitur p.494. & p.498.ſq. Vide-ſis V. *Japonia*.

Formoſae Inſulae, genti *Tai-Ovan* dictae, ſicut & Inſulae *Hai-Nam*, a Sinis haud multum diſſitae, Incolae, qua parte Sinenſi haud ſubjacent imperio, ſed proprio gaudent jure, Sinenſibus imo quammaxime infenſos ſe praeſtant p. 509. ſq. Quae ipſis Anni forma, etſi valde informis, atque Menſium ratio uſurpari ſoleat, obiter indicatur p. 510. ſq. Vide-ſis V. *Menſes*.

Fortuna Perſis *Zaruas* adpellata, omnium rerum veluti Principium habita apud Perſas legitur. Ab ipſa *Oromazius*, ideſt *Bonus Genius*, nec non *Arimanius*, hoc eſt *Genius Malus* prodiiſſe inepte finguntur p.373. Vide-ſis V. *Zaruas*.

G

Gallia primos ab *Hercule* Phoenicio Colonos inde deductos accèpiſſe fertur apud aliquos p. 141. ſq. Quae Urbes eodem ab *Hercule* conditae tradi ſoleant. Arx ſibi Monaeci prope Mare Liguſticum dedicata ab ipſo legitur p. 142. Aliae perinde in Gallias e Phoenice adveniſſe Coloniae videntur; atque veteres Gallorum Diis Phoenicibus fuiſſe ſimiles, communeſque *ibidem*. Vide-ſis V. *Dii*.

Geges pro contemptu Plebeji adpellari in Japonia ſolent, velut ignobili e ſtirpe gnati. *Kuges* e contra ſe, tanquam e *Semideorum* progenie ſortiti, viri Nobiles adpellare delectantur p.496.

Gentium diſperſio prima ſub *Noacho* facta aliquibus putatur: prima verius ſub *Phalego* facta dumtaxat eſt p.3. Gentium tranſmigrationes ſaepius ex Aſia in Africam, & Europam factae paſsim ſunt. Vide-ſis V. *Coloniae*. Gentium diſperſio ſub *Phalego* quo facta fuerit anno, varia admodum eſt Doctorum ſententia p.264.

Germani a *Man* propagati ſe paſsim venditant: quis is fuerit; quiſve *Teut* in honore ipſis habitus p.115. ſq. E *Magogo* potius *Japheti* filio progeniti Germani, e Scythis poſtea maxime propagati videntur p.116.ſq. Vide-ſis V. *Teut*. A *Teut* dicti Teutonici aliis, aliis a *Dieths*,

quod eſt *Fortis*, aliiſque a *Theud*, quo *Populus* ſignificatur, denominati videntur p.275.

Giſon apud Japonios Idolum, cum Bovino, & Cornuto depingi capite ſolet, ut ab *Iſide* Aegyptia haud differre videatur; ſicuti *Canon* Idolum aliud Japoniis celebre ab Aegyptio *Canopo* haud videtur diverſum p.500.

Guebri genere Perſae, poſt *Izdegerdis* obitum e Perſide Aerae Chriſtianae anno 766. ingenti ſe copia, facto agmine, per Indoſtaniae regiones effudere. Veteri Perſica loquuntur adhuc lingua; *Ignem* colunt; atque a Mundi Creatione ad Aeram Chriſtianam ann.4000, ut Hebraicus praefert Textus, noſtraque Vulgata, computant p.358.

Guebris, Indis, Siamenſibus, Japoniis &c. quamdam *Confeſſionis* obſervari ſpeciem adnotatum eſt Scriptoribus aliquibus; non ſecus atque Brachmanibus *Euchariſtiae* ſymbolum uſurpari quodpiam, & Americanis *Crucis* ſignum, aliaque cum Judaicae, tum Chriſtianae Religionis propria in honore, uſque haberi p.514. ſq.

Gymnoſophiſtae apud Indos a Brachmanibus diverſi omnino erant p. 369. ſq. Quis eorum Χορυφαῖος, καὶ Ἐπιςάτης Princeps, ac Magiſter ſub *Alexandro* M. in Indias profecto, quae Anni forma ipſis uſurpata fuerit p.370.

H

HAgiar *Allaſſovad*, ſive *Chabar*, Lapis erat *Niger* in Templo Meccano collocatus, magno Arabibus in honore olim habitus. Varia ſub Mohammedanorum Kaliphis fata Lapis hicce ſubjiſſe legitur; in eoque *Veneris*, ſub *Lunae* creſcentis ſpecie, expreſſa videbatur effigies p.94. ſqq. Mira hocce de Lapide fabulantur Arabes: A *Mohammedo* deinde Idola, *Veneris* maxime, Templo e Meccano fuiſſe ſublata referuntur p.96.

Hanno Carthaginenſis Africam circumnavigaſſe fertur: qua is ſub aetate floruerit! an ab ipſo Periplus Africae conſcriptus reapſe fuerit? Eodem tempore ab *Hamilcone* Carthaginenſi altero Europae extera navigatione tentata fuiſſe traduntur, atque Periplus confectus alter legitur p.136. ſq.

Hebdomadae diebus apud Aegyptios a *Thoth* omnium primo ſeptem e *Planetis* factum nomen fuiſſe traditur p.278. ſq. Vide ſis V. *Planetae*. Hebdomada diebus 13. apud Americanos conſtat, ita tamen, ut ſeptimus quiſque dies tanquam feſtus ipſis obſervetur p. 523. Annorum Hebdomades Americanis etiam uſurpari ſolebant, ex annis 13. quaelibet conflata, inque claſſes 13. diſtributae, atque circulis O. variemode deſignatae: e quibus quatuor Seculum apud ipſos annorum 52. efficitur; quod veluti *Jubilaeum* religioſe ipſis obſervatur, atque Rotae cujuſpiam effigie pulcre exprimitur p. 525. ſq.

Hebraei e Chaldaea primo in Meſopotamiam a *Thare* tranſplantati fuere; e Chaldaea deinde in Chananaeam, & Aegyptum ab *Abra*-

bamo, & *Jarobo*; in Arabiam ab *Eſau*, & *Iſmaele* &c.; in Palaeſtinam a *Moyſe*, ac *Joſue*; in Aſſyriam, & Mediam a *Theglathphalaſare*, *Salmanaſare*, *Aſſarhadone*, & *Naburhodonozore* p. 185. ſqq. De Decem Tribuum Iſraelis deportatione diverſa loquuti, uti videntur, *Amoſus*, *Iſaias*, ac *S. Stephanus* qua inter ſe recta componi ratione queant p. 187. ſqq. Per Orientis regiones perinde uſque Sinas ingenti ſe numero effudiſſe Hebraeos, Academias inſtituiſſe, adeo ut longe minor eorum, qui cum *Eſdra* regreſſi ſunt, quam eorum, qui remanere in loco captivitatis maluere, numerus fuerit, Rabbini venditare ſolent p. 189. ſqq. Quibus a Rabbinis fabulae pleraeque fictae ſunt de Genealogia *Judae*, ac *Davidis* in Aſſyria reliqua; de Judaeis in Laponiam, & Americam transfuſis; de Judaeorum regno in Aethiopia, ac deſerto Arabiae p. 192. ſqq.; de Rege *Cozar* item ad Maris Caſpii Aquilonem, ejuſque genealogia, atque ſucceſſione p. 193. ſqq.

Hebraei ex Aſſyria ſane, & Media ſucceſſu temporis longe, lateque per Orientem diffuſi ſunt. In Africam, Aegyptum, Arabiam, Aethiopiam &c. p. 196. ſq. Inſignis ex ipſis Impoſtor Meſſiam ibi ſe vendidit p. 197. Exinde in Syriam, Macedoniam, Lydiam, Phrygiam, ac Pamphyliam qua diſperſi, qua tranſducti fuere p. 197. ſq. In Indias quin etiam, atque Indici Maris Inſulas p. 198. ſq. In Siberiam, Colchidem, & Iberiam. In Mingreliam, Georgiam ad Caucaſum, Thraciam, Boſphorum &c. p. 199. ſq. In Mogolem, Indoſtaniam, Malabariam, & Sinas, ubi aedificatae Synagogae feruntur, atque *Pentateuchus* ſervatus traditur p. 200. ſq. In Aethiopiam rurſus, & Arabiam, ubi a *Mohammedo* deinde qua ferro deleti, qua ſub jugo poſiti fuere p. 201. E Palaeſtina quoque, poſt everſam praeſertim a *Tito* urbem, gentium undequaque magno ſe effudere numero, in Aegyptum, Cyprum, Macedoniam, Bithyniam &c.; in Aſiam, Cappadociam, Pontum, Phrygiam, Galatiam, Pamphyliam, Cretam &c.; in Arabiam, Syriam, Aſiam Minorem &c. p. 201. ſqq. In Malabaria, Ora Coromandelica, Bengalia, Ceylano Inſula &c. hodiedum Hebraèi demorari multi traduntur p. 403.

Hebraei denuo vice plùs ſimplici aliò deportati leguntur. Ita in Aegyptum a *Thegathphalaſſare*, & a *Nabuchodonozore*. In Hircaniam ab *Artaxerſe Ocho*. In Aegyptum iterum ab *Alexandro* M., & a *Ptolemaeo Lagi* filio, Jure Macedonico eis impertito p. 204. ſq. Templum in Aegypto unum *Leontopoli* habuere Chriſti ante natalem anno 150. ab *Onia* IV. aedificatum, anno Chriſtianae Aerae 73. a *Veſpaſiano* everſum p. 206. ſq. Hebraeorum, qui obſidionis tempore, ſeptenii nempe ſpatio, a *Tito* interfecti fuere, quantus fuerit numerus, quantuſque profugorum, ac captivorum p. 207. ſq. Sub *Trajano* turbis in Aegypto, ac Libya, in Meſopotamia,

mia, Palaeſtina, ac Cypro excitatis, ingentem Graecorum, ac Aegyptiorum edidere ſtragem, ingentes tamen & ipſi *Trajano* poenas dedere p.208. ſq.Sub *Hadriano* rurſus in Palaeſtina ſeditione facta, ingenti Graecos, ac Romanos adfecere clade, *Barebockeba* duce, ſed & *Hadriano* dignas, graveſque luere poenas, internecione fere deleti, Urbeque Hieroſolyma prorſus exciſa: quod inficiatus Harduinus prolixe refellitur p. 209. ſqq.

Hebraei rurſus e Palaeſtina alias in Regiones *Hadriani* juſſu deportati fuere. S. *Cyrilli* opera Alexandriae repreſſi p.213, ſq. De Hebraeorum primis, qui habitatum in Italiam advenere, multa fabulantur Verpi, veluti de *Tzepho* ex Eſau ſtirpe, eodem cum *Jano* facto; de Romulo amicitiae foedere *Davidi* juncto &c. p.214. ſq. Ab Aegypto Romam multa Judaeorum millia, Civitatis jure donata, a *Pompejo* deportata leguntur. In Siciliam a *Tiberio*. Roma deinde a *Claudio* expulſi ſunt p. 215. ſq. E Babylonia pulſi in Europam, & Hiſpaniam ſe recepere, ubi jam a *Salomonis* aetate incoluiſſe videntur p.216. ſq. A *Nabuchodonozore* perinde ingens in Hiſpaniam Judaeorum Coloniam fuiſſe immiſſa falſo jactatur p.218. ſq. E Judaea, & Aegypto pulſi in Hiſpanias profugiſſe videntur p.219. ſq. Ante, ac poſt in Germaniam, Hungariam, Poloniam, Ruſſiam, Galliam &c. ſe recepere p.220. ſq. Quo demum tempore, & a quibus expulſi Hebraei fuerint e Gallia, ab Anglia, e Bohemia, ab Hiſpania, e Luſitania, ab Italia &c. p.221. ſqq.

Hellenes *Deucalionis* filius ſuo de Graecis *Hellenum* primo feciſſe nomen, atque in Theſſalia fundaſse regnum fertur: qui eo in regno ipſum exceperint p. 27. ſq. *Hellenes* Aegypti Regibus *Pſammeticho*, & *Amoſi* opportuno fuere auxilio, ideoque ab ipſis Regiones ad incolendum peramplas obtinuere, ibique Urbes, atque patriis *Diis* fana aedificandi facultas ipſis ampla facta eſt p.145. ſq.

Henochi toties jactatus liber, ubi de *Egregoris* agitur, quo habendus auctoritatis loco ſit. Is ab *Angelis* de Menſis, & Anni curſu edoctus traditur, & Aſtronomiae inventio eidem adſcribitur p. 268. ſq. Unus, idemque cum *Thoth*, ſeu *Hermete* aliquibus viſus eſt. Aethiopes adhuc dum *Henochi* Apocalypſim poſſidere feruntur, atque Sabaei. De libri Pſeudepigraphi auctore varia eſt Eruditorum opinio p. 269. ſq. Qua ratione S. *Judas* quaedam ex *Henochi* prophetia loquutus interpretandus ſit p. 270.

Henochus iterum Arabibus *Edris*, ſive *Hermes* eſt; Chaldaeis *Ouriai*, Aegyptiace *Horus*, idem cognominatus itidem Arabibus *Alaoval*, ideſt Primus, aliiſque paſſim adfectus vocabulis p.275. ſq. Ab *Henocho* omnium primo inducta in Mundum Idololatria Arabibus improbe fertur p. 277.

Hercules multi generis, numeri, atque cognominis fuiſſe traditur p.9. ſqq. Prima ab ipſo ex Aegypto deducta

ducta in Africam Colonia fertur *ibidem*. Is Aegyptiace *Chon* dictus in Italiam cum ingenti Colonorum manu, unaque cum *Oſiride* adveniſſe, atque *Chonibus* Populis ſuo de indidiſſe nomen traditur apud aliquos p. 12. A *Chone* viciſſim, *Hercule* ideſt, in Aegypto Regionem, & Urbem nomen accepiſſe cenſent alii. *Chon* autem idem, ac *Chna*, ideoque a *Chanaano* indiſtinctus *Hercules* aliquibus viſus eſt; a *Joſue* aliis; aliiſque a *Sampſone*. Ejus genealogia a quo petenda, quique ab ipſo progeniti fuerint p. 17.

Hercules Tyrius e Chananaeis in Africam Colonos intuliſſe traditur p. 42. In Germaniam item p. 115. ſq. In Hiſpaniam etiam p. 140. *Hercules* Graecus a quo genitus, & quando fuerit p. 123. Ejus genealogia a quo auſpicanda; obitus quo conſignandus anno; Expeditiones cujuſmodi ab eo ſuſceptae; quae, & quanta ejus progenies; quando ipſorum in Peloponneſum expeditio facta; quaeque Regiones ab ipſis occupatae fuerint p. 125. ſqq. Ab *Hercule*, deindeque ab *Ulyſſe* ſuſcepta in Hiſpanias expeditio, ibique aedificatae leguntur Urbes p. 139. ſq. Ab *Hercule* Phoenicio Colonia in Gallias inlata, & Arx Monaeci ſibimet conſecrata traditur p. 141. ſq. Ab *Herculis* filio *Jolao* Colonia in Sardiniam altera ducta fertur p. 166. ſqq.

Hermae lapides erant *Marti* quandoque, *Mercurio* ut plurimum dedicati, queis nempe regio, via, domus, ager &c., Deo veluti Tutelari commendari ſolebant; *Termini* Latinis, & *Averrunci* dicti p. 90. ſqq. *Hermae* poſtea Hominibus praeclara ob facinora dedicari quoque cepere: quem a *Seſoſtri* primum in Aegyptum inductum, poſt in Graeciam a *Cecrope*, & a *Cadmo* inlatum morem, indeque Romam fuiſſe pleraque docent p. 91. ſq. Ab *Hermis* diſtinguendi profecto ſunt Lapides alii Ethnicis olim ſacri, quales apud Chaldaeos *Mnizuris*, apud Magos *Paederotae*, apud alios *Anterotae*, cum *Solis*, ac *Lunae* figuris expreſſi; apud Hebraeos *Maſchjiot*; Lapides *Conici*, atque *Pyramidales* apud Americanos; *Albus*, & *Niger* Lapis, Turcice *Hagiar Allaſſovad* in Templo Meccano apud Arabes p. 94. ſq. Vide-ſis V. *Abraxae*.

Herodotus quo anno lucem adſpexit, quove, ac ubi Hiſtoriae deſcribendae animum adpoſuit p. 262. ſq. Inſignis Herodoti de bino, diverſoque *Solis* ortu, & occaſu, quem a *Mene* uſque ad *Sethonem* temporis intervallo contigiſſe refert, locus exponitur p. 298. ſq.

Heſperus, unde Occidens, & Italia relate ad Graeciam *Heſperia* dicta ſaepe legitur, *Deucalionis* filius, *Atlantis* frater, e *Tyrrheni* Lydi ſtirpe prognatus aliquibus creditus eſt p. 30, & p. 160. Vide-ſis V. *Tyrrhenia*.

Hetruſci a *Tyrrheno* genere Lydio aliis, aliiſque ab *Hernico* origine Pelaſgo ortum duxiſſe videntur p. 157. ſqq. Ab Aſſyriis, ſive Chananaeis potius genus Hetruſcos fuiſſe ſortitos perſuaſum habent alii

alii p. 158. Veteres Hetruſcae litterae cum quibus aliis adfinitatem habeant *ibidem*.

Hieroglyphica triplicis genus apud Aegyptios fuere, *Symbolica, Scientifica*, *Epiſtolica*. Primi generis alia rurſus *Tropica*, aliaque *Aenigmatica* p. 59. Ea uſu pro litteris veniſſe primo leguntur Aegyptiis, Phoenicibus, Aethiopibus, Scythis, Afris, Nigridibus, Sinenſibus, Peruvianis, Mexicanis, Canadenſibus, Albanis, Hetruſcis &c. p. 112. ſq.

Hiſpania Colonos e Phoenice a *Cadmi* poſteris, velut ab *Archalaeo*, primum accepiſſe fertur p. 49. 53. ſq. E Meſſenia deinde Coloni in Hiſpaniam adveniſſe leguntur p. 117. E Phocide itidem p. 122. E Phoenicia rurſus p. 137. ſqq. Unde *Hiſpaniae* inditum fuerit nomen p. 138. ſq. Hiſpaniae a *Baccho* praefectus fuiſſe *Pan* expeditionis ſocius fertur p. 139. Iberos ex *Tubale* Noachi nepote in Hiſpaniam primos adveniſſe quidam ſcripſere. Ab *Hercule* item, ac *Ulyſſe*, quo è poſteriori *Ulyſſiponi* nomen inditum, ſuſcepta expeditio traditur *ibidem*. Qui Characteres olim Hiſpanis uſurpari ſolerent p. 140.

Hontanus de rebus Americanorum qua *Civilibus*, qua *Sacris* multa ſcripturiit gravi caſtigatione digna, multaque miſcuit Chriſtianae Religioni contraria, qui dignis ideo vapulare promeruit p. 521. ſq.

Hora Indis Europaea minor eſt, conſtatque minutis 300; ex horis 7. vero cum dimidia conſtatur *Samum*, ex hiſce 8. dies p. 376. ſq. Diurnas aſpectu *Solis*, Nocturnas *Syderum* obſervatione diſcernere ſciunt p. 377. Vide-ſis V. *Dies*.

Hora Indoſtanis in digitorum crepitus 360. dividitur, ab Aſtronomis vero in minuta 1, & 2, adeo ut minutum 1. Europaeis 24. reſpondeat p. 377. ſq.; Hora vero integra Europaeis minutis 22.′ 30.″ aequivaleat p. 391. Menſurandis Horis varia Horologiorum ſpecies Indis hiſce adhiberi ſolet p. 391. ſq.

Horiapollinis inſignis de Anni Aegyptiaci initio ab ortu *Solis* ducto, deque Anno ex diebus 365. cum quarta fere diei parte conflato, locus a Petavii cenſura vindicatur p. 316.

Ho-tou figura, diverſis globulis albis, & nigris, diverſimode inter ſe diſpoſitis efformata, a *Fo-hi* pro Scriptura primum inventa traditur: cui perſimilis apud Americanos olim vigebat Scripturae per funiculos diverſis intertextos nodis, hiſque diverſis tinctos coloribus expreſſae genus p. 429. ſq. Ita & apud Aegyptios olim vice Scripturae uſurpatae in Obeliſcis lineae perpendiculares; horizontales, & tranſverſales aliquibus viſae ſunt p. 430.

I

JAnus non e *Jonis* Hellenis nepotis poſteris, ſed magis ex *Javanis* Noachi nepotis ſtirpe genus duxiſſe videtur. Neque idem cum *Noacho* habendus eſt, aut cum *Moyſe*, ut aliquibus viſum. Quare *Biceps* dictus, effictuſque fuerit? Pri-

Primus ex Epiro Colonos in Italiam intulit: primus in Italia *Saturno* patri Templa, & Aras XII. aedificavit, ac Sacrificia inſtituit, *Saturnalia* inde dicta: primus Rates inveniſſe, primuſque de Anni forma Italos edocuiſſe fertur p. 148. ſqq. Non idem habendus *Janus* rurſus eſt cum *Samo*, neque idem cum *Cameſe*, neque iſte cum *Chamo*, atque *Pane* eſt p. 161. ſq.

Japonia pro Imperatoribus primo *Deos* ſeptem, *Kamos* ipſis dictos, ſive Caeleſtes *Spiritus*, habuiſſe inepte fingitur, eorumque de genealogia fabulae multae feruntur p. 492. ſq. E Deorum ſtirpe iſti *Demiurgi* alii prognati, ſive *Semideorum* Dynaſtia II. profecta, eademque per immania temporis ſpatia imperaſſe perhibetur p. 493. *Eſſe* unum, atque ſupremum attamen Japoniis haud ignoratur: Diis tamen inferioribus cultus defertur, eiſque Templa innumera dicata conſpiciuntur p. 494. Dies etiam *Fauſtos*, *Infauſtos*, atque *Feſtos* obſervare Japonii ſolent *ibidem*. In Japonia primus Hominum imperaſſe *Fo-hi*, ac poſt ipſum iidem ipſi, qui apud Sinenſes tres priores fundaſſe Dynaſtias feruntur. Originem Japonii, non e *Semideis*, ut ipſi jactant, neque e *Noachi* poſteris ſub *Phalego*, bene vero e Sinenſibus, eque Tartaris duxiſſe videntur *ibidem*.

Japonia variis honoris inſigniri titulis ab Incolis, nimio prae ambitionis aeſtu, ſolet p. 495. Vera Japonici imperii Epocha a *Sin-mu*, dicto etiam *Nin-o*, ideſt *Optimo Maximo*, Chriſti ante natalem anno 660. ducenda eſt p. 496. Qui poſt ipſum regnare perrexere, *Dairos* divinis inſignire titulis, ac poſt obitum inter Deos referre inſano Populo in more poſitum eſt. E *Semideis* etiam ſe geniti Nobiles Viri, *Kuges* ideo adpellati, jactant, Plebeis indito *Geges* nomine *ibid.* Secta adhaec *Sinto* Chriſti ante natalem anno 582. inducta eſt; annoque 312, veteribus abrogatis, Sinenſes admiſſi Characteres ſunt. Anno Chriſti 552. *Fò* dogmata peſtilentiſſima inlata ſunt. Chriſti anno 1179. una rei Sacrae *Dairo* relicta cura, totius Civilis rei ſumma ad ſe a *Cubo* rapta eſt p. 497. Qui *Dii* culti, quae Feſta celebrata Japoniis p. 498. *Foë* Secta anno Chriſti 63. eò inlata eſt *ibid.* Quae aliae ibi Sectae obtineant p. 500. ſq. Qui demum uſu Japoniis Menſes, Annique forma olim, hodieque venerit p. 501. ſqq. Vide-ſis V. *Annus*, & V. *Menſes*.

Idololatriae cultum *Hominibus* deferre tum primum in Aegypto docuere *Chami* poſteri; in Creta deinde *Jupiter* Libycus, & *Cabyri*, perindeque in Attica *Cecrops* p. 33. ſq. In Rhodo Inſula *Neptuno*, aedificato Fano, ſacra facere docuit *Cadmus* p. 47. Ex ſacris Hebraeorum libris Sacra *Diis* facienda, multis perinde fabulis, atque ſuperſtitionibus amplificata, deſumpſere Aegyptii, & Graeci p. 57. ſq. Idololatriae prima fuiſſe ſpecies videtur pro *Deo* ipſius Symbola venerari. Quae Symbola prius Aſtra, deinde Animalia, Plantae &c., Heroibus inde deſignandis adſumpta p. 59. ſq. Vide-

de-ſis V. *Hieroglyphica*. In Deorum cenſum relatis Hominibus, ad hos perinde tranſlata fuere Deorum Symbola p. 62. ſq. Plerumque vero ea adſumpta fuere Symbola, queis tam Idola, quam Symbola ipſa quoque ſignificarentur p. 63. ſq. Idololatriae primus itaque gradus fuit a ſupremo *Numine* ad ejus Symbola, ideſt *Solem*, ac *Lunam*, religioſi cultus facta tranſlatio; ſecundus gradus ad *Solis*, ac *Lunae* Symbola, Animalia puta; tertius ad Homines p. 77. ſq.

Idololatria, *Solis* ideſt, atque *Lunae* cultus in Aegyptum a *Suphide* omnium primo Rege X. poſt *Menem* inducta fertur p. 86. ſq. Ab Aethiopia deductam in Aegyptum Idololatriam fuiſſe aliqui putant p. 89. *Equirii* ludi funebres *Azani* omnium primo *Arcadis* filio celebrati leguntur p. 119. Idololatricos in Phrygiam ritus omnium primus induxiſſe *Midas* Rex II. fertur p. 119. ſq. Sacrificia vivis ex hominibus in Cypro in *Agraulis* honorem primus *Cecrops* I. inſtituit p. 130. *Cereris*, ac *Proſerpinae* ſacra eodem, quo a *Cabyris* in Samothracia, celebranda ritu in Britanniae Inſulas a Phoenicibus tranſducta fuiſſe traduntur p. 141. Arce ſibi Monaeci dedicata, ſacra fieri *Hercules* edocuit p. 142. A *Solis* filio *Acte* e Rhodo in Aegyptum, una cum Aſtrologiae ſcientia, *Solis* cultus tranſlatus, aedificata, dicataque *Soli* Urbe Heliopoli, fertur p. 146. A *Jano* omnium primo, una cum Colonis, e Perrhaebia in Italiam invectis, *Saturno* patri, ſive *Noacho* proavo Templa aedificata, & Sacrificia, inde *Saturnalia* dicta, fuere inſtituta p. 149.

Idololatricus, una cum *Jovis Dodonaei* oraculo, cultus ab Arcadibus ex Epiro in Italiam advectus, ſed & *Fauni*, *Panis*, *Silvani*, ac *Pici* ſuperſtitio inlata eſt: in quibus *Faunus*, & *Picus* ex Graeco *Jove*, ac *Pane* conficti videntur p. 155. ſq. A *Tyrrheno* in Hetruria *Diti* patri, ac *Saturno* Arae primum erectae, atque *Saturnalia* inſtituta leguntur p. 158. A Pelaſgis, ſive Lydis *Iſidis*, & *Oſiridis*, ſive *Apollinis*, ac *Cybelis*, ideſt *Solis*, & *Lunae* cultus in Hetruriam inlatus videtur p. 160. ſq. *Aeſculapii* cultus ab Aegypto in Graeciam inlatus certe fuit; iſque octavo inter Deos loco habitus legitur. Ceteri ſeptem pro Diis habiti tam Aegyptiis, quam Graecis ſeptem *Planetae* fuere p. 162. ſq. Poſt Trojae excidium a *Diomede* in Italiam *Apollinis* cultus delatus videtur. Olympiadem ante primam anno 100. circiter a *Sabo* genere Lacedaemonio *Feroniae* Arae in Sabina, Campania &c. erectae leguntur p. 168. Naxi in Sicilia *Apollini* dedicata a *Theocle* Ara Olympiade 2. circiter eſt p. 170. Byzantii Templum *Ptolemaeo Philadelpho* dedicatum legitur p. 175.

Idololatricus *Mizraimo* ſub *Oſiridis* nomine, ſicut Conjugi ſub nomine *Iſidis*, ab Aegyptiis decretus poſt obitum honor eſt p. 226. ſq. Idololatria ab *Henocho* omnium primo inducta Arabibus improbe fertur p. 277. *Dionyſii*, ſeu *Oſiridis* Or-

Orgia ab Aegypto in Graeciam, una cum *Phallo* ignominiae ſymbolo, quod cum *Oſiridis* cultu inde etiam in Indias videtur inlatum, neque differre ab Indorum *Lingam*, non ſecus ac *Oſiris* haud diverſus ab *Iſure* Indo videtur, a praeſtigatore *Melampo* tranſducta fuere p.284. *Soli* dedicati a *Mizraimo* primum Obeliſci, ab aliiſque perinde Aegypti Regibus leguntur p.289. ſqq.

Idololatriam ab *Henoſo* primum in Orbem inductam fuiſſe tam ex Judaeis, quam ex Chriſtianis pleriſque perſuaſum p.305. ſq. *Epagomenis* fuit quinque Deorum *Oſiridis, Anubis, Typhonis*, *Iſidis*, ac *Nephtis* indita ab Aegyptiis nomina ſunt p. 313. ſq. *Brahma* Rex apud Indos praeclaras ob dotes inter Deos collocatus fuit p.361. ſq. Idololatrica ſuperſtitione Indos adflavit *Budda*, ſive *Fò*, ſive *Xaca*: qua factum id ſub aetate p.371. ſqq. Vide-ſis V. *Xaca*. Thibetanos, alioſque eadem pervaſit ſuperſtitio, atque Idola colendi pleraque impia apud ipſos mos obtinet p.386. Quo anno a *Sam-Poutra*, ſive a *Xaca* Idololatria infecti Thibetani fuerint p.387. ſq. *Noacho* poſt obitum ſub *Solis* ſymbolo cultus exhibitus legitur p.418.

Idololatriae ſpecies in Sinas inlata alia a *Confucio* Chriſtianam ante Aeram anno 550. circiter eſt; pejor altera a *Lao-Kiun* ante Chriſti natalem anno 600. circiter, & Animarum denegata Immortalitas; altera a *Xaca*, & Animarum edocta Tranſmigratio p.444. ſq. *Epicurriſmus* deinde, *Spinoſiſmus*, ſive *Pantheiſmus*, ac demum *Atheiſmus* longe, lateque in Sinis, ac Japonia ubique obtinuit p.446. ſq. Vide V. *Fan-chin*, & V. *Foe*. Longe ſed enim antehac Idololatria in Sinas a *Vou ye* Dynaſtiae 11. *Chang* Imperatore xxv. omnium primo Chriſtianam ante Aeram anno 1196. inducta legitur p.450.

Idololatricus in Japonia cultus *Demiurgis*, Japonice *Kamis*, delatus, *Sinto* dictus, a *Sin*, & *Cami* ſcilicet, quo *Religio habitantium in Caelis* indicatur, jamdiu fertur p. 493. Idololatricae adhaec ſectae in Japoniam ante Chriſti natalem anno 582. inlatae ſunt aliquae p. 496. ſq., aliaeque Chriſti poſt anno 552. invectae p.497. ſqq. Ibi & Idola pleraque in honore habita, & ſectae longe plures graſſari haud deſinunt p.498. & p.500. ſq. Americanis, Tartaris, Aegyptiis, Babyloniis, Aethiopibus, Colchis &c. veteri coli *Sol* religione conſuevit p.516. ſq. Eadem ſuperſtitione, erga *Solem* nempe, Mexicanos, qui prima imperii fundamenta poſuit, *Manco-Capac* infeciſſe legitur p.527. ſq. Vide-ſis V. *Sol*.

Jehova ſacrum quammaxime Hebraeis Dei nomen, *Jou* Celtis eſt, indeque Graecis *Jaos*, Latinis *Jupiter*, aut etiam *Janus* derivatus videtur p.275.

Ignis, ipſis *Albuta* dicti, cultui, ſicut olim Perſae, ſic hodie dum deditiſſimi Inſularum *Kinrang* Incolae referuntur. Quae Inſulae vero hae ſint, haud una Doctorum opinio eſt p.198. ſq.

Inachus I. in Peloponneſum, quae

Digitized by Google

prius *Apis*, deinde *Pelaſgia*, denuo *Argolis* dicta eſt, celebrem, non è Phoenice, ſed ex Aegypto Coloniam ante Trojanam haloſim anno 600. duxiſſe traditur p.14. ſqq. Ab *Inacho* I. diſtinguendus eſt approbe *Inachus* II, *Moyſe* ille antiquior, iſte fere coaevus: utriuſque vero genealogia paucis attexitur p.15. ſq., & p.81. ſqq.

India duas, eaſque peramplas, in Regiones Intra, & Extra *Gangem* diſpeſci ſolet p.356.ſqq. Quot, & quam amplae Regiones in utraque comprehenſae ſint, quique olim, & quot hodie Populi dinumerati *ibidem*. Indos porro ita dictos a *Sindo*, ſeu *Indo*, pronepote *Chami* Arabes perſuaſum habent. A *Dionyſio*, vulgo *Baccho*, uſque ad *Alexandrum* M. Reges 154. per annos 5402. amplius in India regnaſſe feruntur p. 359. *Indus* etiam ex *Arphaxadi* ſtirpe *Andubarius* Indos diſciplinis imbuiſſe traditur *ibidem*. Poſt Dynaſtiam I. a *Baccho*, fundata Dynaſtia II. ab *Hercule* in India jactatur p.360. Ab *Alexandro* Macedone, ac Seleucidis, ab Indo-Scythis, ab Ommiadis, & Gaznevidis, a Tartaris ſub *Genghiſcano*, a *Timurbegho* occupata deinde India fuit p.360. ſq. Qua ex *Timur-Beghi* familia hodiedum in Indoſtania imperare Reges pergunt p.361.

Indiae diverſis in Regionibus Idololatricae diverſae obtinent Sectae. Deus tamen Unus, Supremus, omnium Creator rerum Indis univerſim agnoſcitur. An etiam agnitae tres in Deo Perſonae fuerint? Qui praeter Deum Verum, ac Supremum, Deorum loco Indis habiti ſint p.362. ſqq. Vide-ſis V. *Brachmanes*. Ganges etiam in honore Indis habetur. *Faſti*, item, ac *Nefaſti* obſervari dies ſolent p. 365. Quî Menſes, quae Anni forma uſu Indis venerint p.369. ſqq. Vide V. *Annus*, & V. *Menſes*. A *Xaca* Idololatriae labe Indi adflati quo fuerint tempore: quae ipſis Aera uſurpati conſueſcat: quot Mundus in aetates, haeque in Annorum durationes ipſis diſtribuî ſoleant: quot inſuper dinumeratî Mundi ſint p.371. ſqq. Quae denique, & quotuplex uſu Indis Aera venerit p. 384. ſqq. Vide-ſis V. *Aera*.

Jon *Xuthi* filius, Hellenis nepos, *Deucalionis* pronepos ſuo de *Joniae* nomen indidit, in Urbes XII. diſtributae p.30. Jonica in Aſiam expeditio quibus e Gentibus adornata fuerit: qui praecipuas Ducum egerint partes: quae Regiones ab ipſis occupatae; quot aedificatae fuerint Urbes: quae demum ſubire Jones fata compulſi fuerint p.134. ſq.

Joſue duce, ab Iſraelitis loco pulſi Chananaei, ſive Phoenices in Africam profugiſſe, ibique *Tripolim* aedificaſſe feruntur p.23. Quid judicii de Tingitana ferendum Inſcriptione ſit p.24, & p.41. ſq.

Iſajae difficilis locus, ubi de decem Tribuum Iſraelis deportatione contraria iis, quae ſacra refert Hiſtoria, loquutus videtur, quo intelligi probe modo debeat, ſecumque cum *Amoſo*, cumque S. *Stephano* de eadem pariter loquutis, componi rite queat p.187. ſqq.

Iſis eadem omnino videtur, ac *Jo-Inachi* II. filia, a *Jove* filio *Ammonis* rapta, e qua *Epaphus*, Aegyptiis *Apis* dictus, genitus, iitiuſque ex *Libya* filia a *Neptuno* progeniti *Belus* Aegyptius, & *Agenor* feruntur p. 33. Vide-ſis V. *Jupiter*.

Iſea feſta apud Aegyptios eadem, quae *Novi Solis* apud Romanos, erant. Quo anni tempore peragi ſolerent, inter Doctos haud ſatis convenit p.287. ſq., & p.322.

Iſiaca Menſa variis expreſſa figuris *Zodiaci* ſigna, *Planetarum* motus, Anni Menſes, *Solis*, atque *Lunae* periodos apud Aegyptios repraeſentari rite viris Doctis obſervatum eſt p. 282. ſqq. Qua ea ſub aetate Menſa exſcalpta fuerit, obiter inquiritur p. 287. ſq.

Italia plurimos e Graecis deductos ab *Oenotro*, ac *Peucetio* Colonos accepit p. 17. E Creta deinde Coloniae in Siciliam, ac Japygiam inlatae leguntur p. 35. Crotonem, Locros, Campaniam, Brutios, Samnium, Tarentum, Sabinam, Venetias &c. inhabitandum Coloniae aliae ab aliis e Graecia eductae ſunt p. 41. In Sardiniam ex Africa a *Sardo* ducta Colonia traditur p.42. In Sardiniam iterum, Siciliam, Italiaeque Regiones alias a *Cadmi* poſteris aliae p. 49. E *Cadmi* poſteris item a *Telemacho* in Siciliam altera p. 53. ſq. Meſſenii adhaec a *Dionyſio* Syracuſano Coloni in Siciliam admiſſi Urbes ibi aliquas occupaſſe leguntur p. 117. ſq. In Italiam deinde Parthenii, duce *Phalanto*, poſt Meſſenicum Bellum, advenere. Vide-ſis V. *Parthenii*. Ex Meſſeniis alii Rhegium, duce *Alcidamida*, aliique Meſſanam occuparunt p. 118. In Lucaniam Jones profugi *Heraclaeam* ibi aedificarunt p.121. ſq. E Phocide Coloni in Corſicam, in Lucaniam item, ac Siciliam, ubi aedificatae Urbes, transfuſi ſunt p. 122. ſq. E Phoenice in Siciliam iterum, ac Sardiniam educti Coloni Urbes utrobique aedificaſſe memorantur p. 138.

Italia unde primo *Tyrrheniae* nomen tulerit. Prima omnium a *Cetthim* Javanis filio in Macedoniam, & Cyprum, in Myſiam, ac Ciliciam, indeque in Italiam Colonia fuiſſe tranſplantata Cl. Mazochio viſa eſt. Verius aſt enim a *Jano* ante Trojae excidium anno 600. circiter e Perrhaebia Epiri regione prima in Italiam, quae ideo a *Saturno* patre dicta *Saturnia* eſt, inducta Colonia videtur p. 148. ſqq. Qui alii regnaſſe eodem in Italia tempore, ac poſt Reges referantur p. 149. ſqq. *Auſone* duce perinde in Italiam, quae inde *Auſonia* dicta eſt, Coloni alii deducti fuere, e quo Sidicini, Sabini, Samnites &c. originem ſe ducere jactant p. 151. ſq. Ex Achaja perinde, duce *Oenotro*, advenere Arcades, Aborigines, Japyges, Oenotrii &c. ante Trojanam haloſim anno 459, aut 322. p. 153. ſq. Ab *Oenotro* denominata prius *Oenotria* Italiae pars in Magna Graecia, *Italiae* deinde nomen ab *Italo* Rege accepit; *Bruttii* denium ſub *Dionyſio* tyrannno p. 154. A *Siculo* ea fere

fere ſub aetate *Siciliae* inditum fuit nomen p. 155. Eodem tempore ex Arcadia in Italiam *Deorum* cultus inlatus legitur *ibidem*. Vide-ſis V. *Idololatria*. A Pelaſgis deinde e Peloponneſo Coloniae diffuſae leguntur in Hadriatici Maris Inſulas, in Umbriam, ac Japygiam, inde pulſis in Siciliam Incolis, ante Trojae excidium anno 300. circiter p. 156. ſq. Quo antea *Sicilia* nomine dicta fuerit: cujuſce genus veteres ipſius Incolae fuerint *ibidem*. Eadem ſub aetate a *Deucalione* e Theſſalia ducta in Siciliam Colonia traditur p. 157. E Lydia item a *Tyrrheno* altera in Hetruriam invecta fertur p. 158. Vide-ſis V. *Tyrrhenia*.

Italia geminam alteram circa Trojanam haloſim e Graecia Coloniam accepiſſe legitur, *Japyge* Oenotri fratre duce unam, alteramque ductore *Meſſapo* e Creta, a quo plures aedificatae Urbes feruntur p. 163. ſqq. In Italiae, qua nunc Ager eſt Romanus, partem ab *Evandro* ex Arcadia ducti bellum ante Trojanum, tum poſt ab *Hercule*, tum perinde e Troade ab *Aenea* Coloni dicuntur p. 164. ſqq. In Umbriam item ab Aeginetis, ac in Sabinam a Lacedaemoniis p. 166. Trojae poſt excidium novi in Sardiniam inlati Coloni ſunt a *Jolao* filio *Herculis*; Bruttios a *Typhone* ex Achaeis; in Siciliam ab *Egeſto*, ac *Elymo*; ex Phocenſibus a *Philoctete*, ex Cretenſibus illuc etiam; ex Pyliis a *Neſtore* in Lucaniam; Piſas, ac Peruſium ex Achaeis; in Maris Hadriatici Inſulas ex Argivis a *Diomede*; in Sabinam e Lacedaemoniis a *Sabo*; in Samnium item, & Campaniam p. 167. ſq. Tarentum ex Partheniis a *Phalanto*; Rhegium ab *Alcidamida* ex Meſſeniis; in Siciliam e Corinthiis ab *Archia* Olympiadem 12. inter ac 18, a *Gorgo* perinde, ac *Manticlo* Olympiade 72. circiter p. 169. In Campaniam ex Corinthiis ab *Hippocle*, ac *Megaſthene*; in Siciliam iterum a *Theocle* Olympiade 2. circiter; ex Meſſeniis in Lucaniam; Bruttios ex Achaeis a *Myſcello*, antehac illuc ex Dorienſibus p. 170. ſq. In Bruttios iterum ex Aetolis a *Thoante*, & ex Atticis a *Meneſthaeo*. In Siciliam denuo ex Phrygibus, Libycis, ac Poenis Olympiade 90. circiter; ex Campanis deinde Olympiade 94. p. 171. ſq. In Siciliam itidem ex Megarenſibus, aliiſque Graecis a *Lamide* eadem fere ſub aetate. Eò rurſus e Rhodo, & Creta deinde ab *Antiphemo*, ac *Entimo* p. 172. ſq. In Sardiniam Coloni primo ex Africa a *Sardo* Herculis filio, e Boeotia perinde ab *Ariſtaeo*, ex Hiſpania a *Norace* filio Mercurii, poſtremo ex Attica a *Jolao* Iphiti filio ducti apud Pauſaniam; Libyes adhaec, Poeni, Phocenſes &c. adveniſſe feruntur p. 178. ſq.

Jupiter dictus *Aeolus* I. fuit p. 27. *Jupiter* alius *Ammonis* filius ex *Io* filia *Inachi* II, dicta *Iſide* deinde, genuiſſe *Epaphum*, e quo *Belus*, & *Agenor* prognati ſunt; *Meliſſam* filiam *Iſidi* Matri dicaſſe; Aras ſibi aedificaſſe, & Sacrificia fieri

ſibi

ſibi juſſiſſe traditur, multiplici deinde nomine adpellatus p. 33. ſq. A *Jove* dicto *Aſterio* Cretae Rege,ob raptum *Io* filiae, miſſo *Gnoſſio*, cognomento *Tauro*, niſi *Taurus* ab inſigni Navis dicta fuerit, *Europa* Agenoris filia rapta, ex ipſaque geniti *Menos*, *Rhadamantus*, & *Sarpedon* Cretae, & Lyciae Reges feruntur p.35.

Jupiter Aegyptius a *Venephe*, ſeu *Amuneneme* indiſtinctus, ac *Seſoſtris* Avus videtur p.79. ſq. *Jovis* Sacerdotium a quo, & quando in Cypro Inſula fuerit inſtitutum p. 131. *Jupiter Ammon* apud Aegyptios *Solis* in Arietem ingreſſus ſymbolum erat, inde dictus, quod Arietis ſacrificio, & exuviis coli, induique ejus ſimulacrum ſoleret p.286. ſq. Vide-ſis V. *Sol*.

K

KAlendarium Aegyptiacum a quo primum, a quo perinde reformatum fuerit, Annique praefinita forma p.292. ſq. Vide-ſis V. *Aſethus*. Kalendaria, Faſti, Ephemerides &c. temporibus putandis a Brachmanibus in India variis *Brahmae* aetatis, quae immanis ipſi adſcribitur, momentis obſignari inſigni prae ſuperſtitione, inſaniaque ſolent p.399.

Kalendaria inter alia ſex celebriora, una Sinenſi cum Hiſtoria, ſub Dynaſtia v. *Han*, Chriſti ante natalem anno 206, *Vù-ti* Imperatoris V. juſſu, a duobus Aſtronomis, haud parvo apud Sinenſes in pretio habitis, *Su-ma-tan* patre, filioque *Su-ma-ci-en* conficta quo auctoritatis loco habenda ſint p.457. ſq. Vide-ſis V. *Sinenſes*.

Kames vetera apud Aegyptios Idola, Phoeniciis *Kemos*, pro iiſdem, qui Latinis *Lemures*, atque *Lares* dicti ſunt, Diis habendi videntur. Aliis *Kamephes*, Aegyptiace *Benefici*, haud a *Chnuphis*, aut *Canopis*, qui Latinis, ac Graecis *Boni Genii* ſunt,diverſi cenſentur p.419.

Kames tergeminos fuiſſe refert Damaſcius. Itaque *Kama* ſiquidem Hebraeis *Sol* etiam dictus legatur, tribus ideo *Kamis* unius *Solis* ortus, meridies, & occaſus deſignatus videtur p.496.

Kami, ſive Caeleſtes *Spiritus*, omnium primi numero ſeptem in Japonia imperaſſe genti ſupra modum ambizioſae, ſuperſtitioſaeque fingi ſolent p. 492. ſq. Vide-ſis V. *Japonia*.

Kamis Idololatria eadem habenda videtur, atque *Sinto*, ideſt *Spiritum Immortalium*, apud Japonios a *Sin-mu* aetate inducta p 497. Inter *Kamos* locus poſt obitum *Dairis* fit, hiſque locum aliis faciendi etiam facultas p.498.

Kè apud Sinenſes minutum eſt horae, quod Europaeis 14.' 24." aequivalet. In *Kè* 100. vero dies partiri ſolet, & *Kè* quodlibet in ſecunda &c. p.470. ſq. Vide-ſis V. *Dies*.

Ki Sinica voce *Terrae* Spiritus ſignificantur, ſicuti voce *Kine* ſignificantur Spiritus *Caeli* p.424. *Ki* rurſus, ſive *Chaò* nomine Periodi apud Sinenſes deſignari ſolent ſive Generationum, ſive Annorum; haecque novem antiquiſſimae jactan-

ctantur, quae tamen in fabulis habendae omnino ſunt p.413. ſq.

Ki etiam apud Sinenſes Annus dicebatur olim quaternus quilibet ex diebus 366, ideſt Communibus 365, & Intercalari die conflatus p.471. *Ki* denuo Periodus item apud Sinenſes eſt annorum 1520, qua expleta, *Solem*, ac *Lunam* ad idem regredi punctum, ac Cyclum LX. dierum ad idem reflectere caput perſuaſum habent p.474.

Ki-fa Cyclus apud Sinenſes eſt annorum 60, ſicuti *Sun-fa* Cyclus eſt dierum 60, qui proprio ſinguli diſtingui charactere ſolent p.485. ſq. Ejus initium, ac uſus obiter exponitur p.487. ſq.

Kings ſacri apud Sinenſes libri ſunt, magno ipſis in pretio habiti, ſed poſtea deperditi: quorum tamen duo fragmenta reliqua a *Confucio*, & *Mencio* Commentario illuſtrari meruere p.431. ſq.

Kiupa dicti fuere Idololatrae ab *Aſciang* impoſtore Sinenſi inſtituti; ſicuti *Ritroba* denominati, quos ſuo *Urchien* Indoſtanus errorum veneno infecit p.500.

Kova liber a *Fo-hi* compoſitus fertur, ex lineis integris, ac interruptis efformatus, quarum ex varia combinatione figurae 8.32.64. exſurgunt. Hiſce porro duo rerum *Principia*, inde quatuor *Emanationes*, exindeque *Imagines* octo emanantes deſignari pleriſque viſae ſunt, quarum exemplar itidem exhibetur p.426. ſq. Aliis e contra lineis integris per I interpretatis, & lineis interruptis per O, Creationis rationem ab *Uno* Deo ex *Nihilo* factae ſignificari perſuaſum fuit. Alii viciſſim per lineas integras *Perfectum*, *Bonum*, *Clarum* &c., per interruptas vero, *Imperfectum*, *Malum*, *Obſcurum* &c. repraeſentari cenſent p. 428. ſq. Vide-ſis V. *Ho-tou*.

L

Lacedaemon, unde Regioni factum eſt nomen, quo fuerit genere, eumque qui Lacedaemonis in regno exceperint p.36. ſqq. Judaeis ſe cognatos qua Lacedaemonii ratione praetulerint p. 38. ſq. A Lacedaemoniis, antea Lelegibus, in Regiones longe plures Coloniae transfuſae leguntur. Poſt *Heraclidarum* in Peloponneſum regreſſum, Lacedaemone diu regnum duo ex *Ariſtodemi* filiis *Euryſthene*, ac *Procle* familiae, *Euryſthenidae* inde, indeque *Proclidae* denominatae, obtinuere p. 166. ſq.

Lamae, ſive Lhamae apud Indos Thibetanos, nomen a *La*, eodem profecto, qui apud Indos alios eſt *Fò*, procul dubio tulere; unde Thibeti Metropoli *La-tſan* indita etiam denominatio eſt p.370.

Latium Vetus, ac Novum queis olim, ac deinde confiniis definitum fuerit, qui olim Populi, deincepſque in utroque comprehenſi; quique regnare in eo perrexerint Reges p.164. ſq. In Latium a Pelaſgis omnium primis inlatae feruntur litterae p.165.

Laeſtrygones, & Cyclopae, qui habitaſſe in Sicilia, & Italia olim leguntur apud aliquos, cujuſce fuerint genus, an Scythici, an verius

Li-

Libyci? Quis *Lamus* Rex, quaeve *Lamia* filia *Beli*, ac *Libyae* dicta p.152. ſq.

Legislatores veteres, ut fidem, auctoritatemque legibus adquirerent ab ſe latis, eas *Diis* acceptas referendas aſtute duxere longe plures. Alii ad *Solem* referre, ejuſque ſe de filiatione ideo gloriari maluere p.517. ſq.

Lelex ex Aegypto in Laconicam Colonia ducta, primum Regioni *Lelegiae* feciſſe nomen legitur p.35. ſq. Regioni poſtea ſuo de *Laecedaemonis* indidit nomen *Laecedaemon*, iſtiuſque de Conjugis, *Lelegis* neptis, adpellatione *Sparta* dicta eſt. Qui *Lelegi*, atque *Lacedaemoni* Spartano in Regno ſucceſſere uſque ad *Heraclidarum* in Peloponneſum adventum p.36. ſq. *Lelex* an genere Iſmaelita ex *Abrahami*, & *Cethurae* proſapia! an *Edonita* forſan, ac *Amalecita* ſtirpe! an verius *Aegyptius* origine fuerit, atque *Neptuni* ex Conjuge *Libya* filius, quaeſtio eſt necdum definita p.37. ſqq.

Liberi Muratores tam impie, quam imperite a *Javane*, & *Ogyge* ſe originem ducere jactant p.21.

Libertini, queis de Act. Apoſt. VI. 9. mentio fit, neque Lapithini in Cypro Incolae fuere, neque Philoſophi *Academici*; ſicuti *Cyrenenſes* neque in Libya, ſed in Cypro habitabant, neque ſectae *Cyrenaicae* fuere; ſicut & *Alexandrini* haud fuere *Peripatetici*, veluti quidam perſuaſum habuere; bene vero a triplici Judaeorum gente ea conflata Hieroſolymis Synagoga erat p.216.

Linguae pleraeque dubio procul cognationem inter ſe haud parvam habent, quin attamen ex paronomaſiis ejuſmodi unius ab altera linguae, gentiſque originem inferre liceat p.143. ſqq. Et Paronomaſiae ſane in linguis eſse pleriſque queunt, quas tamen inter ſe maxime diſcrepare multis oſtenditur p.350. Atque in linguis utique non tam Litterarum adfinitas, quam Radicalium identitas, eademque ſignificatio attendenda eſt p.419. ſq.

Lingua Siamenſis duplex uſurpari ſolet, una altera elegantior, multumque Sinenſi adfinis eſt. Conſonis multis, multiſque abundat Vocalibus, & Accentibus conſtat. Litteras habet, queis caret Sinenſis, viciſſimque caret, quas Sinenſis habet p.401. ſq.

Litterae Alphabeticae, veteribus *Common* adpellatis, omnino abjectis, e Sinis eaedem in Japoniam advocatae ſunt, hiſce tamen accentibus, particulis, ac ſignis multis adjectis: lingua tamen a Sinenſi multum abeſt ſane Japonica p.497.

Litterarum vice Faſtis, Annalibus, Ephemeridibus, Kalendariis, Actis publicis &c. deſcribendis Americanis Arborum cortices notis inſcripti, funiculi nodis intertexti, ac figurae quaedam in Rota quadam certo ordine, certiſque notis effictae deſerviunt p.522. ſq.

Luna, dicta aliàs *Jana*, additaque D littera poſtea *Diana* legitur; unde *Janus* filius denominatus etiam fertur. Dicta etiam *Hecates* eſt a radice Aramaea אחד *Achad*,

qua

Digitized by Google

qua *Dominari* ſignificatur ideo, quod *Luna* in inferiora potiſſime, dominium exerceat p. 150. ſq. *Lunae* deſignandae ſymbola oppido multa, ut Animalium &c. adſumpta ab Ethnicis ſunt p. 63. Pro *Luna* apud Aegyptios *Apis* erat p. 65.

Lunae *Apogaeus* quanto ſingulis diebus ſpatio moveatur, quantove ſpatio temporis totius *Apogaei* revolutio fiat p. 407. *Lunae* curſum, non ſecus ac *Numeros* apud Graecos omnium prior *Endymion* Hellenis pronepos inveniſſe fertur p. 27. *Luni-Solaris* adpellatio recte Anno, Tabulis Aſtronomicis, Kalendario &c. adaptari, neque vox eſſe hybrida, velut Hydaeo viſa eſt, oſtenditur p. 453.

Lydiae nomen unde factum fuerit, diſputatio inter Geographos eſt. Ab Aſia Colonia in Lydiam a *Semi* filio *Lud* ducta fertur. Primus e contra regnaſſe *Maeon*, iſque *Cybelis* fuiſſe pater, unde Regio primo *Maeonia*, poſtea de *Lydo* ipſius filio dicta *Lydia* fuerit, aliis videtur. A *Maeone* fluvio viciſſim, ejuſque flexu *Lydia* nomen habuiſſe cenſetur aliis p. 120. Qui poſt Reges obtinuerint, quis Regni finis, quaeve fata p. 121. ſq.

M

Macedo regni Macedoniae, quae antea *Macetia* dicta legitur, fundator aliis *Aeoli* I, *Oſiridis*, ſive *Herculis* filius aliis ſit p. 29.

Magnes *Herculaeus* olim lapis inde dictus eſt, quod *Herculi* omnium primo acceptus a Tyriis referretur. Ejus ope Phoenices jam pridem, a *Salomonis* ideſt aetate, in Americam penetraſſe Fullerus opinatus a Bocharto refellitur p. 516.

Malabaris, Coromandeliis, Indiſque aliis qualis *Zodiaci* diviſio, diei in horas diſtributio, Menſium, Annique uſu ratio veniat p. 376. ſqq. Vide-ſis VV. *Annus*, *Dies*, *Menſes* &c.

Man, e quo Germani prognati ſe venditant, indiſtinctus ab Adamo Cluverio viſus eſt p. 115. ſq.

Maſchith, ſive *Ebben Maſchjioth*, Lapis apud Hebraeos in Lege prohibitus, cujuſce genus eſſet, & qualem Idoli referret ſpeciem, definiri haud facile in tanta Interpretum diſcordia poteſt p. 92. ſqq. Idololatricus jattamen eidem impenſus cultus omnino vetitus erat p. 93. ſq. Lapis videtur *Laribus* ad infortunia procul e domibus avertenda dicatus, a radice *Maſchah*, ideſt *Unxit*, derivatus, quod *Soli* nempe, ac *Lunae* ſacer etiam eſſet p. 94.

Maſſilia, non ſecus atque Telona, nobilis Phocenſium Colonia, e Ionia eas in Galliae partes deducta fuit p. 122.

Menſes apud Aegyptios quales fuerint, quo adfecti nomine, quot diebus compoſiti, quo a cardine inceperint, & qua cum Hebraeis, ac Romanis comparari ratione queant p. 338. ſq. Menſes apud Coptos haud multum ab Aegyptiacis differunt p. 343. ſqq. Poſt Mohammedanorum in Aegyptum adventum Menſium depravata fuiſſe nomina videntur. Coptis tamen uſu Syrorum etiam Menſes ve-

veniſſe conjicere licet p.344. ſq. Qui ſint Coptis hodie uſurpati Menſes, quot diebus compoſiti, qua cum Romanis comparati ratione p.345. ſq.

Menſes apud Aethiopes, quo ab anni die incipiant, quot diebus conſtent, quod ferant nomen, quove cum Romanis componi modo queant p. 352. ſq. Menſes apud Congenſes, & Angolanos ſex, juxta diverſas anni tempeſtates, dividi in partes, adeo ut duplices iis tempeſtates ſint, haeque in Menſes XII. diſpeſci ſolent. Menſes rurſus in Hebdomadas, iſtaeque in dies 4, e quibus tres feriales, unus feſtivus eſt, partiri conſueſcunt. A Septembri noſtro Menſibus exordium fit, iiſque e variis anni tempeſtatibus varia indita ſunt nomina p.354. ſq.

Menſes apud Indos ad *Lunae* periodos exigi conſuevere, iique alternatim *Pleni* ſunt, & *Cavi*, atque a *Plenilunio* incipi ſolent p.369. ſq. Apud Brachmanes Menſes XXIV. computantur, dierum 15. ſinguli, adeo ut primus, a *Lunae* 1. quadrante, ſecundus a *Lunae* quadrante 3. &c. auſpicetur *ibidem*. Apud Gymnoſophiſtas attamen *Solaris* adhiberi ſolebat annus p.370. Quadruplex apud Indos Menſis, *Sydereus*, *Lunaris*, ac *Solaris* duplex diſtingui ſolet p. 378. ſq. Quod apud Indos nomen praeferant Menſes, quo a capite incipiant, quot conſtent diebus, & queis in Juliano reſpondeant anno p.379. ſq.

Menſes apud Thibetanos, Nepalenſes &c. *Lunares* jamdiu adhiberi conſuevere; *Pleni* alternatim, & *Cavi*, adeo ut a *Novilunio* dies 14, a *Plenilunio* inſequentes dies reliqui dinumerentur p.392. ſq. A *Lunis* XII. nomen Menſes 12. habent, atque quadriennio cuilibet inſeri Menſis, ſive *Luna* 13. inſuper aſſolet p.393. ſq.

Menſes apud Siamenſes *Lunares* itidem ſunt, diebus alternatim *Plenis*, & *Cavis* conſtantes, quorum adpellationes indicantur p.403. A *Novilunio* Menſis dies computari uſque ad 14, atque deinceps a *Plenilunio* dies 15. reliqui ſolent. Singulis Menſibus feſta quatuor, in quatuor ideſt *Lunae* phaſibus, aguntur. E diebus 29. horis 12. cum minutis aliquot fit Menſis, atque in Anno *Communi* Menſes 12, in *Embolimaeo* 13. inſunt p.404. ſq.

Menſes apud Sinenſes ad *Lunae* curſum olim, hodieque exigi, *Lunarum* adpellari nomine, diebuſque 30. componi, atque ab Hyberno exordiri *Solſtitio* ſolent p.470. ſq. Menſes XII, ſive *Lunae* totidem *Zodiaci* ſignis ita diſtinguuntur, ut ea *Luna*, ſive Menſe, quo *Sol* nullum ingreditur ſignum, pro *Intercalari* habeatur; tumque Annus ex *Lunis* 13. componitur. Adhaec Lunae 2. Vernum *Aequinoctium* adfixum eſt; *Lunae* 8. Autumnale; *Lunae* 5. *Solſtitium* Aeſtivum; ac *Lunae* 11. Hybernum p.471.

Menſis, qui hodie Sinenſibus eſt decimus, olim primus erat, & qui Menſis 9. erat *Intercalaris*, hodie 13. eſt p. 473. Poſt Dynaſtiam V. *Han* ad hanc uſque diem *Luna* 1. eſt, quae proximior eſt ingreſſui *Solis* in gradum 15. *Piſcium* p.475.

Ab

Digitized by Google

Ab anno 104. ante Chriſti natalem uſque ad Chriſti annum 1280. Menſes apud Sinenſes vicibus duabus ſupra viginti variaſſe leguntur p.476. Quo demum temporis ſpatio Menſis apud Sinenſes definitus fuerit *ibidem*.

Menſes XII. apud Sinenſes iterum Muſicorum Inſtrumentorum 12. adpellationibus inſigniri, non ſecus atque Animalium XII. nominibus Anni 12. adpellari ſolent. Alium vero inter ſe ordinem, aliumque in Cyclo LX. Menſes XII. habent p.480. ſqq. Menſes itidem in Partes 24, proprio ſingulas charactere diſtinctas, partiri Sinenſes delectati ſunt, ita ut Menſis quilibet diebus 15. conſtat, parteſque complectatur duas p.483. ſqq.

Menſes apud Tunchinenſes, & Concinſinios iidem, qui Sinenſibus, uſurpari, eiſque idem apud hos, & illos fieri exordium conſuevit p.491. Apud Japonios Menſes *Lunares* itidem ſunt dierum 28, ita tamen, ut biennio, aut triennio cuilibet *Embolimaeus* inſeratur Menſis, & Annorum 19. ſpatio anni ſeptem *Lunaribus* 13. conſtent Menſibus p.501.ſq. Menſibus XII. totidem Animalium, ac *Zodiaci* ſignorum 12. nomina a Japoniis etiam indita ſunt p.502. Inſulae Formoſae Incolis Menſes decem, iique diebus 36. conſtantes adhiberi ſolent, quorum nomina deſcribuntur: Anni vero forma admodum rudis uſurpatur p. 509. ſq.

Menſes apud Americanos ad *Lunae* curſum etiam dirigi conſuebant, eiſdemque nomina a *Lunae* phaſibus, aut effectibus indita ſunt. Ad *Solis* etiam motum attemperare Menſem haud omnino Mexicani ignorabant p.520. ſq. Dierum 20. Menſes ipſis erant, a *Luna* ipſis *Tona*, ſive *Tonelli* dicta, *Tonatici*, ſive *Tonelli* denominati p.523.ſq. Quo loci Menſium apud illos, atque dierum ab *Animalibus*, ab *Elementis*, a *Feſtis* denominatorum exhibetur diagramma. Peruvianis item Menſes XII, dierum 30, a Meſſibus indito ſingulis nomine, uſu olim veniebant, eorumque laterculus exhibetur p.508. ſq.

Meſſenii a principio iidem, atque *Leleges* fuere. A *Meſſene* Conjuge *Mylis* inditum Regioni fuit nomen. Eadem in Regione qui olim & quandiu regnarint, eòque quae, & quando, undeque Coloniae fuerint inlatae p. 116. ſq. Vide-ſis V. *Coloniae*.

Mexicani, ac Peruviani unde originem duxerint: qui Reges olim ipſis jus dixerint: quae ſcribendi ratio apud ipſos uſurpata fuerit; qui Menſes adhibiti, quae uſu Anni forma venerit, undeque factum Anno exordium p.511. ſqq. Vide-ſis V. *Americani*.

Midas Phrygiae Rex II. ab *Orphaeo* ſacrilegis initiatus myſteriis, omnium primus Idololatricos in Phrygiam induxiſſe ritus fertur p.119. ſq. Vide-ſis V. *Idololatria*.

Minerva ab Hebraea voce, non *Menoi* utique, ſed *Tebuna*, unde *Tena*, ac deinde *Athena* protluxit, adpellata videtur. *Siga* Phoeniciis, *Sais* Aegyptiis, aut *Neith*, unde *Anith*, ſive *Athiue*, aut *Onga*, ſive *Onka* nuncupata eſt p.45. ſq.

ſq. Eadem prima *Navium* inventrix fertur p.51.

Mizraimus quatuor habuiſſe filios legitur, e queis totidem in Aegypto Nomi, Urbeſque tulere nomen p.162. A *Mizraimo* dicta Hebraeis, Syris, & Arabibus *Mizraim* Aegyptus eſt p.225. ſq. *Mizraimi* frater *Chuz* Ethnicis dictus *Asbolus* eſt, ſicut & Centaurorum dux ab *Hercule* crucifixus. Eidem deinde ſub *Oſiridis* nomine divini poſt obitum honores decreti fuere. An idem ac *Menes* habendus ſit, ut aliquibus dubitatur p.226. Pater *Eliezeris* ſervi *Abrahami* nonnemini viſus *Menes* eſt p.247. *Arphaxado* aetate ſuppar aliis *Mizraimus* ſit p.252. Ubi primo, ac ubi poſtea regnarit; quique poſt ipſum utrobique regnare perrexerint p.261. ſq.

Mohammedus Idola, *Veneris* praeſertim exſecratus, eque Meccano procul omnia abegiſſe fano traditur p.96. Tam impie vero, quam imperite Chriſtum D. haud revera, ſed ipſi ſimilem alium Cruci adfixum fuiſſe blaſphemavit, ſecta ideo Manichaeus reputatus p.348.

Moyſis e libris pleraque veteribus a Graecis deflorata fuere p.26. Sacra plurima inde deſumpta ab Aegyptiis, & Graecis fabulis deinde amplificata ſunt p.57. ſq. Eiſdem e libris anſam quoque pleraſque confingendi fabellas arripuiſſe Sinenſes aliquibus videntur. Et *Moyſis* libros utique Pekini in Templo quodam Idolorum ſervari plerique teſtatam rem faciunt p.415, & p.426. Eoſdem libros Chaldaeis innotuiſſe, indeque eos multa derivaſſe conſtat p.417. *Moyſi* Pantheiſmum adfricare ſummam per impudentiam haud veritus Tolandus pro meritis vapulat p.448. ſq. E *Moyſis* iterum libris multa ab Ethnicis deflorata fuiſſe plerique Eccleſiae Patres advertunt p.514. *Moyſis* demum aetas diverſas in aetates a diverſis conjici, ac diverſis Aegypti Regibus aetate ſuppar fieri ſolet p.293. ſq.

Mundi a Creatione duratio quatuor in aetates, haeque immanes in annorum myriades diſpeſci a Brachmanibus Indis ſolent: quibus etiam Mundi XIV. enumerari, *Superiores* VII, totidemque *Inferiores*, hique immenſis definiri ſpatiis, inhabitatique diverſis ſinguli a Diis efferri inſano pro more conſuevere p.374. ſq. Mundi rurſus Aetates in Periodos XVIII, haecque immanes in annorum ſummas Indis Malabaris diſtribuere pari in more poſitum eſt p.381. ſq.

Mundi rurſus aetates quatuor Indoſtani, Thibetani &c. dinumerare, haſque in ingentia annorum ſpatia diſtribuere, ſuis unicuique adſignato initio, ac termino delectati ſunt, ita ut diverſis ſub aetatibus diverſas *Viſtnou*, *Ruren*, ac *Brahma* incarnationes ſubjerint p.397. ſq. Mundo *Anima* univerſalis adfingitur, Mundique totius Machina demum in Supremi *Entis* ſpiritualem ſubſtantiam fore reſolvenda fingitur p.398.

Mundi a Creatione duratio in Horas, ſive partes XII, quibus annorum 10800, aut 18800. Periodus definitur, qua totius Mundi fieri creditur reſolutio, dividi a Si-

Sinenſibus ita ſolet,ut Horis ſingulis ſingulae creatae res adſcribantur p.414. Mundo item univerſalem ineſſe *Spiritum*, e quo prodierint omnia, in quemve omnia reſolvenda ſint, perſuaſum Japonii quoque habent p.501. Mundum attamen a Deo conditum fuiſſe credunt Indi tam Orientales, quam Occidentales fere univerſi p.518. in quibus Mexicani finiturum illum expectant p.527.

Mycene qui Regnum primo, quove ſub tempore fundaſſe legantur; qui perinde regnare perrexerint; in quo finem, & quando Regnum illud demum habuerit p.123.

N

NAvis omnium prima *Minervae* conſilio fabricata a *Danao*, ac *Lynceo* fuiſſe traditur, falſo tamen, nam ante *Danaum* Navibus in Graeciam transfretaſſe *Hercules*, *Inachus*, *Cecrops*, *Cadmus* &c. certe leguntur p.51.

Neapolis in Campania a Phocenſibus condita aliis, aliis verius a Rhodiis aedificata exiſtimatur p.123.

Nechaus Aegypti Rex Nilum olim cum Arabico ſinu conjungere, foſſa deducta, quod ingens a *Seſoſtri* pridem tentatum opus fuerat, fruſtra laboravit. Ejus juſſu a Phoenicibus Africa circumnavigata fertur: quod pridem *Xerſis* juſſu a *Sataſpe* factum jam fuerat. Ab hac ſub *Nechao* facta Promontorii *Bonae Spei* tranſmiſſione ad alteram Chriſti anno 1497. factam a *Vaſco Gamma* anni 2100. interfluxere. Altera perinde Africae circumnavigatio ab *Hannone* Carthaginenſi peracta legitur p.136. ſq. Vide-ſis V. *Xerſes*.

Nengo apud Japonios Cyclus eſt a *Koo-Toku* Dairo XXXVII. Aerae Chriſtianae anno 645. inſtitutus, quo Imperatorum anni computari ſolent. Certo annorum numero haud definitus eſt Cyclus ejuſmodi, ſed ab Imperatoribus pro libitu indici conſuevit, ita tamen, ut peculiari deſignari charactere non omittatur: ejus diagramma exhibetur p.503. ſqq.

Nilus Anni dierum 365. conſtantis ſymbolum apud Aegyptios erat: cujus utpote litterae Νειλος, ſicut apud Perſas *Meitrus*, & apud Gnoſticos *Abraxas*, tot dierum 365. quot Anno inſunt, numerum explent p.313.

Noachi ex Arca poſt Diluvium egreſſus quo conſignatus die a Coptis, ab Eutychio Alex., a Joſepho, ac Rabbinis aliis legatur p.348. *Noachus* ex Arca egreſſus in Indias profectus, atque Sinas, hiſce originem feciſſe quibuſdam viſus eſt p.414. ſq. Idem diverſo ſub nomine Chaldaeis, ac Sinenſibus innotuiſſe ſane videtur p.417. Idem Graecis pro *Baccho*, Aegyptiis pro *Oſiride*, Perſis pro *Azonace* habitus creditur *ibidem*. Inter Deos poſt obitum relatus, *Niſroch* Aſſyriis, *Rach* Babyloniis adpellatus, eique ſub *Solis* effigie cultus exibitus legitur p.418. A *Fo-hi* Sinenſium Imperatore primo indiſtinctus *Noachus* pleriſque habetur, aliis vero ab eo alter videtur p.423. ſq.

Nu-

Digitized by Google

Numerus apudGraecos ab *Endymione* Hellenis filio omnium primo repertus fertur p.27.Numerus*Septennarius* apud Aegyptios Sacer erat, unde *Nilus* in ſeptem oſtia diviſus, Hebdomadae ſeptem dies *Planetis* ſeptem dicati, Regio in ſeptem *Tribus* diſtributa, ſeptem Vocalibus *Dii* ſeptem celebrati leguntur p.97.

Numerus dierum 365. Anni litteris *Abraxas* a Baſilidianis, *Neilos* ab Aegyptiis, *Meitrus* a Perſis expoſitus eſt p.98. Numeri viginti apud Mexicanos ſingulari gaudent nomine, atque Zeris o totidem exprimi ſolent p.526.

O

OBeliſci, ſcite a Pyramidibus diſtinguendi, a *Betylis* derivati videntur, atque *Soli* dedicari ab Ethnicis ſolebant p. 87.ſq. Vide-ſis V. *Betyli*. Certis adhaec Obeliſci ſcalpi figuris, ac Caeleſti quopiam ſub aſpectu fabricari ad malos procul abigendos *Genios* conſuebant. Atque hujuſce genus fuere ſane *Baal Tzephon* ad Mare Rubrum, *Jupiter Ammon* in Libya, *Apollo Sminthaeus* in Phoenice collocati p.94. Apud Aegyptios Anno dirigendo tam Obeliſci, quam Pyramides olim inſerviebant p.288.ſq.Vide-ſisV.*Pyramis*. A quibus Obeliſci aedificati, queis dedicati, qua donati menſura, quibuſve deſtinati uſibus fuerint p.290. ſqq.

Ogyges celeberrimae ab Aſia in Boeotiam, & Atticam, unde ſuo de Regioni *Ogygiae* nomen etiam adhaeſit, Coloniae dux anno 1025. circiter ante Olympiadem 1. fertur p. 18. ſqq. Ejus de Aetate non una Eruditorum ſententia eſt p.19. ſq., & p.23. Idem atque *Gog* unus e *Japheti* filiis, unde *Gogareni*, ſive *Caucones* ad Caucaſum ſiti ortum duxere, aliquibus viſus eſt p.20. ſq.

Olympici Ludi *Jairo* apud Hebraeos Judice fuere inſtituti p.11.

Omitoſa Idololatricae auctor ſectae cujuſdam apud Indos a *Foë* indiſtinctus habetur, Mogolis, ac Tartaris *La*, Japoniis *Amida* dictus, idem ac *Xaca* eſt p 444. Vide-ſis V. *Xaca*.

Ophyr Regio, *Salomonis* expeditionibus celebrata, non in Occidentali, bene vero in Orientali quaerenda India videtur p.516.

Opici, & Oſci veteres in Italia Populi iidem fuere plane, qui *Auſones*, ſive *Jones*, ſive *Chaones*, ſive *Aurunci* dicti ſunt, iidemque qui deinde *Lucani*, *Capuenſes*, aliique finitimi. Quae fuerit *Opica* lingua, Siculis etiam olim uſurpata p.152.

Orbis totius Coſmica revolutio quo Anno, quo Menſe, quo die, ipſis ideo ſacra, facta olim, iteratoque facienda, Orbiſque Machina ideſt *Aqua* quondam abſorpta, abſumendaque demum *Igne* Aegyptiis credita ſit p.308. ſq. Vide-ſis V. *Mundus*.

Origines Gentes ſupra quaslibet alias efferendi ſuas quae, & quanta Aegyptios, Chaldaeos, Scythas, Aethiopes, Phoenices, Phrygios, Graecos, Indos, Sinenſes, Japo-

Digitized by Google

Japonios &c. libido inceſſerit p. 232. ſqq.,p.359. ſqq., p.411. ſqq., & p.492. ſqq.

Oſiris apud Aegyptios decantatiſſimus idem cum *Nimbrodo*, ſive *Belo* Aegyptio viſus aliquibus eſt p.14, aliis ab *Hercule* indiſtinctus p.29. *Iſis*, & *Oſiris* duo ſoli Aegyptiis univerſis pro Diis habiti ſunt, aliique in Aegypto Superiori, atque in Inferiori alii coli ſolebant p. 65. *Oſiridis* in expeditione ſocius *Pan* fuiſſe traditur p. 161. ſq. Quae *Oſiridis*, ſive *Solis* apud Aegyptios, eadem *Adonidis*, ſive *Thamuz* apud Phoenices feſta erant p.283. ſq.

P

PArasanga Judaica quotuplex gradui uni reſpondeat. Perſica vetus, atque nova quot conſtet paſſibus, quotuplexque gradui *Aequatoris* uni congruat p.194. ſq.

Parthenii dicti ſunt, qui a Foeminis Lacedaemoniorum proſtitutis originem ſortiti fuere, quique *Phalanto* duce in Italiam tranſmigraſſe leguntur p.117, & p.169.

Paulus S. Apoſtolus in Epiſtolis loca aliquando ex Pſeudepigraphis depromſiſſe ullo abſque piaculo legitur p.268.

Pereyrius Iſaacus ſuo pro impio Praeadamitarum Syſtemate tam inepte, quam impudenter tam Aegyptias, & Chaldaicas, quam Indicas, & Sinenſes in adjutorium Origines, & Antiquitates advocare non erubuit p.236, p. 359, & p.425. Vide-ſis V. *Cyclus*. Adhaec *Adamum* Gentis unius Hebraicae parentem facere, Gentes alias vero ab aliis propagatas fuiſſe parentibus effutire poſt Theophraſtem Paracelſum haud abſtinuit p.511. ſq.

Periodus *Sothiaca* apud Aegyptios alia *Major* annis 1460, alia *Maxima* annis 36525. conſtabat, ex Periodo *Majori* per Cyclum *Lunarem* xxv. in ſe ducta, qua Orbis univerſi *Apocataſtaſis* fieri Genti ſuperſtitioſae credebatur p. 232. Quo ab anno Periodus *Sothiaca* I. incepta a Syncello fuerit; a quo incepta fuerit a Cenſorino, & a quo incipienda viſa fuerit Marshamo, De Vignolio, Nevutono, Frereto, De Origny &c. p. 258. ſqq. Vide-ſis V. *Cyclus*.

Periodus *Sothiaca* II. incepiſſe ſub *Aſetho* De Vignolio, ac Jablonskio videtur, qua de pleraque diſputantur p. 294. ſqq., & p. 302. ſqq. Chriſti ante natalem anno 884. dumtaxat eam incepiſſe perſuaſum Nevutonus habuit. Quo Menſe, ac die *Sothiacus* ortus pridem, hodieque fiat p. 308. Quo anno *Sothiaca* Periodus juxta Cenſorinum finierit; quove proinde inceperit prior altera juxta Clementem Alex. p.309. ſq.; quove omnium prima juxta Manethonem inierit p.310. ſq.; quo Veterum juxta Chronographum Aegyptium, quo juxta Herodotum, quove juxta Syncellum ineunda ſit p.311. ſq.

Periodi quae, & qnotuplices putandis annis uſurpari Indis, Malabaris, Coromandeliis &c. veteri, novoque conſueverint uſu. Quam immani temporis ſumma circum-

ſcri-

ſcribi eae ſoleant Periodi p. 381. ſq. Singulis Periodis totidem *Mundi* XVIII. deſignati, in hiſque ſingulis vitam *Dii* ſingulares duxiſſe efferuntur p. 382. ſq. Duplex Thibetanis periodus uſurpata legitur, ex Annis 14. una, altera ex annis 252. contexta, indita ſingulis annis ſingulari adpellatione p. 395. ſq.

Periodus dierum 3232, ſive annorum 8, ac dierum 310, in definiendo Anno *Lunari Anomaliſtico* uſu Siamenſibus eſt p. 407. Periodus ex Annorum myriadibus oppido multis duplex a Sinenſibus effingi ſolet, una qua *Mundi* totius revolutio fieri creditur; altera, qua totius *Mundi* duratio in Horas XII. diſtributa ipſis eſt p. 414. Duplex rurſus Periodus altera putandis temporibus accepta Sinenſibus venit; prior, *Tong* dicta, annorum 1539, ex Cyclo XIX. repetito vicibus 81. conflata; poſterior, *Yuen* adpellata, eodem ex Cyclo XIX. vicibus 243. in ſe ducto efformata, annorum 4617: qua Periodo *Yuen* expleta, *Sol*, ac *Luna* ad idem regredi punctum exiſtimantur. Ex annis 4617. rurſus vicibus 31. reproductis fit Periodus altera annorum 143127; quibus elapſis *Planetas* omnes ad idem punctum reverti perſuaſum habent p. 474. ſq.

Periodus iterum triplex alia uſu Sinenſibus venit. Ex Cyclo XIX. nempe quater repetito Periodus efficitur *Calippica* annorum 76, ipſis *Pou* dicta; qua expleta, *Sol*, & *Luna* ad idem Jngi punctum regredi putantur. Ex Periodo vero LXXVI. iſta vigeſies in ſe ducta Periodus fit altera *Ki* annorum 1520; qua elapſa, *Sol*, & *Luna* ad idem regredi punctum, ac Cyclus dierum 60. ad eamdem regredi diem cenſentur. Ex Periodo *Ki* rurſus ter repetita, Periodus altera efformatur annorum 4560; qua completa, *Sol*, & *Luna* ad idem punctum, Cyclus dierum 60. ad eamdem diem, & Cyclus LX. annorum ad eumdem annum relabi creduntur *ibidem*.

Periodus adhaec duplex alia ſub Dynaſtia X. *Leang*, annorum 505. ex Cyclo XIX. vicibus 26. reproducto, annis 11. additis, una; & altera annorum 562. ex Cyclo XIX. vicibus 29. repetito, additis itidem annis 11, a Sinenſibus efficta legitur. Quadruplex inſuper alia Periodus annorum 119, an. 410, an. 619, & an. 676. uſu ipſis veniſſe traditur, queis de fuſe p. 475. ſq. Periodus *Ven* annorum 10000. denique hodie recepta eſt, cujuſce de initio, & uſu obiter p. 476. ſq. Periodus *Juliano-Sinica* ex annis 240. conflatur, eaque duplicata conficitur *Aegyptiaca Minor* annorum 480. p. 480. Periodi *Ven* exordium unde ducendum ſit: ejuſdem cum Cycli Sinenſis, & Aerae Chriſtianae annis componendae methodum ex Gravio Ducangius exhibet p. 487. ſq. Videſis V. *Cyclus*.

Periodus annorum 52. ex Hebdomadibus quatuor, annorum 13. ſingulis, conficta frequentari Mexicanis ſolet, eademque Rotae cujuſpiam figuris 13. variemode diſpoſitis, atque Zeris o. 13. notatis pul-

Digitized by Google

pulcherrime exprimi p. 525. ſq. Periodi hujus exordium a Regni *Tenuch* initio, Aerae ideſt Chriſtianae ab anno 1324. ducitur, finiſque in *Mate-ſume* regni annum 16, Chriſtianae Aerae 1518, quo ab Hiſpanis occupata Mexici Urbs eſt, confertur p. 526. ſq. Porro ab Aprili Periodi hujus Anni ſemper incipiunt, ab eadem haud tamen ſemper die p. 527.

Peruanis, & Mexicanis quae origo, & a quibus facta cenſeri debeat: qui Reges ipſis jus olim dixerint; quae uſurpata ſcribendi fuerit ratio; qui frequentati Menſes, & quae uſu Anni forma venerit p. 511. ſqq. Vide-ſis V. *Americani.*

Phocis a quibus primum inhabitata fuerit: quos, & quamdiu Reges habuerit, habereque deſierit: quos, & quo Colonos deduxerit p. 122. ſq.

Phoenices *Nechai* Regis Aegypti juſsu Africam circumnavigaſse leguntur. Ab hiſce pleraeque longe lateque diffuſae Coloniae fuere p. 136. ſqq. Ita in Hiſpanias p. 137. ſqq.; in Siciliam, Corſicam, ac Sardiniam p. 138. Sed & in Hiſpania Urbes a Phoenicibus, aedificatae pleraeque traduntur p. 139. ſq. Coloniae ab iis aliae in Europam inlatae ſunt, in Britanniae Inſulas, Hiberniae, & Orcades p. 141; in Gallias itidem p. 142.

Phrygiae in Regno qui primus Regis titulo, quique perinde regnarint p. 119. ſq. Rex II. *Midas* in Phrygiam Idololatricos primus induxiſse Ritus traditur *ibidem*.

Planetae ſeptem apud Aegyptios ſeptem Vocalibus deſignari, celebrarique, veteri pro ſuperſtitionis ritu, ſolebant p. 97. Septem *Planetae* itidem pro *Diis* qua Aegyptiis, qua Graecis habiti ſunt p. 162. ſq. Ex his nomen *Hebdomadae* diebus 7. a *Thoth* II. inditum fertur; hiſque viciſsim ab Aegyptiis ſequentia indita fuere nomina, Soli *Pire*, Lunae *Pjio*, Saturno *Rephan*, Jovi *Pizaeus*, Marti *Moloch*, Veneri *Suroth*, Mercurio *Piermes*. Antea tamen denominari apud Aegyptios Sol *Oſiris*, Jupiter *Ammun*, Saturnus *Phoenon*, Mars *Piroeis*, Mercurius Arabibus *Etbared*, Graecis Στιλβὸν, Aegyptiis *Thoth* ſolebant p. 278.

Planetae, totidem velut Orbes, inhabitari, primis omnium viſi veluti per ſomnium Aegyptiis ſunt p. 318. Ex Planetarum figuris fauſtae res, aut infauſtae Thibetanis, Indiſque aliis ab Aſtrologis praeſagiri ſuperſtitioſe ſolent p. 390. ſq. De Planetarum item nomine Hebdomadae dies adpellare Indis hiſce adhibuit p. 392. De celebri quinque Planetarum conjunctione eodem anno, eodemque die, quo celebris *Solis* Eclipſis in Sinis accidit, facta prolixe diſputatur p. 454. ſqq.

Plinii duplex de Obeliſcis, eorumque dimenſione, atque uſibus inſignis, vexatuſque locus deſcribitur, emendatur, explanatur p. 291. ſq.

Pylae, ſive Portae, quibus Regiones aliquae dividuntur ab aliis, pleraeque ſunt. Suntque *Sinicae*, quibus a Tartaria clauditur Sina; *Gog*, & *Magog*, quae a *Kesroe* Perſarum Rege aedificatae tra-

duntur; *Amanicae*, quae Syriam a Cilicia ſeparant; *Perſicae*, queis Suſiana a Perſide ſejungitur; *Sarmaticae* inter Pontum Euxinum, & Mare Caſpium mediae p. 441. ſq.

Pyramis a Copta voce *Py re*, Latine *Sol*, nomen duxiſse videtur p. 88, ſq. Aſtronomicis obſervationibus peragendis, Annoque dirigendo apud Aegyptios, ſicut Obeliſci, ſic Pyramides inſerviebant. Horrea a *Joſepho* aedificata fuiſſe Pyramides, inde a Πυρος, quod eſt *Frumentum*, dictas aliqui putant. A *Pourro*, qua *Rex* ſignificatur, juncta *Miſi*, qua *Genealogia* deſignatur, nomen Pyramides tuliſse aliis videntur. A Copta voce *Pyromis*, quae *Hominem* ſonat, aliis, a Graeca Πυρ, quae *Ignis* eſt, derivata videtur aliis p.388.ſq. A quibus, & quando Pyramides erectae fuerint. Queis uſibus deſtinatae, ad quem adſpectum directae, qua dimenſione fuerint donatae p.289. ſq.

Pythia, Agones ideſt Pythicos, in honorem *Apollinis* Επιβατήριε *Diomedes* Argivus, qui ab expugnatione Trojae rediens ad Capharaeum fractis Navibus, Italiam e naufragio appulerat, ubi & Urbes ab eo fuere conditae, omnium primus inſtituiſse fertur p.168.

S

SAliaria ab Arcadibus primo inſtituta, deinde in Inſulam poſt annos 400. ab *Evandro* traducta fuere. *Victoriae*, & *Palladi* Romae *Salii*, ſicuti *Cereri* Sacerdotiſsae, *Pani* Lupercalia, *Neptuno* Conſualia, aliiſque alia fuere dedicata p.118. ſq.

Sammanaei cujuſce Sectae fuerint homines, undeque ita dicti; quis originem ipſis fecerit, quive ab iis per Indias propagati. An iidem cum *Samotheis*, cum *Druidis*, cum *Semnutis* &c. cenſeri queant p. 368. ſq.

Sam-Poutra Alphabeti Thibetani auctor, ſive inſtaurator habetur, iſque a *Xaca* indiſtinctus videtur p. 368. ſq., & p. 387. ſq. Vide-ſis V. *Xaca*.

Sanconiathon qualis auctor Graecis, quove fidei loco ipſius habenda fragmenta ſint p.5.

Sardinia, & Sicilia unde tulerint nomen, undeque Colonos acceperint. Vide-ſis V. *Italia*,

Sarephta, & *Sepharad*, queis de Abdiae v. 20. fit mentio, Regiones in Gallia, & Hiſpania, aut Boſphoro haud quaquam, bene vero in Idumaea quaerendae ſunt p.219.

Saturnus, ſive *Chronus*, idem cum *Abrahamo* nonnemini viſus eſt; aliis a *Noacho* indiſtinctus, a Chamo aliquibus p.5. ſq., a *Belo* aliis habitus eſt p.7.

Scripturae veteris ſpecies triplex eſt diſtinguenda, *Hieroglyphicae*, *Hieraticae*, ac *Epiſtolographicae*: quarum prima *Thoth* I, ſecunda *Agathodaemoni*, ſive *Thoth* II. apud Aegyptios accepta referri ſolet p. 277. Scripturae genus ſimpliciſsimum per lineas olim Aegyptiis, per globulos Sinenſibus, per nodos Americanis uſurpatum fuiſse videtur p.430.

Digitized by Google

Scythae Colonis ductis *Alybam*, deinde *Joniam* adpellatam, Regionem occupaſse leguntur p.100 ſq. Quae, & quanta olim Regio, & quae hodie Scythia. A *Jectanis* filio *Abimael* derivati Scythae aliis, verius aliis ex *Japheti* filio *Magog* originem duxiſse videntur; a *Scytha* vero filio *Herculis* tuliſse nomen p.104. ſq. In Parthiam ingenti ſe effudiſse numero leguntur; atque cum *Seſoſtri* Aegypti Rege potentiſsimo bellum ipſis fuit: quo in bello an victi, an victores exierint, lis eſt p.105. ſqq. Qui Scythis diverſa ſub aetate Regio praefuerint jure, ac nomine p.107. ſq. E Scythia potius, quam ex Aegypto, Coloni in Indias uſque Sinas potius quam in Americam, transfuſi videntur p.113.ſqq. Bactrianam, & Parthiam Scythae per annos 28. obtinuere, ibique dominati ſunt p.114. ſq.

Sepulturae demandari Cadaver apud Aegyptios non ante licebat, quam ſolemne Judicum XL. ſubjiſset judicium: quo vel abſolutorio, vel condemnatorio accedente Sepulturae horrore Cadaver aut fruebatur, aut defraudabatur p.282.

Serapis alio dictus *Apis*, Graecis *Epaphus*, nomine Argivorum Rex III. e Graecia Colonos in Aegyptum intuliſse, ac *Memphis* ab ipſo aedificata, ſeu verius amplificata legitur p.64. ſqq. *Seſoſtri* aetate fuiſse ſuppar videtur *ibidem*. Indiſtinctus a Phoenicum, ac Judaeorum *Teraphim* aliquibus *Serapis* haud incongrue cenſetur p. 66. Idem ac *Oſiris*, ſive *Sol*, ſicut *Apis* idem, ac *Mnevis*, ac *Iſis*, ſive *Luna* habendi ſunt *ibid.* Quae utriuſque ſymbola fuerint, quaeque utrique ſacra p.67. *Mnevis*, Coptice *O-ein*, unde Hebraeis *On* Urbs, ideſt *Heliopolis*, voce *Lux*, aut *Sol* recte deſignatur. Ex *Oſiride*, & *Iſide* factus *Serapis*, quaſi *Oſirapis* quibuſdam videtur. Aliis ex *Sairi*, quod Coptice *Laetitia* eſt; aliquibus ex *Dſer*, ſive *Sar*, quod eſt explorare, derivatus exiſtimatur. Ex *Teraphis* effictus *Seraphis*, ac deinde *Serapis* aliis videtur. Ex *Sor*, qua *Ciſta*, & *Ap*, qua *Bos* ſignificatur, *Serapis* derivatur ab aliis p.68.

Serapis ſub figura *Cerberi* tricipitis effingi ſolebat, qua *Sol* tres Orbis partes illuminans, aut tria efficiens tempora exprimebatur p.69. ſq. In *Serapide* latuiſse *Joſephus* Patriarcha, ſicut in *Apide* pleriſque viſus eſt, quaſi nempe fuerit *Ab*, ſeu *Ap* Pater, ac *Sor* Bos, ſive *Sar* Princeps p.70. ſqq. Contra in *Serapide* ita delineatum *Joſephum*, qui *Pſot-Empenech* dictus, ut *Salvator Mundi* recte interpretetur, negant verius longe plures alii p. 72. ſq. Minus vere in *Serapide* latere *Moyſem* opinatus Huetius eſt p. 73. ſq. Ex *Karab* Hebraice, ſive *Scaraph*, quod eſt *Incendere*, derivatus *Serapis*, eoque *Vitulus* deſignatus, *Moyſes* ideſt, ac in *Moyſis* ideo memoriam *Vituli* erecti ab *Aharone*, ac *Jeroboamo* viſi minus vere Huetio ſunt p.74. ſq. An duplex *Apis*, ac *Serapis* diſtinguendus ſit: qua ſub aetate *Serapis*, & *Apis* inter Deos ſint relati p.75. ſqq. Uterque porro a *Sole*, ac *Luna*, indiſtinctus

haberi debet p.77. ſq. Sub *Apidis*, ac *Serapidis*, ſive *Iſidis*, & *Oſiridis* ſpecie dedicatus *Mizraimus*, ejusque Uxor videtur p.78.ſq. *Serapidis* cultus a *Ptolemaeo*, ſive *Lago*, ſive *Philadelpho*, ſive *Evergete* e Graecia ne, an e Memphi translatus Alexandriam fuerit p. 83. ſqq. Idem pro *Aeſculapio*, pro *Jove*, pro *Plutone*, pro *Dionyſio* &c. habitus ſaepius eſt p.84. ſq. Diverſis *Serapidis* figuris denique Annua *Solis* Periodus, ac *Zodiaci* ſigna exprimi apud Aegyptios ſolebant p. 281. Vide-ſis V. *Annus*, & V. *Sol*.

Seſoſtris Aegypti Rex, expeditionibus, geſtiſque celeberrimus, diverſa Scriptores apud diverſos tuliſse nomina, diverſaque ſub aetate a diverſis aetatem egiſse traditur p. 291. ſq., & 294. A *Seſoſtri* an indiſtinctus *Oſimandes*, ideſt *Rex Regum* ita dictus, fuerit p. 297. ſq., & p.305. ſq. Ab eodem *Seſoſtri* poſterior ex Aegypto Paſtorum expulſio quo anno facta juxta Manethonem fuerit; ideoque qua ſub aetate illum regnaſse inferre inde fas ſit p.310. ſq. A *Baccho* quae in Indias adornata fertur expeditio, ea reputanda eſt, quae *Seſoſtri* adſcribi ſolet p.359. *Seſoſtris* e bello, quod ipſi cum Scythis fuit, an victor, an victus exierit, dubium eſt. Quae, quotvae victoriis ab ipſo occupatae Regiones fuerint p.106. ſqq. Ab eo Colonia in Indiam tranſplantata, indeque in Sinas transfuſa, minus vere tamen, fertur p.111.

Siamenſes Aera *Soncarad*, ideſt Eccleſiaſtica, ejuſdem a *Sammonae* obitu ducto cardine, uti ſolent e quo e Chriſtianam ante Aeram anno ineunda Aera iſtiuſmodi ſit p. 372. Siamenſis Regni adhaec quae amplitudo, qui ſitus, quae confinia, quis fundator p.400.ſqq. Quae diverſis ſub Aetatibus diverſae Regum Dynaſtiae in Siamenſi regno obtinuerint p.401. ſq. Quae dinumerandis temporibus adhiberi Siamenſibus ratio ſoleat p. 402. ſqq. Vide-ſis VV. *Annus*, *Dies*, *Menſes*.

Sicyonis antiquiſſimum in Graecia regnum a quo, & quando fundatum fuerit p.21.ſq. Vide-ſis V. *Aegialaeus*.

Sinenſes a *Semi* filiis, aut *Japheti Gin*, ſive *Tchin*, ac *Sin* originem duxiſſe videntur. Apud Sinenſes a quo primum Characteres inducti, a queis perinde reformati vice plus ſimplici, quave ſub aetate fuerint p. 111. ſq. Sinenſis Regio vario adpellata olim, hodieque nomine legitur. In ſeptentrionalem, ac Meridionalem rite diſtingui ſolet: quantum terrarum utraque tractum complectatur, queiſve definita terminis ſit p.410.ſq. Quae de prima in Sinis Imperatorum Dynaſtia a *Puon-kou* quae de ſecunda a *Tien-hoan-Chi*, & quae de tertia a *Ti-hoam-chi* fundata, deque multis ex eiſdem familiis per multas annorum ſeries Imperatoribus jactantur, ad fabulas amandanda procul dubio ſunt p.411. ſqq. Ad fabulas itidem rejicenda profecto, quae de novem Familiis aliis, per novem *Ki*, ſive Periodos, annorum Myriadibus pleriſque conſtantes, in Sinis Imperio defunctis ven-

venditantur p. 413. ſq. In Fabulis item habenda, quae de gemina fingi Periodo ſolent, una, qua plures oppido poſt annorum myriades totius *Mundi* revolutio fieri creditur; altera, qua in Aetates XII. *Mundi* duratio totius diſtributa ipſis eſt p. 414. E Patriarchis Antediluvianis ſuos effingendi primos Imperatores anſam Sinenſes arripuiſſe videntur, nomenclaturis paullulum immutatis p. 415. Ab Hebraeis, a Chaldaeis, ab Aegyptiis pleraque ſuos in Annales convaſaſſe Sinenſes videntur, poſt maxime quam ab *Hoam-ti* Imperatore vetera omnia Sinica Monumenta flammis abſumpta fuere. Atque ita ex Hiſtoriis Exoticis conflata fuiſſe cenſenda par eſt tot Volumina, quae in Bibliothecam, deinde tum ab *Heu-kim*, cum a *Tai-cum* congeſta fuere p. 416. ſq. In Diluvii memoriam ſub Aprilis initio Sacrificia fieri Defunctis in Sinis conſuevere: cujuſmodi *Ὑδροφορία* apud Graecos, ac *Luſtralia* apud Romanos erant p. 418.

Sinenſes origine Aegyptios eſſe conjecturis oſtendere multis Viri plerique docti conati ſunt; alii ex adverſo Sinenſium, & Indorum Colonos magis habendos Aegyptios eſſe conjecturis aliis ſuadere adnixi ſunt p. 419. ſq. Quo a *Fo hi* omnium primo Sinenſe fundatum imperium anno; quove ab anno perinde Sinenſium Cyclus incepiſſe primus jactetur p. 420. ſq. Qui poſt *Fo-hi* ex eadem imperaſſe familia, quaeve poſtinde familiae imperium obtinuiſſe venditentur p. 421. Ad fabulas haec omnia referenda liquido demonſtrantur p. 422. ſq. A *Noacho* indiſtinctus *Fo-hi* pleriſque habetur, aliis vero alter videtur; non ſecus atque primi Sinenſes Imperatores a Patriarchis Antediluvianis indiſtincti cenſentur p. 423. ſqq. Quo habenda loco Chronologia Sinenſis ſit p. 424. ſqq. Vide-ſis V. *Chronologia*. Quae olim Scripturae loco figurae uſurpatae Sinenſibus tradantur p. 426. ſqq. Vide-ſis V. *Ho-tou*, & V. *Kova*. In Sinenſi Hiſtoria ante *Yao* nihil rati, fixique aeſtimari debet p. 430. ſqq. Sinicis de rebus ſcribentes Confucius, Mencius, aliique Scriptores quam immaniter inter ſe diſcrepent p. 431. ſqq.

Sinenſes a diſperſione Gentium ſub *Phalego*, aut inde proxime, certam habere, a *Yao* ſcilicet, Hiſtoriam occepere p. 432. ſqq. *Yao* aetas a diverſis in annos diverſos conjecta legitur p. 433. ſqq. Qui Sinenſibus uſurpati putandis annis Cycli fuerint p. 434. ſqq. Vide-ſis V. *Cyclus*. Annis 304, aut 250. retardanda Chronologia Sinenſis eſt p. 435. Annis 500. quin imo detrudenda infra videtur p. 436. ſq. *Yao* rurſus aetas cui verius anno illiganda ſit p. 436. Ab Anno 400. dumtaxat ante Chriſti natalem Hiſtoria Sinenſis recte incipere nonnullis oſtenſa eſt p. 437. ſq. *Yao* denuo aetas a diverſis in annos diverſos conlata legitur: cui verius anno ſit adſtringenda, quove ab anno Sinenſis Hiſtoriae tempora certa exordienda ſint p. 438. ſq. Imperium, quod apud Sinenſes Electivum a principio erat, quan-

quando , & a quo Haereditarium factum ſit p. 439. Sinenſium Imperatorum Dynaſtiae quae, & quot a quibus fundatae , quot in ſingulis Imperatores , perque quot annorum ſpatia imperarint p. 440. ſqq. Murus Tartarorum incurſionibus oppoſitus a quo exſtructus fuerit , inſtauratuſque , quotve complecteretur ſtadia p.440. ſq.

Sinenſe Imperium cum in Orientale , & Occidentale , tum in Septentrionale , ac Meridionale ſaepe diviſum , ſaepius iterum in unum , idemque coaluit , in Dynaſtias ſaepe diverſas translatum p. 442. ſq. Diverſae Imperatorum Dynaſtiae qua ab aetate imperare ceperint , quot per annos perrexerint , quove demum anno finierint p. 443. Quae in Sinis Idololatrarum ſectae , quove a tempore obtinuerint p. 444. ſqq. Vide-ſis V. *Idololatria* . Sinenſis Hiſtoriae cardo ab Anno Chriſti ante natalem 400. certus , fixuſque deſumendus videtur p. 450. ſq. Aſtronomiae olim , ac diu admodum rudes fuiſſe Sinenſes , multis oppido ſit planum p.453. ſq. Sinenſis Chronologiae cardo maxime dependet ab Eclipſi *Solis* eodem anno , ac die obſervata , quo facta quinque *Planetarum* copula fertur p.454. ſqq., atque a loco inſuper , quo *Solſtitium* Hybernum olim defixum fuit p.459. ſqq. , & p.462. ſqq. Vide-ſis V. *Eclipſis* .

Sinenſes Fixarum progreſſum olim ignorarunt , male perinde definivere , tardeque admodum cognovere tandem p. 461. De celebri *Solis* Eclipſi in Sinenſium Annalibus Chriſti ante natalem anno 2158, unde Sinicae Chronologiae cardo ſtabiliri videtur , copioſe diſſeritur p.465. ſqq. De altera itidem *Solis* Eclipſi , quae in obitu Chriſti D. accidiſſe falſo creditur , prolixe agitur p.466.ſqq. Aſtronomiae ſtudium apud Sinenſes imperfectum admodum jacuit uſque ad Europaeorum in Sinas adventum p.469. ſq. Quae dierum , Menſium , Annique forma , hiſque numerandis uſu Sinenſibus qui Cycli , quae Periodi olim , hodieque venerint p. 470. ſqq. Vide-ſis VV. *Annus* , *Dies* , *Menſis* , *Cyclus* , *Periodus* . Veris , & Anni exordium a gradum 15. *Aquarii* , Aeſtatis a *Tauri* gradu 15 , Autumni a gradu 15. *Leonis* , Hyemis a *Scorpii* gradu 15. capere Sinenſes delectati ſunt p.473. Celebre denique Syro-Sinicum Lapideum Monumentum , in quo praecipua Chriſtianae Religionis , etſi a Neſtorianis depravata , capita leguntur , veluti genuinum defenditur p.488. ſq.

Sin-Mu , aut *Sin-Bu* , poſt obitum *Nin-O* , ideſt *Optimi Maximi* , titulo decoratus , Japonici omnium primus Imperii fundator haberi debet p.495. ſq. Sub eo ſtatim Idololatria , ſive *Immortalium Spirituum* cultus ſub nomine *Kamis* , ſive *Sinſiu* , inductus eſt p. 497. Vide-ſis V. *Japonia* .

Siphoeas Thebis in Aegypto Rex a *Siri* , quod Aegyptiace *Filius* eſt , ac *Phta* , quod eſt *Vulcanus* , nomen tuliſſe , idemque ac *Hermes* II , Agathodaemonis pater , fuiſſe videtur . Ab eo primum apud Aegyptios , una cum Kalendario , refor-

Digitized by Google

reformatus Annus fertur p.295. ſq. Vide-ſis V. *Annus*.

Siſyphus *Aeoli* I. filius Corinthiaco Regno primus auſpicia feciſſe legitur p. 28. Ab ejuſdem vero filiis aliò Colonis deductis, alia fundata regna fuere p.29.

Sol apud Aegyptios diverſis olim deſignari Symbolis conſuevit p.59. ſq. Apud Syros etiam diverſis exprimi ſpeciebus p.61. Idem ac *Oſiris*, ſive *Mnevis*, atque *Serapis* Aegyptiis *Sol* erat p.65. ſq., & p. 68. ſq. *Solis*, ac *Lunae* cultus in Aegyptum a *Suphide* omnium primo inductus fertur p. 86. ſq. Utriuſque figurae in Lapidibus ſaepius expreſſae leguntur, ac utrique dedicari Lapides diverſi apud Ethnicos conſuevere p. 87. ſqq., & p.90. ſqq. Vide-ſis V. *Betyli*, & V. *Hermae*.

Sol, ſive *Meitras* apud Perſas numero 365, quot inſunt Anno dies, deſignari ſolebat, uti *Nilus* apud Aegyptios, & *Abraxas* apud Gnoſticos p.97. ſq. A *Solis* filio *Acte* e Rhodo in Aegyptum profecto, condita *Heliopolis* fertur, atque *Soli* dicata patri. Ab eo Aſtrologiae ſcientiam accepiſſe quoque Aegyptii referuntur p.146. *Solis*, non *Lunae* idolum fuit *Pan*, unde *Panopli* in Aegypto Urbi nomen inditum p.161.ſq.*Sol* adhaec idem, ac *Eſmunes*, Graecis *Aeſculapius*, cenſeri rite debet p. 163. *Solis* cultui deditiſſimi Ceylani Inſulae Incolae memorantur p.198. *Solis*, ac *Lunae* Symbola *Iſis*, & *Oſiris* apud Aegyptios erant p.284. ſqq. *Horus* item, ac *Phoenix* p. 286. ſq. *Soli* dedicati ab Aegyptiis Obeliſci leguntur p.289. ſq.

Sol antea Aegyptiis *Phre* dictus, *On*, ſive *Oein*, Graecis *Helios*, quo a tempore dici *Oeiſch-iri*, ideſt *Oſiris*, quave de re ceperit p.295. De contrario, binoque *Solis* ortu, & occaſu celebris Herodoti locus exponitur p.298. ſq. *Solis* Apogaeus quanto anno quolibet ſpatio moveatur, quantoque totius Apogaei revolutio temporis intervallo fiat p. 407. *Solis* ſub Symbolo cultus *Noacho* poſt obitum delatus legitur p. 418. *Solis* filiatione gloriati in Peruvia Incaſii, Tartari aliqui Imperatoris, Aegypti Reges, Aethiopiae, Colchidis, Aſſyriae, Babyloniae, Syriae, Parthiae, Mediae, Perſidiś &c. leguntur paſſim p.516. ſq. Videſis V. *Legislatores*. Apud Peruvianos *Sol* maximo in honore habetur, eique in quatuor anni tempeſtatibus Sacrificia fieri ſolent p.528.

Superſtitio quae peſſimi ominis cauſſa Aegyptiis circa *Epagomenas*, Graecis circa *Menſes*, Romanis circa *Nonas* obſervari ſoleret p. 332.

Suphis Aegypti Rex X. a *Mene* Idololatriam, *Solis* ideſt, ac *Lunae* cultum omnium primus in Aegyptum induxiſſe fertur p.86. ſq. *Soli* Pyramides dedicaſſe primus etiam legitur p.87.

Syderum motus anno quolibet quo fiat ſpatio, quove ſpatio integra Syderis revolutio fiat p.407. Syderum progreſſus olim Sinenſibus ignoratus, male perinde definitus, tardeque demum admodum cognitus eſt p.461. ſqq.

Syno-

Synoditae lapides erant cum *Solis* globoſa, atque *Lunae* creſcentis, ac decreſcentis ſpecie ſcalpti p.87. Vide-ſis V. *Betyli*.

Syriae nomen a *Cadmi* fratre *Syro* factum perperam ab AuctoreChronici Alex. traditur p.54.

T

Tamus. a quo impia *Budae*, ſive *Xacae* Dogmata in Sinas delata fuere, qua ſub aetate vitam egerit, & quam perperam cum *S. Thoma* Apoſtolo confuſus ab aliquibus fuerit p.371. ſq.

Tartari e decem Iſraelis Tribubus olim per Orientem diſperſis originem duxiſſe inepte pleriſque viſi ſunt p.195. ſq.

Tat, ſive *Teut*, ſive *Teutates*, Celtica lingua *Pater Populi* ſignificatur p.5. Idem fuiſſe *Tuit* a Germanis olim pro Deo habitus, ſub *VVodan* deinde, ſive *Godan*, ſive *Goth* nomine, quo in Germania dedicatae leguntur Arae, videtur p.115. ſq. Idem *Thoth*, Aegyptiis *Copt* etiam, Judaeis *Catthabah* dictus, indiſtinctus ab *Henocho* quibuſdam, a *Chamo* aliis, a *Chanaano* aliquibus, aliis ab *Athote* filio *Mizraimi*, quibuſdam a *Joſepho*, aliis a *Moyſe* viſus eſt. Idem Graecis eſt *Hermes*, Latinis *Mercurius*, Danis *Tiis*, Anglis *Teves*, Germanis *Teuth*, unde ipſi *Teutonici* dicti videntur aliquibus, Sinenſibus *Teu*, Mexicanis *Teutl* pro Deo habitus, a quo parum Graecorum *Theos*, ac Latinorum *Deus* ſane diſtat p.274. ſqq. Eodem *Thoth*, ſive *Mercurii* nomine plures inſigniti apud Graecos, Latinoſque referuntur p.277. ſq. Qui *Theut* Aegyptiis idem *Tao*, ideſt *Deus*, Indis dictus etiam videtur p.373.

Tellus circa *Solem* converti, non è contra *Sol* circa Tellurem, Pythagoricis omnium primis viſa eſt p.317.

Templa in Aegypto non duo, uti Seldeno viſum, ſed unum dumtaxat in Aegypti Urbe, non *Heliopoli*, ut aliqui perſuaſum habuere, ſed *Leontopoli*, Hebraeis *Ir Cheres* dicta, ab *Onia* IV. aedificatum habuere Judaei: quod anno Chriſti ante natalem 150. aedificatum, poſtquam annis 223. ſtetiſſet, Aerae Chriſtianae anno 73, uno, vel altero poſt everſum Hieroſolymitanum anno, *Veſpaſiani* juſſu deſtructum eſt p.206. ſq.

Templa, *Mias* ipſis dicta, Idolis erecta innumera tota in Japonia, ſpeciatimque Meaci conſpiciuntur. Sacerdotes itidem, *Sinkku* ipſis adpellati, Templis addicti, innumeri leguntur p.494.

Tharſis, quò triennio quolibet a *Salomone* mitti, Auri, Argentique inde deferendi cauſſa, Claſſis conſueviſſe legitur, ubi gentium ſita eſſet p.217. ſq.

Thraciae nomine Regiones pleraeque donatae fuere, rite inter ſe diſtinguendae. In Aſiae Minoris porro Thraciam, ideſt in Troadem, a *Japheti* filio *Thira*, unde Thraciae inditum fertur nomen, omnium primo Colonia ducta, quae inde in Thraciam Europae tranſfuſa fuerit, Mazochio viſa eſt. Thracia vero de *Thracis* Regis nominae dictam

ctam alii putant, de *Nympha Titanide* alii. In Thracia quo *Byzantium* anno, & a quo fuerit conditum; unde, & a quo perinde alio Coloniae in Thraciam ductae fuerint p.174. ſq. Byzantii *Ptolemaeo Philadelpho* Templum olim excitatum fuiſſe perhibetur p. 175.

Thibeti Regio quem in Orbe ſitum obtineat; queis aliis efferri nominibus ſoleat; quibus definita ſit confiniis; quantum occupet terrarum ſpatium; quae ibi Religio vigeat; qui Dii colantur p.386. ſq. Thibeti Regum Dynaſtia prima a diſperſione Gentium ſub *Phalego* fundata Indigenis inani faſtu jactatur. Qui primus ibidem regnare ceperit. Primus Thibetanis Alphabetum procudiſſe, atque leges praeſcripſiſſe *Sam-Poutra* fertur p. 386. ſq.

Thibeti Populi Sinenſium modo jugum ſubire coacti ſunt, modo ab eo ſe in libertatem adſervere. A *Genghiſcano* cum Indis aliis ſubjugati,ac denuo a *Koblaio* ſunt p.388. In Magnum *Lhamam* deinde cum Sacra translata Regia dignitas eſt p.389. Thibetanis quae Menſium, & quae Anni forma olim, & hodie uſurpata ſit p.390. ſqq. Vide-ſis VV. *Annus*, *Dies*, *Menſes*.

Titanes qui nomine dicti fuerint,quo patre geniti, quot fuerint numero, qua gente prognati p.4. ſq.An iidem, ac *Gomeri* habendi *Titanes* ſint, indeque *Celtae* originem nacti! An viciſſim *Dodanidae* fuerint, unde *Dardani*, *Curetes* &c. progeniti p.5. ſq.

Trojani Regni fundator quis fuerit, *Dardanus* ne, an *Teucer*? quique ibi perinde Trojanam uſque ad haloſim regnum obtinuerint p. 54. ſqq. Vide-ſis V. *Dardanus*. De Trojana porro expeditione diverſae Chronologorum opiniones attinguntur p.125. ſqq.

Tunchini Regnum a quo fundatum primo fuerit: quo tempore Sinenſium Imperatorum ſubire jugum oportuerit: quo ſe, jugo excuſſo, in libertatem Incolae vindicarint, Regiaque redintegrata dignitas fuerit: quot Regum ibi Dynaſtiae, per quodve temporis ſpatium obtinuerint: quo a tempore inter *Bovam*, & *Covam* ita diſpertita poteſtas fuerit, ut illi Sacra derelicta, ab iſto Civilis rei totius ſumma ad ſe rapta ſit p. 489. ſq.

Tyrrhenia dicta primum Italiæ legitur, ducto, ut aliquibus videtur, ab Hebraea voce תירה *Tirath*, qua *Turris* ſignificatur, nomine p.147. A *Tyrrheno*, qui filius *Atis* Lydiae Regis ſexti poſt *Lud Semi* filium, aliis filius *Herculis*, aliiſque *Telephi* dicitur, quique in Italiam e Lydia Colonos, Troja capta, intuliſſe creditur, dicta magis videtur p. 157. ſq. Vide-ſis V. *Italia*.

Tyrrhenus in Hetruria *Diti* patri, atque *Saturno* Aras dedicaſſe primus, atque *Saturnalia* inſtituiſſe fertur p. 158.

Tyrrheni quo fuerint genere ſati. Vide-ſis V. *Hetruſci*. Regio in Italia *Tyrrhenia*, ſive *Turrhenia*, olim *Athuria*, deinde *Hetruria* dicta a *Thura* fratre *Lydi*, alio dicto *Aſſure* nomine, ac *Italo* etiam, nonnemini videtur p.159. ſq.

Tzephus *Eſau* nepos in Aegypto a

Jo-

Joſepho carceri mancipatus, indeque profugus ad *Aeneam* Carthaginem adveniſſe, ac perinde in Italiam, ibique *Jani* nomen induiſſe, aut in Siciliam appuliſſe, ibique *Panormum* aedificaſſe a nonnullis inepte fingitur p. 214. ſq.

V

VEN apud Sinenſes Periodus eſt *Solaris* annorum decem mille, qua Epocha *Cathajenſis* menſurari ſolet. Ejus exordium ab ingreſſu *Solis* in gradum 15. *Aquarii* capiendum eſt. Methodum vero eamdem cum Cycli LX. Sinenſis, & Aerae Chriſtianae annis componendi Ducangius ex Gravio ſuppeditat p. 476. ſq., & p. 487. ſq.

Viſtnou alter praeter *Brahmam* apud Indos pro Deo habitus, ſicut & *Iſuren*, quo in honore ipſis habeatur; quae ipſi adſcribi aetas ſoleat; quod habuiſſe fingatur genus; quanta in res creatas ipſi poteſtas adpingatur p. 364. ſqq. *Viſtnou*, *Iſuren*, ac *Brahma* Indis an Dei ſupremi Imagines, an Dii inferiores, an Dei adminiſtri habeantur p. 368. Diverſis ſub aetatibus diverſas *Viſtnou*, *Iſuren*, ac *Brahma* incarnationes ſubjiſſe Banianis effingi ſolent p. 397. ſq. Vide-ſis V. *Brachmanes*.

Voces pleraeque Inſularum, locorum, fluminum, aliaeqe domeſticae tam Phoeniciis olim, quam hodie Americanis propriae ſunt, propria retenta ſignificatione p. 513.

Voltairius Ethnica amplificandi, Chriſtiana vero elevandi praepoſtero ductus adfectu Sinenſes Antiquitates, longe ad anteriores, quam oportebat, aetates retroducere haud veritus refellitur p. 451. ſq.

Urchien Indoſtanus Magus ſectae, *Ritroba* dictae, nomen, & auſpicia fecit; non ſecus atque *Kiupa* ſectae ortum *Aſciang* Sinenſis Philoſophus dediſſe legitur p. 500.

Vulcanus Deorum primus in Aegypto regnaſſe fertur, indeque *Vulcaniae* nomen Aegypto factum p. 225. Ab eadem Hebraea voce *Aor*, unde derivatus *Alorus*, quod eſt *Ignis*, ſive *Lumen*, videtur, derivatum tam *Vulcani*, quam etiam *Hori* nomen conjicitur p. 228.

X

XAca celebris apud Indos impoſtor, poſt obitum ſub *Foë*, ſive *Fotoke*, quo *Non Homo* ſignificatur, nomine inter Deos relatus, qui fuerit. Is Sinenſibus *Ke-kia*, idem ac *Budda*, indiſtinctus a *Sam-Poutra*, unde *Semnothei* orti, videtur p. 368. ſq. Indis aliis *Sammona-Khodum*, aliis *Samana-Kutama*, aliis *Timpha*, genere Aegyptius, idemque, qui Aegyptiis *Saſyches*, fuiſſe cenſetur p. 371. ſq. Quo is tempore in lucem editus, quove prava ſua divulgaverit in Indias dogmata p. 372. ſq. A *Xaca* quo Thibetani Idololatria infecti anno fuerint p. 387. ſq.

Xaca, idem cum *Omitoſa* Indis habitus aliis, aliiſque cum *Totoqui*, Sinenſes etiam infecit, idemque

cum

cum *Manethe* viſus aliquibus eſt p.444. Impia perinde *Xacae*, cum Idolis *Budſo*, ideſt *Peregrino*, atque *Fotoke*, dogmata, inter quae illud de *Inani*, & *Nihilo* rerum omnium principio, ac fine, in Japoniam Aerae Chriſtianae anno 63. inlata ſunt p. 498. ſq. Eidem *Xacae* poſt obitum, Divina velut *Emanatio* habito divinus ſub *Amidae* nomine cultus anno Chriſti 543. decretus eſt p. 499. Is in album *Elephantem* transmutatus aliquando fuiſſe inſanae creditur Genti; indiſtinctus vero ab Aegyptio *Canopo*, & a Samaritano *Succoth-Benoth*, ideſt a *Baccho*, ſeu a *Venere* videtur. Duplex aliquibus diſtinguitur *Xaca*, ſed verius duplex ejus diſtinguenda aetas eſt, qua nefaria ejus dogmata per Indias diſſeminata fuere p.500. Idem aut a *Scythiano* Manichaeae haereſis promocondo indiviſus, aut ejuſdem propagator haereſis fuiſſe videtur *ibidem*.

Xerſis Perſarum Regis juſſu a *Sataſpe* Achaemenide totius Africae circumnavigatio ſuſcepta olim legitur, Promontorio *Bonae Spei* transfretato. Quae perinde *Nechao* Aegypti Rege jubente, a Phoenicibus peracta traditur p.136. Peracta deinde legitur ab *Hannone* Carthaginenſi p.137; ab *Eudoxo* ſub Rege *Lathyro*; ab Indis etiam *Q. Metello Celleri* Galliae Proconſulem agente p.138.

Y

YAo Sinenſi certam Imperio feciſſe demum Epocham reputari debet, ante quem ſane nihil certi, fixique Sinenſi in Hiſtoria aeſtimari poteſt p.431. ſqq. *Yao* Aetas a diverſis in diverſa conjecta tempora legitur p. 433. ſqq. Cui anno verius ipſius aetas conſignanda videatur p.436. ſqq., & p.452. ſq. Vide-ſis V. *Chronologia*, & V. *Sinenſes*.

Yeſad apud Perſas pro *Genio Bono*, ſicut *Abriman* pro *Genio Malo* habitus eſt, uterque vero a *Zarua*, omnium *Principe* interpretato, prodiiſſe fertur p.373. Vide-ſis V. *Zaruas*.

Z

ZAruas, *Fortuna* interpretatus, apud Perſas omnium *Princeps* habitus eſt. Ab ipſo *Hormiſdas*, Perſis *Yezad*, Graecis *Oromazes*, Latinis *Bonus Genius* dictus, atque *Satanas*, Perſis *Abriman*, Graecis *Arimanius*, Latinis *Genius Malus*, prodiiſſe feruntur. Idem Sinice *Chi*, hoc eſt *Aeternum*, Arabice *Alem*, ideſt *Eſſe* ſupremum deſignatur p. 373. Sua inde prava dogmata Valentiniani, & Manichaei derivaſſe videntur p.374.

Zodiacus ab Aegyptiis prima ab Aetate in Signa XII. fuiſſe diviſus, Conſtellationes XII. totidem Deorum Magnorum *Vulcani*, *Ammonis*, *Oſiridis*, *Agathodaemonis*, *Hori*,

Hori, *Anubis*, *Iſidis*, *Typhonis*, *Mendis*, *Saturni*, *Panis*, *Athoris* tuliſſe nomen, ſub horumque quolibet tres alii *Decani*, atque ſub quolibet iſtorum tres *Aſſeſſores* collocati leguntur, adeo ut Conſtellationes 156. Aegyptiis ſint numeratae p.280.

Zodiacus in Conſtellationes XXVII. dividi ab Indis ita ſolet, ut Conſtellatio quaeſibet in quatuor alias, Characteribus ſingulas deſignatas propriis dividatur; ſingulisque *Lunae* diebus 27. propria reſpondeat Conſtellatio; atque Conſtellationum XXVII. ope ſingulae Noctis horae diſtinguantur p.376. *Zodiaci* ſigna cum Menſibus comparata, quale praeferant apud Indos nomen p.379.

Zodiacus apud Sinenſes, ſicut *Ecliptica*, & *Aequatuor*, in partes 24. aequas ab omni tempore ita diſpeſci conſuevit, ut ex his partes 12. pro Menſium XII. *Lunarium* menſura adſumantur, partes 4. vero praecipuae loca deſignent, in quibus quatuor ipſis defixa ſunt puncta Cardinalia. Poſt adventum Europaeorum in Sinas jam *Zodiacum* in gradus 360. dividere didicere p.471.ſq., & p.482. ſq.

Zodiacus iterum apud Sinenſes in Conſtellationes XXVIII. ita dividitur, ut quaelibet uno Cycli XXVIII. *Solaris* Charactere deſignetur, cuilibet dierum 28. adſignetur ſpatium; quatuor Conſtellationum item Characteribus *Planeta* quilibet inſigniatur; ſingulis Hebdomadae diebus una ex Conſtellationibus, uno cum *Planeta* compoſita, reſpondeat; atque ita, ut Characteres iidem ordine redeant p.484. *Zodiaci* Conſtellationes Americanis etiam olim, etſi admodum imperfecte, cognitae aliquae ſaltem fuere p.520.

ERRATA EMENDATIONES.

Pag. 4. lin. 5. Japhetidaram Japhetidarum p.10. l.4. primos primas p.11.l.32. primum primam p.14.l.27. Pelaſgo Pelaſgo p.44.l.5. Aegipt. Aegypt. p.51.l.7. Agypti Aegypti p.59. l. 7. tpplici triplici p.62. l. 3. Pennatibus Penatibus p.66. l. 3. Pennatibus Penatibus p.67. l.6. Aegxptiaca Aegyptiaca p.69. l. 10. Prap. Praep. p. 89. l. 12. perſcquutur perſequuntur p.92.l.31. figure figurae p.97. l.25. Agyptiis Aegyptiis p.112. l.8. Hieroghypica Hieroglyphica p.140. l. 33. propias proprias p.185. l.15. Colonis Coloniis p. 203. l. ult. Vindieiis Vindiciis p.209. l.30. iu in p.213. l.35. deporatam deportatam p.235. l. 21. quorum quorum p.236. l. 3. adferferre adferre l. 7. ſactas factas p. 273. l. 1. pontentum potentum p.281. l.17. ſigniſqne ſigniſque p. 288. l. 15. Gnominibus Gnomonibus p.320. l.1. fuiſſet fuiſſent p. 352. l. 20. Prodomo Prodromo p. 369. l. 12. Aloiſius Aloyſius p.382. l.34. fabuloſius fabuloſum p.390. l. 18. ſuſpertitioſa ſuperſtitioſa p.403. l.1. Hebdomada Hebdomadae p.406. l.5. Verum Vernum p.407. l.16. proximori proximiori p.406. l. 31. Aequilonem Aquilonem p.444. l.1. Chronouogiae Chronologiae p.47/. l.5. Baſilicon Baſilico.

Digitized by Google

Digitized by Google